



ARISTOTELES
V
1860



Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca
FiGo
J
566 5
52078

ARISTOTELIS STAGIRITÆ

LIBRI Omnes, quibus tota Moralis Philosophia, quæ ad formandos mores tum SINGVLORVM, tum FAMILIAE, tum CIVITATIS, spectat, continetur.

Quorum seriem versa pagella indicabit.

Tomus Quintus.

LVGDVNI,
APVD HÆREDES IACOBI
IVNTÆ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæ hoc quinto volumine continentur.

ARistotelis Moralium Nicomachiorum libri Decem, Ioanne Bernardo Feliciano interprete.

Magnorum Moralium libri Duo, Georgio Valla Placentino interprete.

Moralium Eudemiorum libri Quatuor: Primus, Secundus, Tertius, & Septimus, incerto interprete. Quartum vero, Quintum, & Sextum in Quinto, Sexto, & Septimo Nicomachiorum reperies, cum idem ad verbum hi cum illis sint.

De virtutibus libellus, Alexandro Chamaillardo interprete.

Politicorum libri Octo, Leonardo Aretino interprete.

nicorum libri Duo,

as aliquos partes, Aretino inte

Eorundem Oeconomicorum libri Duo Bernardino Donato Veronensi inter prete. Primi quidem dimidium Græco ab ipso translatum: reliquum vero, cum Græcum codicem non haberet, paraphrasi expressum. Secũdu vero, q in latinis aliis codicibus nõ n si paucis legebatur, è Græco trãslatus

ARISTOTELIS STAGIRITAE PERIPATETICORVM Principis Moralium Nicomachiorum

LIBER PRIMVS:

Ioanne Bernardo Feliciano interprete.

SVMMA LIBRI.

De finium diuersitate. De felicitate, sine ac summo bono ipsius felicis. De animæ duplici parte, ac virtutu diuisione.

De vniuersali bono appetitu ac finium diuersitate.

CAP. I.

OMnis ars, omnisq; doctrina, actio item, atque electio bonum quoddam expetere videtur. quapropter bene id esse bonum ipsum asseruerunt, quod omnia expetunt. Finiũ vero quædã videtur esse differentia. alij enim operationes, alij præter has opera quædam sunt. At quorum præter actiones fines aliqui sunt: in his opera ipsa operationibus censentur præstantiora. Cũ autem multæ & actiones & scientiæ & artes sint,

Bonum est, quod omnia appetunt. Finium differentia.

multi etiam fines euadant, necesse est. medicinæ quidem, sanitas: naualium extructricis, nauis: militaris, victoria: domesticæ ac familiaris, diuitiæ ipsæ. Quæcunque vero huiusmodi sunt, sub vnam aliquam facultatem & potentiam reducuntur: quemadmodum sub equestrem frenorum effectrix, aliæque omnes quæ equestria instrumenta conficiunt: atque hæc, omnisque demum actio bellica sub militarem: atque eodem modo sub alias aliæ atque in iis omnibus fines earum quę architectonicæ habentur, magis quã reliqui omnes aliarum quæ subiacent, expetendi sunt: nam illos quoq; horum causa sectamur. Neque tamen interest quicquam, siue operationes ipsæ fines actionum sint, siue præter ipsas aliud quippiam, sicut in antedictis scientiis.

Quòd omne agibilium finis, qui ciuilis sit facultatis.

CAP. II.

SI igitur agendarum rerum finis aliquis est, quem propter ipsum, & propter quem alia volumus, neq; omnia ob aliud eligimus (in infinitum enim ita fieret progressus, vanúsque & inanis appetitus noster esset) perspicuum est eum summum bonum, atq; optimum futurum. Nónne igitur magnũ ad vitam cognitio ipsius momentum affert? nam si quemadmodum sagittarij, scopum habeamus, magis bonum & honestum assequi possemus. Quod si ita est, experiendum quidnam is sit, figura comprehenderet cuiúsque scientiæ, vel facultatis censeatur. Videretur autem esse eius quæ maxime principalis, maximéque architectonica est: cuiusmodi ciuilis apparet. Quippe cùm ea sit, quæ quasnã esse

esse in ciuitatibus scientias oporteat: tum quales quémque discere, & quousque, constituat. Videamúsque vel maxime honorabiles facultates, qualis est militaris, familiaris, & Oratoria, sub ea esse collocatas. Cùm enim cæteris actiuis scientiis hæc vtatur, quid item agendũ, à quibúsque abstinendum præscribat, ac sanciat: eius finis aliarum omnium fines complectetur: efficietúrque, vt is bonum ipsum humanum sit. Nam si etiam & vni homini & ciuitati bonum idem sit: bonum tamen ciuitatis & acquirere & conseruare, maius quid ac diuinius videtur. Ac contentus quidem esse etiam vnusquisque potest, si vni soli: pulchrius tamen ac diuinius, si genti ac ciuitatibus bonum efficiatur. Hæc igitur sunt, quæ discendi hæc via, quæ ciuilis quædam est, appetit.

De modo procedendi, & auditore morali.

CAP. III.

SAtis vero hac de re dictum existimetur: si perinde explicatum fuerit, ac subiecta materia postulat. Nam exacta tractatio non simili modo in vnoquoque genere exquirenda est: quemadmodum neque in artium opificiis. Honesta autem & iusta, de quibus ciuilis considerat, tantam differentiam, tantúmque errorem in se habent: vt lege, non natura esse videantur. In bonis etiam talem quendam errorem inesse propterea patet, quod multis damna ex ipsis eueniunt: nonnulli enim ob diuitias, alij ob fortitudinem pereire. Cõtenti igitur erimus, si nos, cum de talibus & ex talibus disseramus, pingui quadam minerua, atq; adumbrata figuratione

Exacta tractatio non simili modo in vno quoq; genere exquirenda. Idẽ 2. Met. tex. 15.

verum ostendamus: cúmq. de iis, quæ plerunq; eueniunt, atq. ex iis ratiocinemur, similia etiam concluserimus. Eodem modo etiam vnusquisq; debet ea, quæ de aliquo dicuntur, admittere. Est enim eruditi eatenus exactam in vnoquoque genere explicationem requirere, quatenus patitur rei ipsius natura potest. Nam & mathematicum suasionibus vtentem approbare: & ab Oratore demonstrationes exigere, simile vitium videtur. Verum vnusquisque ea recte iudicat, quæ cognoscit: atque eorum bonus iudex est. vnam quamque igitur rem bene iudicat, qui in ea: absolute vero omnia, qui in omnibus eruditus est. Atq; hinc fit, vt iuuenis auditor ciuilis idoneus esse non possit: quippe cùm imperitus actionem vitæ sit, ex quibus, & de quibus rationes conficiuntur. Adde quòd cùm perturbationes sequatur, frustra & inutiliter audiet. finis enim non cognitio, sed actio est. Interest autem nihil, iuuenis ætate, an moribus iuuenilis aliquis sit, nã enim defectus penes tempus est: sed quia & vixit, & singula persequitur ex perturbatione. Talibus enim cognitio perinde atque incontinentibus inutilis euadit. Illis autem esse perquam vtilis potest: qui secundum rationem & appetitiones & actiones suas moderantur. Ac de auditore quidem, & quomodo admitti huiusce modi rationes debeant, quidque proponamus: hactenus exortum sit.

De summo bono, & recta auditoris educatione.
CAP. IIII.

NVnc iam dicamus repetita oratione, quoniam omnis cognitio, omnisque electio bonum quoddam appetit: quidnam illud sit quod

quod ciuilem appetere dicimus: quisque illud, quod omnium agendorum bonorum summum est. De nomine sane inter omnes ferè constat. nam & plerique & elegantes felicitatem id appellant: & felicem esse idem quod bene viuere, benéque agere esse opinantur. De felicitate vero, quænam sit, dissentiunt, neque simili modo & vulgus & sapientes eam definiunt. nonnulli enim aliquid ex iis, quæ euidentia, manifestáq; sunt, vt voluptatem, vt diuitias, vt honorem: alij aliud eam esse dicunt. sæpe etiam fit, vt idem de ea diuersa opinetur. cùm enim ægrotat, sanitatem: cum pauper est, diuitias summum bonum putat, qui autem ignorantiæ conscij sibi ipsis sunt, eos admirantur, qui magnum quid ac supra vires suas referunt. Nonnulli vero præter multa hæc bona aliud quoddam per se bonum esse existimarunt: quod esset in causa, vt omnia etiam hæc bona sint. Sed omnes velle opiniones exquirere superuacaneum fortasse est: satisque erit, si eas solummodo inuestigemus, quæ extãt maxime ac superemineant: vel videntur rationem aliquam in se habere. Neque tamen illud nos lateat, differre inter se disputationes, quæ vel à principiis fiunt, vel ad principia. Recte enim etiam Plato de hoc dubitabat. quærebátq, vtrúmne ab initiis, an ad initia via esset: perinde atque in stadio, à muneratis ne ad metam, an econtrario. Nam à notis est incipiendum. ea autem duobus modis sunt: alia enim sunt nobis, alia absolute ac simpliciter nota. fortasse igitur ab iis nobis est incipiendum, quæ nobis nota sunt. Quocirca bene moribus institutus esse debet, qui de honestis & iustis, ac omni denique ciuili re est conuenienter auditurus. principium

An ab initiis, an ad initia via esset recte Plato dubitabat.

enim est, quòd sit: atque id si satis constiterit: nihil amplius erit opus indagare, cur sit. Et qui eiusmodi est: vel iam habet: vel accipere principia facile potest. Cui vero neutrum horū adest, Hesiodum audiat hæc dicentem.

Optimus ille, potest qui ex se cognoscere cuncta.
Ille bonus, monitis qui alterius obtemperat: at qui
Ex se nec novit, nec quæ bene consulit alter
Percipit, admittitque animo: est ignavus, inersque.

Quòd felicitas non sit voluptas, honor, virtus, aut diuitiæ.

CAP. V.

SEd nos eò redeamus, vnde digressi sumus. Bonum enim & felicitatem non absque ratione homines ex variis viuendi modis videntur existimare. plerique quidem atque importunissimi voluptatem esse putant: vnde etiam fruitioni deditam vitam amāt. Tres enim sunt, quæ maxime excellunt vitæ, hæc, quam modo diximus, ciuilis: ac contemplatiua tertia. Plerique igitur seruiles prorsus videntur, cùm pecudum vitam eligant: rationem tamen propterea consequuntur, quia multi ex iis, qui in potestatibus sunt constituti, dissolutam perinde ac Sardanapalus vitam traducunt. Elegantes vero & ad agendum idoneī honorem esse felicitatem existimant: hic enim ciuilis vitæ ferè finis est. Sed hic tamen remotior aliquantulo esse ab eo ipso quod quærimus, bono videtur. magis enim in iis qui honorem exhibent, quàm qui eo afficiuntur, consistit, bonum vero ipsum eiusmodi esse diuinamus: vt proprium quoddam sit, quod auferri facile nequeat. Præterea sectari honorem ob id videntur, vt seipsi bonos esse credant.

Honor magis est in iis qui honorem exhibent, quàm qui eo afficiuntur.

credant. Quærunt enim à prudentibus, & ab iis à quibus cognoscuntur, & ob virtutem honore afficī. Perspicuum igitur est, horum etiam ipsorum sententia honore virtutem esse potiorem. vnde fortasse etiam aliquis magis esse eam ciui lis vitæ finem existimaret, sed imperfectior tamen etiam ipsa est. Videtur enim fieri posse, vt qui virtutem habeat, vel dormiat, vel in vita nihil agat: malis præterea affligatur, sitq; maxime infortunatus: cuiusmodi hominem sane felicē appellarit nemo, nisi qui seruare positionem velit. Ac de his quidem hactenus: satis enim etiam in circularibus de ipsis dictum est. Tertia vita est contemplatiua, de qua in sequentibus considerabimus. Pecuniaria vero violenta quædam est: & diuitiæ neque ipsæ procul dubio sunt id quod quæritur, bonum: sunt enim vtiles, alterius que causa comparantur. Iccirco ea potius, quæ prius dicta sunt, esse fines aliquis existimaret, eò quòd propter se expetuntur. sed neq; illa tamen videntur: licet multæ ad ipsa hæc coniectæ rationes fuerint. hæc igitur missa faciamus.

Quòd non sit idea.

CAP. VI.

MIllus vero fortasse est, vt vniuersale consideremus, & quomodo dicatur inquiramus. quanquàm arduam nobis hanc quæstionem futuram esse video: propterea quòd amici sunt, qui formas introduxerunt. Sed forsan rectius esse, & oportere videretur: vt pro veritatis salute vnusquisque, & præsertim philosophi sua quoq. propria refutarent. Nam licet amici ambo sint, sanctum est veritatem ipsis in honore anteponere. Qui igitur hanc opinionem attu-

Rectius est pro veritatis salute sua propria refutare præsertim philosophum.

lerunt, in illis ideas nullas faciebant, in quibus prius & posterius aliquid dicerent. Vnde neque numerorum speciem. id est ideá constituebant. At bonum dicitur & in eo quod est quid, & in quali, & in eo quꝰ est ad aliquid. Quod vero per se est & substantia, prius eo natura est quod ad aliquid. esse enim hoc appendix quædam videtur atque accidens eius quod est. Quare communis aliqua in his idea esse non potest. Præterea cùm bonum totidem modis dicatur, quot illud quod est (nam & in substantia dicitur, vt Deus & mens: & in qualitate, virtus: & in quantitate mediocre: & in eo quod est ad aliquid, vtile: & in tempore, occasio: & in vbi, diuersatio: & alia huiusmodi) per spicuum est commune aliquod vniuersale atq; vnum esse non posse. non enim in omnibus denuncupationibus, id est prædicamentis, sed in vno tantum diceretur. Præterea in iis quæ vnam habent ideam, vna quoque scientia est: atq; ita bonorum omnium vna quædam scientia esset. sed multæ sunt scientiæ eorum etiam quæ sub vna denuncupatione constituuntur, vt occasionis: in bello, militaris ars: in morbo, medicina, & mediocris in alimento, medicina: in laboribus, exercitatoria. Dubitaret autem quispiam quidnam velint per id vnumquodque dicere: si & in per se homine & in homine vna & eadem ratio hominis est. nam quatenus homo, nihil different. Quòd si ita est neque quatenus bonum, quicquam distabunt. Veruntamen neque quia sempiternum aliquid est, ideo magis bonum erit: siquidem neq. albo quod diutius, quàm quod vno die tantum durat, albius est. Probabilius autem de ipso Pythagorei dicere videntur: cùm vnum in bonorum consortio

Quod per se est, prius natura est eo quod est ad aliquid.

Albũ diutius non est albius albo unius diei.

consortio constituant: quos quidem sequutus videtur etiam Speusippus. Sed de his alia sit dissertatio. In iis vero quæ dicta sunt, controuersia quædam subest: propterea quòd non de omni bono rationes dictæ sunt: sed secundum vnam speciem ea dicuntur, quæ per se amantur & appetuntur: quæ vero hæc conseruant, aut efficiunt quodammodo, aut contraria prohibent: propter hæc alióque modo bona dicuntur. Perspicuum igitur est bona duobus modis dici: alia per se, alia propterea quæ per se dicuntur. Seiungamus igitur bona hæc per se ab vtilibus: ac cõsideremus an ea secundum vnam ideam dicantur. Qualia vero esse per se bona aliquis statueret an ea quę vel si sola relinquantur, persequimur: vt sapere: vt videre: vt voluptates nonnullæ, & honores. nam licet hæc ob aliud quippiam persequamur: esse tamen ex iis quæ sunt per se bona, statuere aliquis posset. Anne aliud quidem quippiam præter ideam? Quare vana erit species. Quòd si hæc quoque per se bona sunt, necesse erit eandem in omnibus ipsis boni rationem existere: quemadmodum eadem in niue & ceruſa albedinis ratio est. at honoris, prudentiæ, & voluptatis in eo quòd bona sunt, diuersæ ac differentes rationes reperiuntur. Non est igitur bonum commune quid in vna idea. Sed quonammodo dicuntur? non enim videntur esse æquiuoca à fortuna: nunquid eò quòd ab vno sunt, vel ad vnum omnia ipsa conferuntur? An magis secundum proportionem. nam quemadmodum in corpore est visus: sic in anima est mens: & aliud in alio. Sed omittenda in præsentia fortasse hæc sunt. exactè enim de his tractare ad aliam magis

Bona alia per se, alia propterea, quæ per se.

philoso

Universidad de Deusto
Biblioteca

philosophiam spectat. Simili modo etiam de idea. Nam etiam si vnum aliquod sit, quod communiter denuncupetur bonum, aut separabile quid ipsum per se sit: manifestum est id neque agi neque acquiri ab homine posse. Nunc autem tale quid quæritur. Melius vero fortasse alicui videretur esse, si ipsum cognosceremus ac ea quæ acquiri atque agi possunt, bona. nam quasi exemplum id habentes magis ea quæ nobis bona sunt cognoscere, & si cognouerimus consequi etiam possemus. Hæc quidem ratio probabilitatem quandam habere scientiis tamen videtur dissentire. omnes enim cùm bonum quoddam appetant, idque quod sibi deest inquirant: cognitionem eius prætermittit. Dubium sanè etiam est, quam vtilitatem consequatur textor aut faber in sua arte: si bonum ipsum cognouerit, vel quomodo medicus ad medēdum aut dux ad imperandum peritior reddetur: si ideam ipsam contemplatus fuerit. Nam neque ita speculari sanitatem medicus videtur, sed hominis sanitatem: imò vero fortasse huius hominis sanitatem: quippe cùm singulis medeatur. ac de his quidem hactenus.

De felicitatis subiecto. subsidium, & præceptis in vnaquaque scientia obseruandis.

CAP. VII.

Bonū in vno quoq; est id, cuius gratia cætera aguntur.

NVnc rursus redeamus ad id, quod quærimus, bonum: quidque id sit inuestigemus. videtur enim aliud in alia actione, atque arte esse. nam aliud in medicina, aliud in re militari, & reliquis similiter. Quid igitur vniuscuiusque bonum est? An id, cuius gratia cætera aguntur? hoc

hoc autem est in medicina sanitas: in arte militari victoria: in ædificatoria domus: in omni denique actione & electione finis ipse, cuius gratia reliqua omnia omnes agunt. Quare si quis communiter agendorum omnium vnus est, id agendum bonum erit. Sin plures, hi ipsi. Iam vero digrediendo in idem deuenit oratio. Quocirca magis enitendum, vt hoc idem declaremus. Quoniam vero plures esse fines videntur: & horum quosdam ob aliud expetimus, vt diuitias, tibias, instrumenta denique omnia: non omnes esse perfectos perspicuum est, at optimus finis esse quid perfectum videtur. Quare si vnum aliquid erit quod perfectum sit, id erit quod quærimus: sin plura, id quod perfectissimum horum est. Id autem, quod per se sectandum est, eo perfectius dicimus, quod propter aliud appetimus, quódque nunquam ob aliud eligendum est, iis quæ & per se & ob aliud expetuntur, absolute autem perfectum, quod semper per se: nunquam ob aliud expetendum est. Eiusmodi autem videtur felicitas maxime esse. hanc enim propter seipsam semper, & nunquam ob aliud expetimus. At honorem, voluptatem, mentem, ac virtutem omnem etiam propter ipsa expetimus: quippe cùm eadem expeteremus, etiam si nihil inde nobis eueniret: felicitatis tamen causa etiam ipsa eadem expetimus, ex his felices nos futuros existimantes. horum vero causa nullus felicitatem, neque omnino ob aliud quippiam expetit, Idem vero etiam è sufficientia videtur euenire. perfectum enim bonum esse sufficiens apparet. Sufficiens autem dicimus non ipsi soli qui vitam solitariam agit, sed parentibus, sed filiis,

Perfectius quod per se, quam quod per aliud sectandū est.

sed

sed vxori, amicis denique ac ciuibus: quando quidem homo ciuilis natura est. Horum tamen terminus aliquis statuendus est. nam si ad pastes, & nepotes & amicorum amicos hoc protederimus in infinitum res progredietur. Sed de hoc alias considerandum. Sufficiens vero id est statuimus: quod si solum relinquatur, sufficiet tem atque expetibilem vitam, nulliúsque rei indigam facit. Talem autem esse felicitatē ipsam existimamus. Quinetiam maxime omnium expetendam, si cum aliis nō connumeretur: si vero connumeretur, perspicuum est eam vel cum minimo quoque ex bonis magis expetendam fore. siquidem bonorum supereminentia fit id quod adiungitur. maius vero bonū magis semper expetendum est. Itaque felicitas cùm agendorum finis sit, perfectum quoddam ac sufficiens videtur. Sed fortasse si dicamus felicitatem optimum esse, concessum quoddam ab omnibus videretur: adhuc tamen desideratur, vt euidentius quid ea sit, exponamus. Fortasse vero hoc fieret, si hominis opus sumeretur. nam quemadmodum tibicini & statuario, aliisque artificibus, & denique omnibus, quorum opus aliquod & actio existit, in opere bonū ipsum, & id quod bene est, videtur consistere: ita homini quoque si modo eius aliquod opus est, esse videretur. Vtrum igitur fabri & sutoris opera sunt aliqua, & actiones: hominis vero opus est nullum, sed natura homo otiosus est? An quemadmodum oculi, pedis, manus, & denique vnius cuiusque membri opus quoddam extat: sic & hominis præter omnia hæc opus quoddam statuere aliquis posset? Quidnam igitur hoc erit? nam viuere commune etiam cum plantis videtur: nunc vero proprium quoddam est, quod quæritur, vnde nutrienti augentíque vita omnis separanda est. Sequitur sentiendi vita, sed ea quoque cum equo & bouе & omnibus demum animalibus communis videtur. Reliqua est igitur actiua quædam vita, eius quod ratione præditum est. Id autem partim rationi obtemperat: partim eam habet, atq; intelligit. Sed cum duobus modis etiam hæc dicatur, ea quæ est in operatione, statuenda est. Quòd si est opus hominis animæ operatio secundum rationem, vel non sine ratione, idémque genere esse opus huius, & huius probi assueueramus: vt citharœdi, & probi citharœdi. & absolute in omnibus, si excellentia virtutis operi fuit adiuncta: citharœdi enim est cithara canere: probi citharœdi bene id facere. Quòd si, inquam, ita est: & hominis opus esse vitam quandam statuimus: eámque animæ operationem & actionem cum ratione esse assueramus: ac probi viri bene hæc, rectéque exequi esse censemus: singula autē bene ex propria virtute perficiuntur. Si ita est: operatio animæ ex virtute bonum humanum efficitur. Si plures sint virtutes, ex optima & perfectissima. Et insuper in vita perfecta. ver enim neque vna hirundo, neque vnus dies facit: ita quoque beatum & felicem hominem neque vnus dies, neque breue aliquod tempus efficiet. Bonum igitur ipsum ita circunscriptum sit, oportet enim fortasse prius figurare, deinde postea depingere. Videretur autem cuiuslibet esse ea, quæ bene circunscripto- nē sunt comprehensa, producere ac distinguere: & tempus talium inuentor, vel adiutor bonus esse. vnde & actium facta sunt incrementa. cuiuslibet enim est quod deest, addere. Oportet autem

Maius bonum magis semper expetendū est.

Opus hominis est anima operatio secundū rationem.

Operatio ex virtute bonum humanum est.

Vna hirundo non facit ver, neque vnus dies.

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem eorum, quæ ante dicta sunt, meminisse & exactam tractationem non eodem modo omnibus requirere: sed in singulis, prout subdita materia postulat. Atque id eatenus, quatenus arti vnicuique conuenit. Faber enim & geometra diuerso modo rectum angulum vtrique considerant: ille quatenus solummodo ad opus vtile est: hic cùm veritatis speculator sit, quid quale sit, indagat. Eodem modo in aliis quæque faciendum est: ne plura ornamenta extrinsecus quàm ipsum opus cuadant. Neque sanè modo in omnibus causa requirēda est: sed est quibusdam satis, si bene demonstratum fuerit quòd finis id quod etiam in principiis ipsis contingit, quòd autem sit aliquid, primum ac principium quoddam est. Ex principiis vero alia sunt, quæ inductione: alia quæ sensu: nonnulla quæ assuetudine quadam: alia quæ alio quodam modo considerantur. Singula autem ita sunt tractanda, vt natura eorum postulat: dabitque est opera, vt recte definiantur: magnum enim afferre momentum ad ea quæ sequuntur, consueuere. videtur enim principium plus quàm dimidium totius esse: complúraque eorum quæ in quæstionem veniunt, per ipsum manifestantur.

In singulis tractandis materia postulat. tractatio facienda est.

Non in omnibus simili modo causa perquirenda est.

Principiorū diuersa est cōsideratio.

Principium videtur plus quam dimidium totius esse.

De dissonorum antiquorum cum vera felicitate consensu, ac de triplici bono ad felicitatem necessario.

CAP. VIII.

Cum vero omnia consonant, quæ

COnsiderandúmque est de ipsa non solum ex conclusione, éxque iis quibus ratio constat, verumetiam ex iis quæ de ipsa dicuntur: cùm vero enim consonant omnia, quæ in re hu-

sunt nà falsò autem cito dissonant ac discrepant. Cùm igitur bona in tres partes distributa sint, & alia externa, alia circa animam, alia circa corpus dicantur, quæ circa animam sunt, maxime proprie, ac maxime bona appellamus: actiones autem & operationes animales circa animam statuimus. Quare ex hac opinione, quæ antiqua est & à philosophis concessa, recte hoc diceretur. Recte etiam constitutum fuit, actiones quasdam & operationes finem ipsum dici. ita enim ex bonis animæ sunt, non externis. Consentit etiam cum ratione hac illud, quod aiunt, bene viuere, ac bene agere felicem. ferè enim bona quædam vita & bona actio felicitas dicitur. Videntur autem omnia quæ circa felicitatem inquiruntur, inesse huic, quod à nobis dictum est. aliis enim virtus, aliis prudentia, nonnullis sapientia quædam esse felicitas videtur: quibusdam hæc, aut aliquid ex his cum voluptate, vel non sine voluptate, sunt etiam qui simul externam prosperitatem assumant. Atque ex his alia multi & antiqui, alia pauci & illustres viri dicant: quos sanè aberrare tota via vtrosque minime, sed in vno saltem aliquo, vel in plerisque assequi veritatem verisimile est. Cùm illis sanè qui dicunt omnem virtutem, vel quandam eam esse nostra consentit oratio: quippe cum huius sit operatio secundam virtutem, interest tamen non parum fortasse in possessione ne, an in vsu, & in habitu item, an in operatione esse optimū existimemus. Fieri enim potest vt habitus licet adsit, nullum tamen bonum efficiat: id quod in dormiente, vel alio aliquo modo manente otioso homine euenit, vt operatio autem nihil boni agat, non datur. aget enim necessario, &

in re insunt: à falsò autē cito dissonant.

Idē 1. Priorum sec. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bene etiam aget. Sicut autem in Olympiis non pulcherrimi, & robustissimi coronantur: sed qui decertant: ex his enim nonnulli vincunt: sic ex honestis probisque hominibus in vita illi quæ recte agunt, compotes fiunt. Estque ipsorum vita suauis ac iucunda. Lætari enim ex affectionibus animæ est. vnicuique autem id est iucundum, ad quod spectando talis rei studiosus quispiam dicitur: vt equus equorum, spectaculum spectaculorum studioso: eodem modo & iustitiæ amatori iusta: & in vniuersum virtutis studioso virtus. Apud plerosque vero iucunda inter se pugnant, propterea quòd eiusmodi natura minime sunt: sed quæ studiosis honestæ sunt iucunda, ea natura iucunda sunt, ac voluptuosa: tales autem sunt actiones, quæ ex virtute proueniunt. Ipsorum autem vita voluptate quasi appendice aliqua minime indiget: sed in se eam habet. Præterea enim quæ dicta sunt, qui bonis actionibus non delectatur, bonus minime est. neque enim vel iustum quempiam dixeris qui iuste agendo non delectetur: vel liberalem qui liberalibus actionibus non gaudeat: & in aliis simili modo. Quòd si ita est: actiones secundum virtutem per se iucundæ sunt: Quin etiam bonæ & honestæ: atque vnumquodque horum maxime, si modo de ipsis probus bene iudicat. iudicat autem, vt diximus. Optima igitur, pulcherrima, & iucundissima res est felicitas: neque distincta hæc sunt: sicut Deliacum illud epigramma præscribit:

Qui actionibus bonis non delectatur, bonus minime est.

Felicitas optima, pulcherrima, et iucundissima res est.

Si valet optimè: si est insuper pulcherrima res est:
Iucundissima, siquem quod amat potitur.

Omnia enim hæc operationibus secundum virtutem insunt: has autè, aut vnam ex his, quæ optima

optima sit, felicitatem esse affirmamus. Videtur tamen etiam ipsa externis bonis sicut diximus, indigere. fieri enim non potest, vel non facile sit, vt qui necessaria non suppetunt, is bona atque honesta agat. Multa etenim & per amicos, & diuitias, & ciuilem potentiam quasi per instrumenta quædam aguntur. Quibusdam vero priuati nonnulli, vt nobilitate, bona prole, pulchritudine beatitudinem maculant. non enim felicitatis admodum compos ille est, qui vel specie prorsus deformis, vel genere ignobilis, vel solitarius est, ac prole carens. Nec minus etiam fortasse, si alicui pessimi filij fuerint, aut boni mortui sint. Videtur igitur, vt diximus, tali etiã prosperitate felicitas indigere. Vnde nõnulli idem eam cũ bona fortuna, alij cũ virtute esse dicunt.

De modo assequenda felicitatis.

CAP. IX.

VNde etiam dubitatur, vtrum disciplina, an assuetudine, an alia quapiã exercitatione acquiri possit, an ex aliqua diuina sorte, an ex fortuna proueniat. Si tamen aliquod aliud est à diis hominibus exhibitum donum, verisimile est felicitatem quoque à diis exhiberi: ac tanto magis, quanto ipsa omnium humanarum rerum optima est. Sed hoc fortasse ad aliam magis disceptationem spectat, videtur tamen, licet à Diis non mittatur, sed vel ex virtute, vel disciplina aliqua, vel exercitatione accedat: ex diuinissimis rebus felicitas esse: quippe cum præmium virtutis & finis optimum quoddam ac diuinũ, beatũmq. esse videatur. Estque præterea quoddam longe commune. disciplina enim quadam ac diligentia acquiri ab omnibus potest, modo

ad virtutem consequendam læsi ac manci non fuerint. Quòd si melius est hoc modo, quàm si fortunam felicem vnumquemque esse rem ita se habere consentaneum est, siquidem & ea quæ secundum naturam sunt, & ea similiter quæ ab ex arte, aut quapiã alia causã & præcipue optima proueniunt: sicut quàm pulcherrime fieri potest, ita suapte natura se habent. Quod vero maximum ac pulcherrimũ est, id fortunæ committere, valde prauum est. Imò ex ratione ipsa patet id quod quæritur. esse enim eam animi quandam operationem secundum virtutem definitum est. Ex reliquis vero bonis alia ineſſe ipsi necesse est: alia adiutricia atque vtilia instrumentaria natura sunt. Atque hæc cum illis quæ in principio diximus, consentirent. fiebat enim ciuilis facultatis opus esse statuebamus. at hæc magnam diligentiam adhiberet, vt ciues quodammodo afficiat, bonósque & ad honesta agenda idoneos reddat. Merito igitur neque bouem, neque equum, aut quipiam aliud animal felix appellamus: quippe cùm nullus ex ipsis talis operationis esse particeps possit.

Pueri non sunt felices. nisi spe.

Eadem etiam de causa neque puer felix est. nondum enim est ad tales res agendas per ætatem idoneus: qui vero dicuntur felices, spe dicuntur. Nam, sicut diximus, & perfecta virtute & vita perfecta opus est. Multæ enim mutationes, & variæ fortunæ in vita contingunt: & fieri potest, vt qui maxime prosperitate floruerit, is in senectute in magnas calamitates incidat, sicut in Heroicis de Priamo fabulæ proditum est. At eum qui talibus fortunis vsus miserabiliterque mortuus fuerit, felicem profecto dicet nemo.

Qui

Quis in hac vita dicendus sit felix.

CAP. X.

NVnquid igitur neq; alius quispiam homo quoad viuit, felix dicendus est? sed ex sententia Solonis finem spectare oportet? Sique ita statuendum est, felix ne tunc erit aliquis, vbi mortuus fuerit. An hoc absurdum penitus est, præsertim apud nos, qui felicitatem operationem quandam esse dicimus? Quòd si mortuum felicem esse non dicimus, neque Solon id voluit, sed solummodo hominem dixit tunc beatũ appellari tuto posse, quippe qui extra omnia mala & infortunia iam collocatus sit: hoc quoque dubitationem quãdam habet. videtur enim mortuo bonum & malum adesse, perinde ac viuenti & non sentienti, vt honores, & infamiæ: filiorum & omnino posterorum prosperæ, & aduersæ fortunæ. Dubitationem etiam hæc afferunt. fieri enim potest vt ei qui vsque ad senectutem beate vixerit, secundũmq; rationẽ mortuus sit multæ mutationes in posteris ac nepotibus contingant: vt alij boni sint, vitámque pro dignitate consequantur, alij contra, qui sanè in distantiis erga parentes multis modis sese habere possunt. Absurdum igitur esset, si mortuus simul etiã mutaretur: & modo felix, modo miser efficeretur. Absurdum quoq; est, si nihil neq; ad aliquod tempus posterorum res ad parentes pertineant. Sed redeundum ad id, de quo prius dubitabamus. ex illo enim fortasse etiã id quod nunc quæritur, considerabitur. Si igitur finem spectare oportet, & tunc beatum vnumquemq; dicere, nõ quòd sit, sed quòd prius erat beatus: quomodo absurdum non est, si quando est felix,

nō vere dici potest de ipso id quod ei ineſt: id circo quia eos qui adhuc viuunt, ob mutationes appellare felices nolumus: elicitatémq; ſtabile quid eſſe ac minime mutabile: fortunas verò ſæpe circa eoſdē reuolui exiſtimamus? Perſpicuum enim eſt, ſi ſequi fortunas velimus, nos eundem felicem, & rurſus miſerum ſæpe eſſe dicturos. Chamæleontem quendam, imbecillitérq; ſtabilitum felicem facientes. An ſequi fortunas minime rectum eſt: quippe cùm in ipſis, vt bene vel male viuamus, nequaquam ſitū ſit, ſed ipſis humana vita, ſicut diximus, ſolummodo indigeat, ſed in operationibus ſecundū virtutē felicitatis in contrariis contrarij præcipua vis collocata eſt. Atteſtatur autē huic ſententiæ, & id de quo nunc dubitauimus, in nullo enim ex operibus humanis, ſicut in operationibus ſecundū virtutem firmitas eſt. hæ ſiquidē ſtabiliores etiā ſcientiis videntur. atque ex his ipſis ſtabiliores, quæ præſtantiores: eo quòd beati in his maxime & aſſidue viuere cōſueuerūt. hoc enim ſimile caſu eſt, vtin ipſis obliuio nulla cōtingat. Ineſt igitur id quod quæritur, ipſi felicitati, eſtq; per cōtinuam vitam talis. ſemper enim vel maxime omnium ea aget & contemplabitur, quæ ſunt ſecundum virtutem, fortunāſq; pulcherrime feret, atque omni ex parte prorſus accurate atq; apte: quippe qui vere bonus & quadratus abſque vituperatione ſit. Cùm multa autem ſint, quæ à fortuna eueniunt, quæ & magnitudine & paruitate inter ſe differunt, parua tam ſecunda quàm aduerſa vitæ nullum momentum afferre perſpicuum eſt: magna vero & multa ſi bona ſint, beatiorem vitam reddent: nam & ipſa ſunt ad agendū ornatum idonea, & vſus ipſorum pulcher

In nullis ex operibus noſtris, ſicut in operationibus ſecundum virtutem, firmitas eſt.

honeſtúſq; eſt, ſi contra eueniant, premunt, ac læduntbeatitudinem: quippe cùm & moleſtias afferant, & multis operationibus impedimento ſint. Quòd ſi operationes vitæ dominæ ſunt, quemadmodum diximus: nullus ex beatis miſer efficeretur, nunquam enim odioſum quippiam, ac prauū aget. Nam eum qui re vera bonus eſt, ac prudens, decore omnem fortunam perferre, & pro facultatibus ſemper pulcherrima quæq; atq; optima agere exiſtimamus, perinde ac ducem bonum præſenti exercitu maxime bellice vti: & ſutorem ex datis coriis pulcherrimum calceum facere: atq; eodem modo reliquos artifices putamus. Quòd ſi ita eſt, felix quidem miſer nunquam efficietur: beatus tamen non erit, ſi in Priami calamitates inciderit. Neque etiam varius quidam erit, ac mutabilis, neque enim vel facile, vel à quibuſlibet infortuniis, ſed à multis & ingentibus à felicitate dimouebitur. Atque ex talibus effici rurſus felix in paruo tempore non poterit: ſed ſi modo id licet, in multo quodam ac perfecto tempore continget, ſi in eo magnas aliquas ac præclaras res fuerit conſecutus. Quid igitur vetat, quo minus eum felicem dicamus, qui ex perfecta virtute operatur: externiſque bonis abunde fuerit inſtructus, non quolibet tempore, ſed perfecto? An addendum qui & victurus ita eſt, & ſecundum rationem vita defuncturus: nam futurum incertum nobis eſt: felicitatem vero finem, ac perfectum quid omnino & prorſus conſtituimus. Si vero ita eſt: ex iis qui viuunt, beatos eos dicemus, quibus hæc quæ dicta ſunt, & adſunt, & adfuerunt: ac beatos quidem vt homines. Sed de his quidem hactenus definitum ſit.

Felix miſer nūquā efficietur.

Quòd posterorum fortuna ad defunctos pertineant.

CAP. XI.

FOrtunas vero posterorum atq; amicorum omnium dicere nihil conferre, longe ab amicitia alienum, quin etiam opinioni contrarium videtur. Cùm tamen multa sint quæ eueniunt, variáſq; habeant differentias: alia magis, alia minus pertineant: ſigillatim omnia distinguere prolixum atq; infinitum videtur: ſi autem vniuerſaliter ac figura dixerimus, fatis fortaſſe erit, ſi videlicet quemadmodum & ex eius calamitatibus aliæ pondus momentum quoddam ad vitam afferunt, alia leuiores videntur: ſic quoq; ea quæ amicis ſingulis accidunt. In ſingulis vero calamitatibus differentia ea eſt, viuentibúſne, an mortuis contingant, quæ ſanè multo maior eſt quam ſi nefariæ res ac diræ in Tragœdiis pereant, an agantur. Conſideranda igitur hoc modo etiam differentia eſt. Magis autem fortaſſe dubitandum de vita defunctis, an boni alicuius vel contrarij poſſint eſſe participes. Videtur enim ex his etiã ſi pertingat ad ipſos quippiam, ſiue bonum ſiue contrarium: exile quoddam ac paruum id eſſe, vel abſolute & ſimpliciter, vel ipſis. Sin minus, tantum ſaltem ac tales vt neq; felices eos qui non ſunt facere: neq; eos qui ſunt, priuare felicitate poſſit. Conferre igitur quid defunctis proſperi amicorum ſucceſſus videntur: ſimili modo etiam infortunia: ita tamen ac tantum, vt neq; felices reddere infelices, neq; quippiam tale efficere valeant.

Qui

Quòd felicitas bonum ſit honorabile potius, quam laudabile.

CAP. XII.

HIs ita definitis de felicitate, conſideremus vtrum ex iis ſit, quæ laude, an potius quæ honore digna habentur: nam eã non eſſe inter facultates reponendã, manifeſtum eſt. Videtur autem omne laudabile propterea laudari, quia qualitate aliqua præditũ eſt, & ad aliquid quodã modo refertur, iuſtũ enim & fortem, & omnino bonũ virũ quinetiã virtuté ob actiones & opera ſolemus laudare: robuſtũ quoq;, & curſui habilem, & vnumquẽq; ex aliis, non alia de cauſa, quàm quòd qualitate quadam præditi ſunt, & ad bonum quoddam, honeſtúmq; quodam modo ſe habent. Atque hoc ex Deorum laudibus perſpicuum eſt: nam cum ad nos referuntur, ridiculi videntur, id autem contingit ex eo quòd laudes per relationem, vt diximus, efficiuntur. At ſi talium eſt laus, optimorum ſanè nullam eſſe laudem conſtat, ſed maius quiddam ac melius, quemadmodum videtur. Deos enim beatos ac felices dicimus, beatos item dicimus viros eos, qui maxime diuini ſunt. Simili modo etiam bona, nemo enim felicitatem laudat, quemadmodum iuſtitiam: ſed vt diuinius quid ac melius, beatam rem dicit, ac prædicat. Recte etiam videtur Eudoxus in defenſione voluptatis principatum ei attribuere, ex eo enim quod non laudatur, cùm bonum ſit, indicari exiſtimabat eam rebus laudabilibus eſſe præſtantiorem, talem autem eſſe Deum, & bonum ipſum cenſet: quippe cùm ad hæc reliqua etiam referantur. Laus enim virtutis eſt. Idonei enim ad ho-

nestas res agendas ex ea efficiuntur. Commendationes vero operum sunt, tam animæ quàm corporis simili modo. Verùm hæc exactè tractare forsitan eorum magis est, quorum labor in laudationibus conficiendis versatur, nobis vero satis id esse debet, quòd ex his quæ dicimur, ex honorabilibus perfectisque rebus etiam felicitatem constat. Videtur autem & ex eo nobis se habere, quia principium est: huius enim gratia reliqua omnia omnes agimus, principium vero & causam bonorum honorabile quoddam ac diuinum statuimus.

De duplici animæ parte, ac virtutis diuisione.

CAP. XIII.

QVoniam igitur felicitas, animæ per virtutem perfectam operatio quædam est: de virtute considerandum videtur, hoc enim modo fortasse efficietur, vt melius de felicitate etiam contemplemur. Videtur autem & is qui vere ciuilis est, circa hanc maxime laborare: propositum enim eius est, vt ciues bonos, legibusque obtemperantes efficiat. Atque huiusce rei argumentum tam Cretensium quàm Lacedæmoniorum legislatores habemus: & si qui alii tales extiterunt. Quòd si ciuilis facultatis hæc consideratio est, patet inquisitionem hanc propinde atque à principio proposuimus, futuram. De virtute autem, humana scilicet, considerandum est: nam & de bono humano, & de felicitate humana, quærebabus. Virtutem vero humanam dicimus non corporis sed animæ, felicitatem quoque animæ operationem appellamus. Sed si hæc ita se habent, perspicuum est, ciuilem quæ ad animam spectant,

tant, quodammodo cognoscere oportere: quemadmodum oculum, & totum corpus, cum qui curaturus est. Atque eò magis, quò ciuilis facultas honorabilior, meliórque medicina est. Eleganter quoque medici multa circa cognitionem corporis pertractant. Contemplandum igitur etiam ciuili homini de anima est: atque id, horum causa, & quatenus satis est ad ea quæ hic quærunter. nam exactius absolutiúsque rem hanc excutere laboriosius fortasse est ac difficilius, quàm præsenti negocio cõueniat. Dicuntur autem de ipsa in extratiis etiam disputationibus nonnulla, quæ satis sunt: vtendumque ipsis est. Quemadmodum alteram partem eius esse rationis participem, alteram expertem, nam vtrum distinctæ sint, vt corporis partes & omnia diuisibilia an ratione tantum duæ sint, re autem separari inter se minime possint, vt in circunferẽtia conuexum & concauum: illud vero nihil ad propositum refert. Irrationalis autem partis, alia communi & vegetali persimilis est. ita appello eam, quæ augendi, & alendi causa est. talem enim animæ facultatem in omnibus quæ alunur, statueret aliquis: & in fœtibus quoque: quin etiam eandem hanc in perfectis: & conuenientius etiã quàm aliam quampiam. Huius autem communis quædam virtus, non humana apparet: quippe cum pars hæc & facultas in somnis maxime operari videatur: bonus autem & malus dijcerni in somno minime possit. Vnde inquiũt felices in dimidia parte vitæ à miseris nihil differre. Atque hoc conuenienter euenit, otium enim animæ somnus est, quæ vel bona vel mala dicitur. Nisi quatenus paululum motiones aliquæ ad eam pertingunt: eatenus enim mo-

Felices in dimidia parte vitæ à miseris nihil differre quiunt.

destorum meliora quàm quorumlibet visa p
parent. Ac de his quidem satis, atque hæc
triendi facultas, est enim humanæ virtutis
pers, omittenda est. Videtur autem etiam alia
quædam natura animæ irrationalis esse
rationis tamen quadam ex parte capax sit. C
rinentis enim & incontinentis rationem, an
item id quod rationem habet laudamus: quip
cùm recte & ad optima incitet, videtur tam
aliud quid etiam in ipsis inesse, quod pugn
resistáq; rationi. Planè enim quemadmodo
resoluta corporis membra si ad dextram
uere volueris, è contrario in sinistram defer
tur: sic quoq; in anima contingit, in contra
enim partes incontinentium appetitiones
runtur. Sed in corporibus quidem quod pr
propositum fertur, videmus: in anima non
demus. Fortasse autem nihilominus in ani
quoque esse quippiam præter rationem exi
mandum est, quod ei aduersetur ac resistat
modo vero diuersum sit, nihil refert. Quod
men etiam ipsum rationis esse particeps vi
tur, quemadmodum diximus: continentis e
rationi obtemperat. Atq; etiam magis fort
in temperante ac forti obediens est: omn
enim in his rationi consonant. Esse igitur ir
tionalis quoq; hæc duplex videtur, nam veg
talis nullo modo cum ratione communi
concupiscibilis autem & omnino appetiti
particeps rationis quodam modo est: quate
ipsi obedit, imperióq; eius obtemperat. Ita p
fecto & patris & amicorum habere ration
dicimus, & non sicut mathematicorum. Pa
te autem quodam modo rationi irrationale
hanc partem admonitio, & omnis increpa

&

& cohortatio indicat. Quòd si dicendum est
hanc quoq; partem rationem habere, duplex
erit ea quę rationem habet: altera enim proprie
& in se eam habebit: altera ita, vt is qui dicto pa
tens audiens est. Virtus quoque secundum hanc
differentiam distinguitur, nam alias ex ipsis in
tellectiuas, alias morales dicimus: sapientiam,
perspicaciam, & prudentiam, intellectiuas: libe
ralitatem & temperantiam, morales. Cùm enim
de moribus loquimur, non sapientem aut
perspicacem, sed mansuetum aut
temperantem aliquem dicimus.
Laudamus etiam sapientem
ex habitu: habitus vero
laudabiles virtu-
tes appella-
mus.

ARIST

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARISTOTELIS

MORALIVM NI-

COMACHIO-

RVM

LIBER SECUNDVS.

SVMMA LIBRI.

De virtute in genere, ac eius essentia. Quo pacto mediocritates inter extrema dissonantur virtutes ac virtutis oppositum. Et quibus præcipuè ad medium ducamur.

De productione virtutis intellectiuæ, ac moralis.

CAP. I.



Vm duplex igitur virtus sit, quèadmodũ diximus, intellectiua & moralis: ille ętiua vt plurimũ ex doctrina habet & generationẽ & incremẽtũ: vnde & experientia & tẽpore indiget: moralis vero ex more, id est assuetudine acquiritur: vnde etiã nomen habuit, parum in more immutatione facta. Ex quo etiã patet nullã ex moralibus virtutibus natura in nobis acquiri. Nihil enim ex iis quę natura fiunt, assuescere aliter potest, vt lapis, cũ natura deorsum ferratur, nũquã sursum ferri assuescet. neq; flamlies quispiã eum sursum proficiẽdo velit assuefacere, neq; ignis deorsum ferri: neq; aliud quippiam aliter quàm natura cõparatum sit, vsu

assuescet, neq; igitur natura, neq; præter naturã virtutes hæ in nobis acquiruntur: sed cùm idonei ad ipsas suscipiendas natura simus, assuetudine perficimur. Præterea eorũ quæ natura nobis euenians, facultates prius accipimus, deinde reddimus operationes: id quod in sensibus perspicuũ est, non enim ex eo quod sæpe vel vidimus, vel audiuimus, sensus & videndi & audiendi accepimus: sed econtrario, habẽtes vsũ sumus, & nõ vsi habuimus, sed virtutes accipimus, vbi prius fuerimus operati. quèadmodum etiã in aliis artibus, quæ enim vbi didicerimus, facere oportet: ea faciendo discimus, sicut enim ædificãdo ædificatores, cithara canendo citharœdi efficiũtur: ita quoq; iusta agendo iusti, tẽperantia tẽperantes, fortia fortes euadimus. Huic rei attestatur id, quod in ciuitatibus fieri consueuit, legũlatores enim ciues assuefaciendo bonos reddunt: hęcq; est vniuscuiusq; legũlatoris voluntas, qui vero id bene non efficiunt, peccant, atq; in hoc bona respublica à mala differt. Accedit quòd ex istẽdem & per eadẽ omnis virtus & acquiritur, & corrũpitur, simili modo etiã ars, ex eo enim quòd citharã pulsant, & boni & mali citharistæ euadũt, eadẽ ratione quoq; ædificatores, & reliqui omnes. nã ex eo quòd ædificant bene, boni: ex eo quòd male, mali efficiuntur. nisi enim ita esset, nullo opus esset doctore, sed omnes vel boni fierẽt, vel mali. Ita igitur in virtutibus quoq; est: agẽdo enim quæ ad commercia hominũ spectant, alij iusti, alij iniusti efficimur: agẽdo quæ in terribilibus rebus consistit, assuescẽdóq; vel cõsidere vel timere, alij fortes, alij ignaui euadimus, pari modo in iis quæ ad cupiditates & iras pertinent, temperantes alij, & mansueti, alij

iracundi

Universidad de Deusto
Biblioteca

iracundi & intēperantes fieri conſpiciuntur
quòd hoc ſhi, quòd illo modo in illis ſe gerēt
vt vno verbo dicā, ex ſimilibus operationib
habitus fiunt, vnde operationes qualitate q
dā præditas oportet reddere, quippe cui ex ea
differentiis habitus quoq; conſequātur, non ſ
tur parum refert, ſic ne an ſic ſtatim ab ado
ſcentia conſuefcat aliquis, ſed quāplurimū
imò totum in eo penitus conſiſtit.

Quòd virtus ab exceſſu & defectu corrumpatur, ad mediocres inclinans operatiuet.

CAP. II.

QVoniam igitur præſens tractatio non
ſpeculationis cauſa, quemadmodu
aliæ (non enim ſit, vt cognoſcamus quid
virtus, ſed vt boni efficiamur: alioqui nul
eius eſſet vtilitas) neceſſe eſt, vt de actionib
quomodo agendæ ſint, conſideremus: quipp
cum in eis ſita vis ſit, vt habitus quoque pr
diti qualitate quadam reddantur, ſicuti dix
mus. Agere igitur ſecundum rectam rati
nem commune eſt, & in præſentia ita ſum
tur: dicetur autem poſtea de ipſo, & quid
recta ratio, & quomodo ad alias virtutes ſe
ſe habeat. Illúdque prius conceſſum ap
nos conſtet, omnem de agendis diſputatio
nem figura quadam, non autem exacte p
tractari oportere: quemadmodum in prin
pio etiam docuimus, cùm pro ſubiecta ma
teria rationes eſſe poſtulandas, quæque
actionibus verſantur, vtiliáque ſunt, ne
iam habere ſtabiliratem, ſicuti neque ſalubri
diceremus. Cúmque vniuerſalis ratio eiuſmo
di ſit, minus exquiſitam quoque particular

Pro ſubiecta materia rationes eſſe poſtulādas.

eſſe manifeſtum eſt: quippe cùm neque ſub artem, neque ſub præceptionem aliquam cadat debeántque illi qui agunt, ſubinde opportunitatem obſeruare: id quod in medicina, & in gubernandi arte conſpicitur. Verum licet talis præſens hæc tractatio ſit, enitendum eſt tamen, vt ei ſuccurramus. Primum igitur illud conſiderandum: res huiuſcemodi & à defectu & ab exceſſu corrumpi ſolere (opus enim eſt vt in obſcuris manifeſta adducamus teſtimonia) ſicut in viribus & ſanitate cōſpicimus. quæ enim nimium excedunt modum exercitationes, & quæ item deficiunt, vires corrumpunt: ſimili modo potus & cibi nimis vel copioſi vel tenues ſanitatem: moderata vero omnia & faciunt, & augent, & conſeruant. Idem quoque in temperantia, & fortitudine, & aliis virtutibus fit. Qui enim omnia fugit & timet, neque quicquam ſuſtinet, ignauus: qui contra nihil omnino timet, ſed omnia adit, audax efficitur. Ita etiam qui omni voluptate fruitur, à nullāq; abſtinet, intemperans: qui omnes fugit, quemadmodum agreſtes, ſtupidus quidam eſt. nam & temperantia & fortitudo ab exceſſu & defectu corrumpi, à mediocritate autem conſeruari conſueuit. At vero non ſolum generationes & incrementa & corruptiones ex iiſdem & ab eiſdem efficiuntur: verum etiam operationes in iiſdem quoq; erunt. nam in aliis, quæ manifeſtiora ſunt, res ita ſe habet: vt in viribus. nam & illæ tum ex multi cibi ſumptione, tum ex multis laboribus ſuſtinendis comparantur: & vtraque hæc præſtare maxime omnium robuſtus poteſt. Idem in virtutibus contingit: ex eo enim quòd abſtinemus à voluptatibus, efficimur temperantes:

& effecti temperantes maxime abstinere à vo
ptatibus possumus. pari ratione in fortitudi
assuescendo formidanda contemnere, & sustí
nere fortes efficimur: effecti vero, maxime a
stinere ac pati terribilia possumus.

Virtutem moralem esse circa voluptates, ac dolores

CAP. III.

SIgnum autem habituum sit vel voluptas v
ægritudo, quæ facta subsequitur. Nam qui
corporis voluptatibus abstinet, si eo ipso gau
det, temperans: si dolet, intemperans est: ex
mandus. qui item sustinet terribilia & vel gau
det, vel certe non dolet, fortis: qui autem dol
ignauus est. moralis enim virtus circa voluptá
tes dolorésque versatur: quippe cùm ob vol
ptatem mala agamus: ob dolorem vero ab ho
nestis abstineamus. Quapropter, vt Plato in
quit, ab adolescentia ita institutos esse opor
homines, vt iis gaudeát, & doleant, quibus g
dere & dolere debent: hæc enim recta erudi
est. Præterea si virtutes circa actiones & af
ctus sunt, & omnem affectum, omnémq; actí
nem sequitur vel voluptas vel dolor: iccirco v
tus circa voluptates & dolores versatur. in
cant id punitiones, quæ per dolores adhibe
turi sunt enim medicationes quædam: at me
cationes per contraria fieri consueuerunt. Pr
terea, quemadmodum etiam prius dixim
omnis animæ habitus ad ea & circa ea na
ram suam habet, à quibus deterior fieri & m
lior consueuit: at per voluptates & ægritudi
praui habitus fiunt, dum persequuntur aut
giunt homines, aut quas non debent, aut qu

Omnem affectũ, omnémq; actum sequitur voluptas vel dolor.

non debent, aut quemadmodum non debent,
aut quot aliis modis à ratione talia præscribun
tur. Vnde etiam definientes virtutes nonnulli
impatibilitates, tranquillitatésq; esse quasdam
eas asserunt: non tamen recte: quia absolute di
cunt, neque addunt, vt oportet, & quando, &
cætera quæ adiunguntur. talis igitur virtus esse
circa voluptates & dolores facultas quædam
ponitur, quæ optimas res agat: vitium autem
contrarium. De iisdem autem etiam inde esse
manifestum poterit: quòd cùm tria sint quæ in
electionem, tria item quæ in repudiationem ca
dunt, honestum, vtile, & iucundum: & tria con
traria, turpe, inutile, & molestum: circa omnia
hæc bonus vir recte agit, malus vero peccat, ac
præcipue circa voluptatem. nam & communis
hæc est animalibus, & omnia, quæ in optio
nem veniunt, consequitur: quippe cum tam ho
nestum, quàm vtile iucundum ac voluptuosum
videatur. Adde quòd ab infantia ipsa voluptas
in omnibus nobis inoleuit: vt difficile sit affe
ctum eiusmodi vitæ nostræ penè incorpora
tum atque imbibitum extergere. Quinetiam
ad regulam voluptatis & doloris actiones di
rigere alij magis, alij minus consueuimus: vt
propterea præsentem tractationem circa hæc
versari necesse sit. non enim parum ad actiones
facit benéne an male gaudeamus, aut dolea
mus. Præterea voluptati repugnare difficilius
est, quàm iræ, vt Heraclitus inquit: at circa id
quod difficilius est, semper & ars & virtus ver
satur: quod enim bene fit, melius in eo est. qua
re propter hoc etiam circa voluptates & dolo
res rerum negotium & moralis & ciuilis versa
bilitur. qui enim bene his vtetur, bonus: qui ma

Circa difficilius, semper ars, & virtus versatur.

le, erit malus. Virtutem igitur circa voluptates & dolorem versari, ab iisdémque, à quibus fit & augeri & corrumpi, cùm scilicet non eodem modo existunt, necnon circa eadem operatio, quibus ortum habet, satis dictum sit.

Quæ inter iusta agere & iuste agere differentia sit.

CAP. IIII.

DVbitaret autem quispiam quo modo dicamus iustos iusta agendo, temperantes temperantes effici oportere. nam si agunt iusta & temperantia, iusti iam sunt, & temperantes: sicut si grammatica & musica, grammatici & musici iam sunt. An neque in artibus ita se habet: quippe cùm possit grammaticus quippiam aliquis facere, vel ex fortuna, vel alio suggerente, tunc tamen erit grammaticus, si grammaticum aliquid, & grammatice faciat: hoc est ex grammatica arte, quæ in ipso est. Præterea neque simile hoc est in artibus & virtutibus. quæ enim ab artibus fiunt, id in seipsis habent, quòd bene effectæ sint: satis si quidem illud est, vt quoquo modo efficiantur. quæ verò secundum virtutes fiunt, non si aliquo modo ipsa sese habeant, continuo iuste & temperanter aguntur: sed si etiam qui agit, aliquo modo affectus agat: primum quidem, si sciens: deinde si eligens: atque eligens propter ipsa: tertio, si stabili atque immutabili affectu præditus agat. Hæc verò ad alias artes consequendas connumerari non solent, sed ipsa sola cognitio sufficit: ad virtutes autem cognitio parum, vel nihil valet: reliqua non parum, sed multum ac totum conferunt: quippe quæ ex eo etiam compara-

tur, quòd sæpe iusta & temperantia aguntur. Res igitur iustæ & temperantes dicuntur, cùm fuerint tales, quales vir iustus vel temperans ageret. iustus verò vir & temperans est, non qui hæc agit sed qui etiam ita agit, vt iusti & temperantes solent. recte igitur ex eo quòd iusta agit, iustus: & ex eo quòd temperantia, temperans fieri dicitur. non agendo autem hæc, ne fit futurum quidem esset, vt bonus quispiam evaderet. Plerique tamen cùm hæc non agant, ad disputationem confugiunt. putántque ita se philosophari, ac probos futuros: qui sanè perinde faciunt, atque ægrotantes: qui cùm medicos diligenter audiant, nihil tamen eorum, quæ ab ipsis mandantur, efficiunt. sicut igitur neque illi corpore vnquam bene valebunt, dum ita curantur: sic neque isti animo, dum ita philosophantur, bene habebunt.

De affectu, facultate, habitu, & habitum esse genus virtutis.

CAP. V.

POst hæc autem quid sit ipsa virtus, considerandum est. Quoniam igitur tria sunt, quæ in anima efficiuntur, affectus, facultates, habitus: aliquid ex iis esse virtutem necesse est. Affectus autem voco cupiditatem, iram, † exconcupiscentiam, timorem, fiduciam, inuidiam, gaudium, amicitiam, odium, desyderium, æmulationem, misericordiam: ea denique omnia quæ voluptas vel dolor consequitur. Facultates verò seu potentias eas, quibus idonei esse dicimur, vt his omnibus afficiamur: id est quibus vel irasci, vel dolere, vel misereri possumus. Sed habitus eos appello, quibus vel bene vel male

† *Mal. cod. non habent excãdescentiam.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad affectus nos habemus: vt ad iracundum
vehementer aut remisse, male: si mediocr
bene. simili modo ad reliqua. Affectus igit
neque ipsę virtutes, neque ipsa vitia sunt. N
neq; ex illis boni vel mali dicimur, sed ex v
tutibus aut vitiis. neq; ex illis laudari, aut vi
perari consueuimus. non enim qui timet
irascitur, laudatur: neq; qui irascitur absol
vituperatur, sed qui quodammodo ita affici
sed ex virtutibus & vitiis & laudamur & v
petamur. Præterea irascimur & timemus
electione: virtutes vero sunt electiones quæ
aut non sine electione existunt. Ad hæc, ex a
ctibus moueri dicimur, ex virtutibus vero &
tiis non moueri, sed quodam modo disp
Propterea neque facultates & potentiæ
† a. l. affici. quippe cum neque boni neque mali ob id d
mur, quòd absolute † agere possimus: neq
demur aut vituperemur. Adde quòd facul
præditi & potentes natura sumus: boni aut
li, sicut superius diximus, natura minime
cimur. Si ergo virtutes neque affectus sunt
facultates: habitus necessario sunt. Quid ig
sit virtus genere, ita dictum est.

De duplici mediocritate, & virtutis substantia.

CAP. VI.

OPortet autem vt non solum ita dica
habitum esse virtutem: sed qualisnam
bitus ea sit, quoque explicemus. Dicendum
igitur omnem virtutem, & ipsum id cuiu
virtus, bene affectum reddere, & opus eius b
efficere. exempli gratia, oculi virtus & ocu
ipsum, & opus ipsius bonum facit: quippe
oc

oculi virtute fiat, vt bene inspiciamus. simili
modo equi virtus & equum ipsum probum effi
cit, & ad cursum, gestandúmque sessorem, ac su
stinendos hostes idoneum. Quòd si in omnibus
ita se habet res, virtus quoque hominis nihil
aliud erit quàm habitus, ex quo & bonus homo
ipse efficietur, & bene opus suum reddet. quo
modo autem id fiet, & antea diximus, & nunc
etiam esse manifestum poterit: si qualisnam
sit natura ipsius virtutis cõtemplemur. In omni
igitur re continua ac diuisibili aliud plus, aliud
minus, aliud æquale accipere possumus: atque
hæc vel quantũ ad ipsam rem attinet, vel quan-
tum ad nos. æquale autem inter excessum &
defectum medium quoddam est. Ac rei quidem *Medium quid.*
medium id dico, quod ab vtroq; extremo æque
distat: estque vnum & idem omnibus. quantum
vero ad nos, quod neque modum excedit, neq;
deficit: istdq; non vnum & idem apud omnes est.
verbi causa, si decem plura sunt, & duo pauca:
sex media accipiunt quantum ad rem: quippe
quæ ex æquo & superent, & superentur. id quod
secundum arithmeticam rationẽ medium est.
Quantũ ad nos vero nõ ita est accipiendũ. non
enim si alicui decem minas comedere multum
est, duas parum: sex ei Alipta comedendas præ-
cipiet. nam fortasse id quoque ei qui sumptu-
rus sit, erit vel nimium vel parum: Miloni qui-
dem parum: nimium autem ei qui exercitatio-
nem incipiat. Idem in cursu & lucta consideran
dum est. Ita igitur vuusquisq; scientiæ alicuius
particeps excessum & defectum fugiens, mediũ
quærit, atq; eligit: hoc medium quidem non rei,
sed quod quantum ad nos medium est. Quòd si
omnis scientia ad medium spectans, atque ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsum sua opera dirigens ita opus bene absol-
uit vt de bene absolutis operibus illud dici co-
sueuerit, vt neque demi neque addi quicquam
posse fateamur: quasi excessus & defectus quo-
bene est, corrumpat: mediocritas conseruet. B
boni igitur artifices, vt nunc dicebamus, ad hu-
spectantes operantur: virtus vero omni arte e-
actior est & melior, quemadmodum etiam na-
tura: efficitur proculdubio vt ea medij conie-
ctrix ac collimatrix sit. De morali loquor. hæc
enim circa affectus & actiones versatur: in qui-
bus excessus & defectus & medium est: vt &
meat, & confidat aliquis, cupiat & abhorreat,
irascatur & misereatur, ac demum lætetur & do-
leat magis & minus: atq; vtraq; hæc non bene
nam quando oportet, & ob quæ, & erga quos, &
cuius causa, & vt oportet, hæc facere, mediu-
est atque optimum: id quod est ipsius virtutis
Simili modo circa actiones est excessus & defe-
ctus & medium. at virtus circa affectus actio-
nésq; versatur: in quibus excessus peccat, defe-
ctus vituperatur, medium vero & laudem & re-
ctam executionem consequitur. Hæc autem
vtraq; ad virtutem pertinent. mediocritas igi-
tur quædam virtus erit, cum medij ipsius co-
iectrix, collimatrixque sit. Præterea peccare mul-
tis modis possumus: malum enim est infiniti, v
Pythagorici coniectabant, bonum autem finita
recte agere vno vero modo tantum licet. atque
iccirco illud facile, hoc difficile est: facile siqui-
dem est à scopo aberrare, sicut ipsum attingere
difficile. ob id igitur excessus & defectus vitij
est, virtutis mediocritas. nam,

Virtutis definitio. *Simpliciter bonus est, sed malus omnimode.*
Virtus igitur est habitus electiuus in mediocri-
tate

tate quantum ad nos consistens: quæ quidem
mediocritas ratione præfinita sit: atque ita, vt
prudens præfiniret: mediocritas autem duo-
rum vitiorum, alterius per excessum, alterius
per defectum. atque eo etiam quòd vitia alia
deficiunt ab eo quod fieri debet, alia exuperant
& in affectibus & in actionibus: virtus vero me-
dium & inuenit, & eligit. Quapropter substan-
tia quidem & ratione quæ quid sit res exponit,
mediocritas: quantum ad optimum autem spe-
ctat, & quod bene se habet: extremitas virtus
est. Neque tamen omnis actio, omnisque affe-
ctus mediocritatem admittit. nonnulli enim
sunt affectus, qui statim vel ipso nomine cum
prauitate implicantur: vt maleuolentia, impu-
dentia, & inuidia: & item actiones, vt adulterium,
furtum, homicidium. omnia enim hæc & hu-
iusmodi ita appellantur, quia non excessus
ipsorum aut defectus, sed ipsa mala sunt: vt nul-
lo modo possit quispiam in ipsis recte agere, sed
peccare semper necesse sit: neque bene, aut non
bene se gerat, dum quatenus & quando, & quo-
modo oportet, adulterium committit: sed dum
absolute vnumquódque horum facit, continuo
peccet. Perinde igitur est, ac siquis iniuste, igna-
ue, intemperanterque agendo ponendam esse
mediocritatem, excessúmque & defectum cen-
seat: nam hoc modo exuperationis & defectio-
nis mediocritas, exuperationis item exupera-
tio, & defectionis defectio inueniretur. Quem-
admodum autem temperantiæ & fortitudinis
nullus est excessus aut defectus, propterea quòd
medium ipsum extremum etiam quodam mo-
do est: ita neque illorum mediocritas vlla, aut
excessus aut defectus esse potest: sed vtcunque

agantur, peccatum est. omnino enim neq; ex
perationis aut defectionis mediocritas, neq;
mediocritatis exuperatio aut defectio vlla e

Mediocritatum inter duo extrema dispositio.

CAP. VII.

AT vero non oportet solum vniuersa
hæc dicere, sed particularibus etiam
commodare. quæ enim de actionibus fiunt
sputationes, si vniuersaliter tractantur, comm
niores: si particulariter, verliores sunt. circa pa
ticularia enim actiones versantur, quibus co
sentanea esse debent quæ dicuntur. Sumen
igitur hæc ex descriptione sunt. Circa timo
quidem & fiducias mediocritas fortitudo e
eorum vero qui excedunt, ille qui intrepidu
excedit, vacat nomine: multa enim sunt, q
nomen non habent: qui confidendo exuper
audax est. at qui & in timendo exuperat, &
confidendo deficit, is est ignauus. Circa vo
ptates vero & ægritudines non omnes, sed co
porales, atq; eas maxime quæ in tactu exist
circa ægritudines autem minus, mediocri
temperantia est. excessus intemperantia. at q
non admodum inueniri consueuerunt, qu
voluptatibus deficiant, iccirco neque no
aliquod huiusce modi homines adepti sunt
stupidi appellentur. Circa dationem accep
némq; pecuniarum mediocritas est liberali
excessus & defectus prodigalitas & illiberali
seu auaritia: in quibus contrario modo ex
dunt & deficiunt homines, prodigus enim
largiendo excedit, in accipiendo deficit. au
contra excedit in accipiendo, in dando defi
Ac de his quidem nunc figura quadam ac fo
ma

matim dicimus, hac ipsa breuitate contenti:
postea accuratius de iisdé pertractabimus ac de
finiemus. Iam circa pecunias aliæ quoq; sunt di
spositiones, è quibus mediocritas magnificétia
est. nã magnificus à liberali eo differt, quòd ille
circa parua, hic circa magna versatur. excessus
est decori imperitia, seu indecorum, & ineptitu
do operatria: defectus paruificentia: quæ vitia
differunt etiã ipsa ab iis, quæ circa liberalitatẽ
sunt. quomodo vero differãt, posterius dicetur.
At vero circa honorẽ & ignominiam mediocri
tas est magnanimitas: excessus inflatio quę dici
tur: defectus pusillanimitas. Sicut autem magni
ficentiæ liberalitatẽ correspondere diximus, vt
in eo ab illa differret, quòd circa parua versa-
tur: ita magnanimitati, quæ in magno honore
versatur, alia quædã virtus correspondet, cuius
circa parua officiũ est. sit enim, vt sicut oportet,
honor appetatur: & magis etiã vel minus quã
oportet. vnde qui in appetitione hac excedit,
ambitiosus: qui deficit, inambitiosus diciturime
eius nomine vacat. dispositiones quoq; ipsę in-
nominatæ sunt: ambitiosi tantum, excepta, quæ
ambitiositas dicitur. hincque euenit, vt extremi
de media sede decertent. & nos quoq; medium
interdum ambitiosum, interdum inambitio-
sum vocitamus: & modo ambitiosum, modo
inambitiosum laudamus. Qua de causa vero
id fiat, in sequentibus dicetur. nunc autem de
reliquis eo modo quo cœpimus, pertractan-
dum est. Circa iram igitur excessus, & defectus,
& mediocritas quoque est: sed, cum nomini-
bus ferè careant, medium mansuetum, mediocri-
tatem mansuetudinem vocabimus. ex extre-
mis vero ille qui excedit, iracundus sit, & vi-
tium

rtiũ iracundia: qui deficit, iræ vacuus: & defectus iræ vacuitas appelletur. Sunt autẽ etiã aliæ tres mediocritates, quæ similitudiné quandam inter se habent, sed tamen differunt: cũm enim circa sermonum, actionũmq; communionem omnes versentur, in eo sunt dissimiles, quòd vel circa verum, quod in ipsis est, aliæ circa iucundum negocium suũ habent, quod quidem iucundum duplex, alterum in ioco, alterum in omnibus vitæ commerciis consistit. Dicẽdum igitur de his quoq; est, vt magis in omnibus mediocritatem esse laudabilẽ perspiciamus, extrema vero neque recta, neq; laudabilia, sed vituperatione digna haberi, ex his vero pleráq; nomina etiam ipsa vacant. sed tentãdum tamen sicut & cæteris, nomina quoq; his inuenire: quo & dilucidior fiat, & facilius intelligi oratio possit. Circa ea verum igitur qui mediocris est, verax, mediocritas ipsa veritas seu veracitas nũcupetur. fictio vero, si in maius quid, quàm re vera sit, tendit arrogantia, & qui eam habet arrogans. sin in minus, dissimulatio, quisque ea est præditus, dissimulator appelletur. Circa iucundũ vero, si est in ioco mediocris, facetus, & dispositio ipsa facetudo est: excessus scurrilitas, & qui eo est præditus, scurra: qui autem deficit, rusticus quidã, & rusticitas ipsi habitus dicitur, si est in cæteris vitæ commerciis, qui sicut debet iucundus est, amicus, & mediocritas amicitia: qui excedit, si nullius rei causa, obsequiosus: si ob vtilitatem aliquam suã id facit, adulator: at qui deficit, in omnibúsque inuicunde se gerit, litigiosus quidam & morosus appellatur. Sunt quoque in affectibus, & in his quæ circa affectus sunt, mediocritates quædam. verecundia enim virtus quidem

quidem nõ est, sed laudatur tamen simili modo verecundus. nam & in his alius mediocris dicitur, alius excedens, alius deficiens, atque excedens quidem quasi pauidus qui in omnibus verecundatur. deficiẽs qui nihil omnino veretur, impudens: mediocris verecundus appellatur. Indignatio quoque inuidiæ mediocritas est & malevolentia: qui quidem habitus circa illam ægritudinem & voluptatẽ versantur, quæ suscipitur ex iis quæ aliis contingunt. indignabũdus enim dolore afficitur, cùm aliquos prospera fortuna indigne vti videt, inuidus vero hunc excedens ex omnibus dolorem percipit, at malevolus tantum à dolendo deficit, vt etiam gaudeat. Ac de his quidem alius erit differendi locus. De iustitia quoque quia nõ simpliciter dicitur, postea distinguemus, ac de vtraque quomodo mediocritates sint, explicabimus, de virtutibus item rationalibus simili modo.

De virtutum ac vitiorum mutua oppositione. CAP. VIII.

CVm tres autem dispositiones sint, duo scilicet vitia, per excessum vnum, alterũ per defectũ, & virtus vna quæ mediocritas est omnes omnibus quodammodo opponũtur. extremæ enim & mediæ, & inter se contrariæ sunt. media vero extremis. nam quẽadmodũ æquale si minori comparetur, maius: si maiori, minus ita & virtus quoq; medij habitus tã in affectibus quàm in actionibus, si ad defectus spectemus, excedat: si ad excessus, deficiũt. fortis enim respectu ignaui audax: respectu audacis contra ignauus videtur. simili modo etiam temperans, si ad stupidũ referatur, intemperãs: si ad intem-

peran

Universidad de Deusto
Biblioteca

perantē. stupidus, item liberalis ad auarū co
paratus, prodigus: ad prodigum vero auar
vnde efficitur, vt extremi medium ad alter
vterq; expellant: & fortē quidem timidus a
cem, audax timidum vocet, atq; in aliis sim
modo. Cū hæc igitur ita inter sese opposita
extremis maior inter se quàm cum medio co
trarietas est, quippe cùm longius à se ma
quàm à medio distent, quemadmodum mag
à paruo & paruum à magno abest lōgius, q
alterutrum ab eo quod æquale est. Adde q
nonnullis extremis cum medio esse similitu
quædam videtur vt audaciæ cum fortitudi
& prodigalitati cū liberalitate, at extremis
ter sese maxima est dissimilitudo. Quæ vero
xime à se mutuo distant, cōtraria esse defini
tur: quare fit, vt magis cōtraria ea sint, quæ
gis distant. Iam vero medio in nonnullis de
ctus, in nōnullis excessus magis opponitur:
pli gratia, fortitudini nequaquam audacia q
est excessus, sed ignauia quæ est defectus, mag
aduersatur temperātiæ item nō stupiditas q
deficit, sed quæ excedit, intemperantia ma
opposita est. Id vero duabus de causis eue
vna est ex ipsā re: nā quia propius est & simil
medio alterū extremū, iccirco non id, sed c
trariū magis opponimus, vt quoniam simil
esse fortitudini propiorque audacia vide
ignauia vero dissimilior: ignauiam fortitu
magis opponimus, quippe cùm ea, quæ mag
medio distant, magis contraria esse videan
atque hæc vna ex re ipsa causa est. Altera e
nobis ipsis, ad quæ enim nos natura quod
modo magis sumus affecti, ea medio magis
contraria videntur: verbi causa, ad volupta

natura magis sumus affecti, iccirco ad intempe-
rātiam sumus, quàm ad modestiam procliuio-
res, hæc igitur magis contraria esse dicimus, ad
quæ maius incrementum in nobis fit: hæc pro-
pterea intemperantia, quæ est excessus, tempe-
rantiæ magis contraria est.

De præceptis quæ ad ipsum medium ducunt.

CAP. IX.

Virtutē igitur moralem mediocritatē esse,
atq; id quomodo: mediocritatémque esse
duorū vitiorū, quorum alterum per excessum,
alterū per defectū sit: necnō eiusmodi eam esse,
propterea quòd medij cōiectrix est, quod in af-
fectibus actionibúsq; existit, satis dictum est. Id-
circo probū esse etiā difficile est: quippe cùm in
vnaquaq; re mediū inuenire sit difficile, vt cir-
culi mediū deprehendere nō cuilibet, sed scien-
tis: sōlūmodo est: sic quoq; & irasci, & dare pe-
cuniā, & sumptus facere cuiuslibet est, & facile:
at cui, & quantum, & quando, & cuius causa, &
quomodo oporteat eadē hæc facere, nō cuiusli-
bet, neq; facile est: siquidē recte facere, & rarum
est, & laudabile, quemadmodū etiā honestum.
Quocirca oportet eum, qui medium coniectare
vult: primum à magis cōtrario recedere, quem-
admodum etiam Calypso ita monebat,

Sic procul à fumo, atque vndis cohibere carinam
Sin memor.

Ex extremis enim alterum magis alterum mi-
nus peccabile est. Quoniam igitur mediū asse-
qui ita exquisitè difficile est: secūda, vt inquiūt,
nauigatione minima ex malis sumenda sunt.
Id autem erit eo maxime modo, quo diximus.
Speculandum vero est, ad quæ nos procliuiores

sumus

simus quippe cùm alij ad alia natura propensi sint id quod ex voluptate & dolore qui huic euenit, facile perspiciemus: atque in contrarium nos ipsos abstrahendum. nam si procul à peccando nos ipsos remouerimus, ad medium peruenietemus, id quod qui ligna distorta dirigere facere consueuerunt. In omnibus autem affectibus & voluptate maxime cauendum est: non enim de ipsa incorrupti iudicamus. Quare ergo Troianorum proceres erga Helenam affecerunt, id nobis quoq; erga voluptatem faciendum est in omnibus: voce illorum erga ipsam vtendū. si enim ita à nobis ipsam dimiserimus, minus peccabimus. Hæc igitur faciētes, vt summatim dicam, maxime medium assequi poterimus. Quanquam id fortasse difficile admodum est, & præcipue in particularibus ac singulis. Non enim facile definire possumus quomodo, quibus, & ob quæ, & quatenus irascendū sit. Nonnunquam interdum eos qui deficiunt, laudamus, & mansuetos vocamus: interdum qui exacerbantur, insensique sunt, viriles appellamus. Qui vero parum à recte agendo siue ad maius, siue ad minus declinant nō vituperamur: sed qui multum excedūt. is enim minime latet, quousque tandem & quatenus reprehendendus aliquis sit. Definiri ratione non facile potest. non enim sensus diuersum quippiam à sensibilibus debet, cum vero in particularibus constituta sunt, & in sensu iudicium est. Hoc itaque tātum id declarat, medium habitum in omnibus esse laudabile: oportereque modo ad excessum, modo ad defectum declinare: ita enim facillime fiet, vt ad medium, rectūmque ipsum assequamur.

ARI-

ARISTOTELIS MORALIVM NICHOMACHIORVM,

LIBER TERTIVS.

SVMMÆ LIBRI.

De spontaneo, & inuito: ac de iis quæ ad spontaneum consequuntur. De fortitudine: De temperantia: ipsarum speciebus: atq; extremis.

De spontaneo, & inuito.

CAP. I.

CVm virtus circa affectus actionésque versetur, cùmque in spontaneis laudes & vituperationes, in inuitis venia, interdum etiam misericordia existat: necessarium fortasse est iis qui de virtute consyderant, spontaneum, & inuitum definire: id quod etiam iis qui leges sanciunt, ad præmia, pœnásque instituendas minime inutile est. Videntur vero inuita ea esse, quæ aut vi, aut ignoratione efficiuntur. Id autem est violentum, cuius principium extrinsecus eiusmodi est, vt ei neque qui agit, neq. qui patitur, quippiam conferat: quemadmodum si ventus aliquò, aut homines qui potestatem habeant, nos detulerint. Quæcunque autem timore malorum, † vel ob honestum aliquod

Violentum quid.

† quàm ob bonum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aguntur: vt si tyrannus aliquibus, quorum p
rentes ac liberos in potestate haberet, turpe a
quid agere iuberet, quique id agerent, salui e
sent: qui non agerent, perirent: vtrum spontan
sint, an inuita, cõtrouersum est. Tale quid etiam
in iacturis contingit, quæ in tempestatibus fiu
consueuerunt. nemo enim sponte absolute
abicit, sed ob salutem tum suam, tum alior
omnes, modo mẽtis compotes sint, facere id
dentur. Mistæ igitur huiusmodi actiones c
sint, spontaneis tamẽ magis sunt similes: quip
cum eligendæ sint, tunc cum aguntur, finis v
actionis in occasione sit, & spontaneam igit
& inuitum, quando id agit quisque, dicendu
est: agit autem sponte: principium enim mo
di instrumentarias partes in huiusce modi
ctionibus in ipso est: at quorum principium
ipso est, ea agere vel non agere in ipso quo
est situm, spontanea igitur huiusce modi fu
simpliciter vero inuita: quippe cùm tale qu
piam per se eligat nemo. Ob actiones autẽ h
iusce modi interdum etiam laudantur homi
cum pro magnis & honestis rebus turpe
quid, aut molestum sustinuerit: si vero ecom
rio, vituperantur, nam turpissima sustinere
lius honestæ, aut mediocris rei causa, malõ
Ob nonnulla vero laus quidem minime, sed
nia exhibetur: cùm ea quæ non debet, agit q
piam ob eiusmodi, quæ & humanam natur
excedunt, & à nullo sustineretur, quædam
tem fortasse sunt, ad quæ perpetranda nemo
gi, compellive potest: sed potius extrema qua
pati, ac mori conuenit. etenim ridicula ea
quæ Euripideum Alcmæonem ad matrem
terficiendam compulerunt. Sed difficile inte

est iudicare, quale pro quali eligendum, ac quid
pro quo sustinendum sit: difficilius etiam in iis,
quæ decreuerimus, persistere. vt plurimũ enim
quæ expectantur molesta: quæ vero cogũt, tur-
pia sunt. vnde & laudes & vituperia iis contin-
gere consueuerunt, qui vel fuerunt, vel non fue-
runt, coacti. Qualia igitur esse violenta dicenda
sunt? An simpliciter cùm & causa extrinsecus
fuerit, & qui agit, nihil contulerit: quæ vero li-
cet per se inuita sint, nunc tamen & pro his eli-
genda fuerint, principiúmque in agente habue-
rint: ea per se inuita, nunc autem & pro his spon
tanea sunt? simillimè sunt spontaneis similia, actiones
enim circa particularia fiunt: hæc autem spon-
tanea sunt, quoniam igitur differentiæ multæ
in particularibus existunt: qualia pro qualibus
eligenda sint, definiri non facile potest. Quòd si
quispiam & iucunda & molesta esse violenta id-
circo dixerit, quòd extrinsecus sint, & nos co-
gantis efficiet, vt ea ratione omnia sibi esse vio-
lenta vnusquisque putet: quippe cum horũ cau-
sa omnia omnes agant: alij violenter & inuiti
ob molestum: alij ob iucundum cum voluptate.
Sed ridiculum sanè est in externa potius cau-
sum referre quàm in seipsum, quòd huiusce mo-
di rebus facile capiatur: & honesta sibi, turpia
iucundis ascribere. Videtur autem violentum *Violentum quid*
id esse, cuius principium extrinsecus est, nihilq;
ad id confert ille qui cogitur: at quod ob igno-
rationem fit, non spontaneum quidẽ omne est:
sed inuitum id est, quod vel dolorem vel pœni-
tentiam affert. qui enim cum ex ignoratione
quispiam egerit, factum minime ægre ferens:
sanè neque sponte egit, id quod ignorauit: neq;
inuitus, cùm non doleat. ex iis igitur, qui ea

Universidad de Deusto
Biblioteca

ignoratione agunt, quem facti pœnitet, feciſſe inuitus videtur: quem non pœnitet, quia tamen diuerſus eſt, nō ſponte egiſſe dicatur, nam qui differt, melius eſt vt nomen quoque proprium habeat. Diuerſum quoque eſt, ex ignoratione agere, ab ignorantem agere. qui enim vel ebrius eſt, vel iratus, non videtur ex ignoratione agere, ſed ob aliud quippiam ex iis quæ dicta ſunt: quippe cùm non ſciens, ſed ignorans agat. Vnuſquiſque igitur prauus quid agendum, à quibuſque abſtinendum ſit, ignorat: ob hanc huiuſcemodi errorem iniuſti, & omnino mali homines efficiuntur. Inuitus igitur dici debet, non ſi quis ignorat id quod conducit: non enim ignoratio, quæ in electione conſiſtit, inuiti eſt cauſa, ſed prauitas: neque ea quæ eſt vniuerſalis: quippe cùm odiam homines vituperentur, ſed ea, quæ circa particularia verſatur, in quibus & circa quæ actio exiſtit. In his enim & miſericordia & venia locum habet: nam qui horum aliquid ignorat, is ſanè inuitus agit. Melius autem fortaſſe eſt vt hæc quænam, & quot ſint, explicemus, considerandum igitur eſt, quis, & quid, & circa quid aut in quo agat: interdum etiam quo, vt inſtrumento: & cuius cauſa, vt ſalutis: & quomodo, vt ſenſim an vehementer. hæc enim omnia niſi ſanus ſit, nemo ignorat: ſed neque ipſum agentem: quo pacto enim ſe ipſum ignorauerit quiſpiam? ignorare tamen id quod agit aliquis poteſt: exempli cauſa, cùm lapſos ſe dicendo eſſe inquiunt, aut ignoraſſe arcanum eſſe: vt Aeſchylus myſteria: aut oſtendere volentes emiſſiſſe, vt catapultam, exiſtimare etiam aliquis filium eſſe hoſtem poſſet, vt Merope: & mucronatam haſtam retuliſſe: & lapidem eſſe pumicem, poſſe

Diuerſum eſt ex ignoratione & ignorante agere.

poſſet: item quis ſalutis cauſa verberans ac feriens interficere: & monſtrare volens, quemadmodum faciunt ij qui ſummis manibus certāt, percutere. Cùm in omnibus igitur his, in quibus eſt actio, ignorantia contingat: fit, vt qui aliquid ex his ignorauerit, inuitus egiſſe videatur, atque id in præcipuis maxime, præcipua autem eſſe ea videntur, in quibus ipſa actio eſt, & id cuius cauſa quippiam fit. Oportet tamen, vt actio hæc quæ ex tali ignoratione inuoluntarie facta eſſe dicitur, dolorem ac pœnitentiam afferat. Cùm igitur inuitum ſit, quod vel vi vel ignoratione agitur: ſponteneum illud eſſe videbitur, cuius principium eſt in eo qui agit, particularia cognoſcente in quibus actio conſiſtit. Fortaſſe enim non recte dicuntur in vita ea eſſe, quæ vel ex ira, vel ex cupiditate efficiuntur. Primum enim nullum ex aliis animalibus ſponte agit: ſed neque pueri. Deinde, vtrum nihil ex iis quæ vel ex cupiditate, vel ex ira agimus, ſponte faciemus? an honeſta ſponte, turpia inuiti agemus? An id ridiculum exiſtimandum eſt, cùm vna cauſa vtrorumque ſit. Abſurdum fortaſſe etiam eſt, inuita ea eſſe dicere, quæ oportet appetere, oportet autem & ob aliqua iraſci, & nonnulla appetere, vt ſanitatem, & diſciplinam, videntúrque ea quæ inuita ſunt, moleſta: quæ ex cupiditate fiunt, iucunda eſſe. Præterea quid interest inter ea quæ ex ratione, aut ex ira peccamus, ad hoc vt inuiti feciſſe videamur: fugienda enim ambo ſunt: videntúrq; irrationales affectus nihilominus humani eſſe actionéſque ipſius hominis ab ira, & cupiditate proficiſcuntur: vt abſurdum ſit inuita hæc exiſtimare.

Spōtaneum quid.

Oportet aliquando nata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De electione.

CAP. II.

CVm quid sit spontaneum, quidq; inuitum definiuerimus: sequitur vt de electione differeramus: quippe quæ & virtuti maxime affinis, & magis quàm actiones mores ipsos indicare videatur. Electio vero spontaneũ quodam esse apparet: non idem tamen prorsus est spontaneum enim latius patet: nam & spontaneum cum pueris & reliquis animalibus commune est, electio minime: & quæ de improviso fiunt, spontanea sunt, non autem ex electione. Qui vero eam vel cupiditatem, vel iram, vel voluntatem, vel opinionem quandam esse affirmant, non recte dicere videntur: electio enim non est communis nobis cum brutis, sed cupiditas & ira, est. Et incontinens cum cupiditate quidem agit, non tamen cum electione: continens contra cum electione, & non cum cupiditate. Adde quòd electioni cupiditas aduersatur: cupiditas autem cupiditati minime. Cupiditas præterea iucundi & molesti est: electio neq; iucundi, neq; molesti. Sed ira quoq; esse multo minus videtur: minime enim quæ ex ira fiunt, ex electione facta esse existimantur. At vero nec voluntas vllo modo est: licet proxima ei esse videatur. electio siquidé eorũ minime est, quæ fieri non possunt: quæ siquis diceret se eligere stolidus esse videretur: voluntas vero est, vel immortalitatis voluntas præterea est eorum etiam quæ nullo modo ab eo qui vult, agi queunt: vt histrionem aliquem, aut athletam victorem audere. cuiusmodi sanè nihil quisquam eligit, sed ea solummodo quæ ex sese fieri posse existimauerit. voluntas præterea finis magis est: electio vero eorum quæ ad finem spectant, vt, sani esse volumus: eligimus vero ea, quibus sani esse valeamus. felices quoq; esse volumus, atq; ita dicimus: dicere vero, eligimus felices esse, minime conuenit. omnino enim in iis esse electio videtur, quæ in nostra potestate sita sunt. Verum neq; opinio est. opinio enim circa omnia versatur, nec minus circa æterna, & quæ fieri nequeãt: quàm quæ in nostra sita sunt potestate. adde quòd vero & falso, non bono & malo distinguitur at electio his magis. In vniuersum vero esse idem cum opinione electionẽ fortasse neq; diceret quispiã: sed ne cum aliqua quidem in particulari. bona etenim aut mala eligendo qualitate quadã affecti sumus: opinando autem minime. Et eligimus capere aliquid, aut fugere, aut eiusmodi quippiã: opinamur vero quid sit aliquid, aut cui, aut quomodo conferat, sed accipere vel fugere non admodum opinamur. & electio quidem laudatur, eò quòd eius est, cuius esse magis oportet, aut quòd recta est: opinio, quia est vera. Quæ ité maxime scimus esse bona, eligimus: quę nõ admodũ scimus, ea opinamur. videntur q; non idem optima & eligere & opinari: sed nonnulli sunt, qui melius opinantur, ob vitium tamen ea quæ non decet, eligere consueuerunt. Antecedat autem an sequatur electionẽ opinio, nihil interest: non enim id nunc consyderamus: sed an idem cum opinione aliqua electio sit. Quid igitur aut quale est electio, quando nihil eorum est quæ dicta sunt? spontaneum sanè esse quoddã videtur. non omne tamen spontaneum eligibile est: sed id scilicet, quod est præconsultatu: quippe cum electio cu

Universidad de Deusto
Biblioteca

propositum cum ratione, ac cogitatione exstat. id quod significare nomen etiam ipsum videtur, quasi id quod eligitur seu proponitur, ac aliis legatur, ponaturve ante alia.

De consultatione.
CAP. III.

VErum cõsultántne de omnibus hominesque quodlibetque est consultabile: an de quibusdam non est consultatio? Sed fortasse consultabile id dicendum est, de quo mentis compos vir, non quiuis vel stolidus vel insanus consultaret. De æternis autem nemo consultat: vt de mundo, aut diametro & latere, quòd nulla inter se æquabilitate conueniant: at neq; de iis quæ semper motu quidem sunt, sed semper tamen circa eadem versantur, siue necessitate, siue natura, siue aliqua alia de causa: vt de solstitiis, atque ortibus: neq; de iis quæ alias aliter eueniunt: vt de siccitatibus, & imbribus: neq; item de iis quæ fortuna contingunt: vt de thesauri inuentione. Sed neq; de humanis omnibus cõsultamus: vt ubi causa quomodo Scythæ optime administrare res remp. possint, nullus ex Lacedæmoniis consultat: nihil enim ex his ciusmodi est, vt agi per nos ipsos valeat. Consultamus autem de agendis rebus, atq; iis quæ in nostra sitæ sunt potestate: hæc enim restãt: quippe cum causæ nullæ aliæ esse videantur, quàm natura, & necessitas & fortuna: mens præterea, atq; omne id quod per hominem agitur. vnusquisq; autem de iis, quæ per ipsum agi possunt, consultet. Ac circa quidem exquisitas ac certas scientias, easq; quæ ex se sibi sufficiunt, nulla consultatio est: vt de literis

tersit: non enim dubitamus, quomodo scribendum sit. Sed de iis, quæcunq; per nos fiunt, neq; semper eodẽ modo eueniunt, cõsultamus. vt de iis quæ ad medicam artem spectãt, & pecuniariam: atq; eò magis etiam in gubernandi arte deliberamus, quàm exercitatoria, quàto minus exacta, atq; exquisitis rationibus constat. ac simili modo de reliquis. Magis etiam in †artibus quàm in scientiis consultatio est: eò quòd in ipsis magis ambigere consueuimus. Consultatio autem de illis est, quæ vt plurimum quidẽ fiunt incerta tamen sunt quomodo euadant: & in quibus indeterminatio existit. Ad magnas vero res consultores etiam adhibere consueuimus, nobis ipsis diffidẽtes, quasi sufficere ad discernendã veri nequeamus. Ac cõsultamus quidem non de finibus, sed de iis quæ ad finem tendunt: nam neq; medicus an sanare: neq; orator an persuadere: neq; ciuilis an bene legibus instituram patriã reddere debeat: neq; ex aliis quispiam de fine consultat. sed omnes, cùm finem quendã statuerint, quo modo ac per quæ euenire is possit deliberant: siq; is per plura fieri posse videatur, per quòdnam facillime atq; optime fieri queat, considerat. si per vnum, quo modo per id effici recte valeat: & illud itẽ per quid, atq; id tandiu per, donec ad primam causam deueniat: id quod in inuentione extremum est. Qui enim cõsultat, quærere videtur & resoluere prædicto modo, quemadmodum designationem. Non quælibet autem quæstio consultatio est, vt mathematicæ: sed quælibet tamen consultatio inquisitio est. & quod extremũ est in resolutione, id generatione esse primum videtur. at que hi cum in in rem quæ fieri nequeat, incide-

† *4. Lapsus rubius.*

Non consultamus de finibus, sed de iis quæ ad finẽ tendunt.

Extremum in resolutione, in generatione videtur esse primum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rint, desistátve si pecuniis opus sit earumq; petitio nullo modo appareat: si vero fieri posse videatur, eam aggrediuntur. fieri autē ea dicuntur, quæ per nos fieri possunt: nam quæ per amicos fiunt, per nos quodā modo fieri putantur: quippe cùm principiū in nobis sit. Quæruntur autem interdum instrumenta, interdum vsus ipsorum. simili modo quoque in reliquis interdum per quod, interdū quo pacto, aut per quid quippiā fieri debeat. Videtur autē, quemadmodum dictum est, homo esse actionū principium: consultatio vero de iis esse, quæ ab ipso homine agi queunt: actiones autem aliorum causa fiunt. non est igitur consultabilis finis: ea in consultationem veniunt, quæ ad finem ipsum spectant: neque hæc tamen particularia: vt, an panis hoc sit, vel subigatur, vel qualibet affectus sit, vt oporteat ad sensum enim hæc pertinent. nam si semper consultaret quispiam, infinite progrederetur. Consultabile autem & eligibile idem est: nisi quòd eligibile definitū iam est: quippe cum nihil aliud sit, quàm id quod ex deliberatione ante positum fuerit. definiunt vnusquisque tunc inquirere quo modo & vbi agendum sit, cùm in se ipsum principium duxerit, in eámque sui partem, quæ principatum obtinet: ea enim est quæ eligit. Hoc autem ex antiquis etiam rebus publicis manifestum est, quas Homerus imitabatur. nam reges ea quæ elegerant, ad populum referebant. Consultabile igitur eligibile nihil aliud sit quàm consultabile appetibile eorū quæ in nobis sunt: & electio quoq; eorum quæ in nobis sunt consultationis peritio erit. simul enim atq; consultauimus, iudicamus: atq; inde secundum † cōsultationem

† a. l. voluntatem.

appetimus. Circa quæ igitur versetur electio, quodq; eorum sit, quæ ad fines tendunt, figura dictum iam sit.

De voluntate, & eo quod est voluntate appetibile.

CAPVT IIII.

VOluntatem vero finis ipsius esse, dictum iam est: quæ sanè nonnullis videtur boni ipsius esse, nonnullis apparentis boni. sed euenit, vt & illis qui bonum esse voluntate appetibile asserunt: id quod vult is, qui non recte eligit, non sit voluntate appetibile: nam si est voluntate appetibile, erit continuo etiam bonum: at malum forte est: & illis qui bonum apparens voluntate appetibile esse inquiunt, nihil sit natura voluntate appetibile: sed quod vnicuique ita visum fuerit. at aliud aliis videtur: & aliquando etiam si ita inciderit, contraria apparent. Quòd si hæc non placent, nunquid dicendum, simpliciter quidem ac reuera voluntate appetibile esse id quod est bonum: vnicuique vero id, quod videtur vnicuique: ac probo, quidem, quod re vera etiam est, videri improbo, quodcunque inciderit, quemadmodum etiam in corporibus euenit: bene enim affectis salubria ea sunt, quæ re vera sunt eiusmodi: morbo correptis diuersa. simili modo amara, & dulcia, & calida, & grauia, & id genus reliqua. singula enim probus vir recte iudicat: & in singulis verum ipsi apparet. In vnoquoque enim habitu propria quædam & honesta & iucunda sunt, & in singulis plurimum fortasse probus vir in dignoscendo eo quod verum est, differt: quippe qui tanquam regula ac mensura ipsorum

sit:

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit: pleriſq; autem è vulgo hominibus decep-
surrepere ob voluptatem videtur: quibus ſ-
cet voluptas, licet non ſit, bonum tamen ap-
ret. eligunt enim iucunditatem quaſi bona-
dolorem quaſi malum fugiunt.

De iis quæ in noſtra ſunt poteſtate.
CAP. V.

CVm igitur voluntate appetibilis finis ſ-
conſultabilia autem & eligibilia ea quæ a
finem ſpectant: actiones quæ circa hæc fiun-
ex electione, & ſponteneæ etiam proculdub-
ſunt. at virtutum operationes circa hæc ver-
tur efficitur igitur, vt virtus quoq; in nobis &
militer vitium ſit. In quibus enim in noſtra p
teſtate ſicum eſt agere, ſitum eſt etiam non ag
re: & in quibus non agere, ſimili modo etiam
gere. quapropter ſi agere cùm honeſtum ſit,
noſtra eſt poteſtate, non agere quoq; cùm tu
pe ſit, in nobis erit collocatum. ſi item non ag
re, cùm honeſtum ſit, in nobis eſt, agere quoq
cùm turpe ſit, erit noſtræ facultatis. Quòd ſi h
neſta agere & turpia, & ſimili modo non ag
in noſtra eſt poteſtate: id autem erat, vt bonī
mali ſimus: in noſtra poteſtate quoque erit
& frugi ſimus, & nequam. Nam dicere ne
nem neque ſponte improbum, neque inui
beatum eſſe, alterum falſum eſſe, alterum ve

Nemo beatus inuitus euadit.

videtur: quippe cùm beatus nemo inuitus ea
dat: improbitas vero ſpontanea ſit. Alioqui
quæ nunc dicta ſunt, repugnandum eſt: dice
dumq; hominem principium minime eſſe, ſu
que actionum ſicut filiorum eſſe generatore
Quòd ſi hæc videntur, neque in alia princip
refer

referre actiones noſtras poſſumus, quàm in ea
quæ in nobis ſunt: quorū principia in nobis ſunt
etiam ipſa in nobis eſſe, & ſponanea neceſſe eſt.
His atteſtari & priuatim ſinguli, & ipſi legum-
latores videntur: qui eos, qui mala perpetrant,
caſtigant ac puniunt, ſi tamen neq; vi coacti ea
egerint, neq; ex ignoratione, cuius ipſi ſibi cau-
ſam non exhibuerint: eos autem qui honeſta a-
gunt, honoribus proſequuntur: vt & hos inci-
tent, & illos prohibeant. Atqui ad ea, quæ neq;
ſponanea ſunt, neq; ſunt in nobis, agenda hor-
tatur nemo: quippe cùm nihil antiquum ſit, vt
perſuaſi ſimus aut calefieri, aut dolere, aut eſuri-
rire, aut quoduis aliud eiuſmodi: nihilo enim
minus ea patiemur. Nam ob ignorationem e-
tiam puniunt, ſi ſibi ipſe ignorationis cauſa
quiſpiam fuiſſe videatur. Vnde ebriis duplices
pœnæ inſtitutæ ſunt, in ipſo enim qui inebria-
tur principium eſt: cùm ſui quiſque in eo domi
nus ſit, vt non inebrietur: id quod ignorationis
eſt cauſa. Eos quoq; puniunt, qui aliquid eorum
ignorant, quæ ad leges pertinet: quæ quidem
& ſcirī debeant, & difficilia non ſint. Simili mo
do etiam in aliis, quæcunque ignorate per ne-
gligentiam videntur, eò quòd in ipſis ſit non
ignorare: quippe qui adhibendæ diligentiæ do-
minus ſint, ac poteſtatem habeant. Sed fortaſſe
eiuſmodi aliquis eſt, vt diligentiam non adhi-
beat. at vt eiuſmodi ſint homines, atq; & iniuſti
& intemperantes euadant, ipſi in cauſa ſunt: dū
& diſſolute ac remiſſe viuunt, & maleficia per-
petrant, & in compotationibus, talibusq; aliis
libidinibus ætatem degunt. operationes enim,
quæ circa ſingula ſunt, tales homines reddunt.
& que hoc ex iis eſſe manifeſtum poteſt, qui ad

quodl

quodlibet certamen, aut actionem sese ex
id enim operari assidue solent. ignorare ig
ex operationibus circa singula habitus ex
valde stupidi hominis est. Absurdū prau
est, & cum qui iniuste agit, iniustum esse
& eum qui intemperanter, intēperantem
quis non ignorās ea agit, ex quibus iniust
ficitur: sponte iniustus est. non tamē si vol
iniustus esse desinet, & iustus erit. Nam
qui ægrotat, sanus efficitur: licet, si ita cōti
sponte ægrotet tum intēperanter viuendo,
medicorū præceptis non obtemperādo: ve
tunc quidem licebat ei non ægrotare: vbi
semel neglexit, non amplius licet. Quem
dum neq; qui lapidem proiecit, resumere
amplius potest, quamuis in eo emittend
proiiciendi facultas fuerit: principium e
ipso erat: eodem modo quoq; & iniusto
temperanti à principio licebat non esse
di: vnde sponte eiusmodi sunt: vbi vero
tales euaserunt, non amplius non esse ta
licet. Sed neq; animi solum vitia spōtanea
verū corporis etiā in nōnullis, quos scilic
crepare consueuimus. qui enim natura
mes sunt, eos reprehēdit nemo: sed illos qu
otium & negligentiā tales euaserunt: simili
do si turpitudo vel ex infirmitate, vel ex
bri alicuius mutilatione cōtigerit, nullus
ei, qui vel natura, vel ex morbo, vel ex v
factus sit cæcus, cæcitatem exprobrabit, sed
ferebitur potius: at eum obiurgant omnes
ex temulentia, vel alia quapiam intēper
excæcatus fuerit. atq; ita fit, vt vitia cor
quæ in nostra potestate sunt, vituperentu
non sunt, minime. quòd si ita est, in aliis q

vitia, quæ reprehenduntur, in nostra erunt pote
state. Quòd siquis dixerit: omnes id appetunt,
quod bonum esse ipsis videtur: visionis autem
dominium habet nemo: sed talis vnicuiq; finis
apparet, qualis quisque est. Verum si vnusquis-
que habituum sibi quodam modo in causa est,
visionis quoq; quodammodo erit: sin autem ne
mo sibi est in causa, vt mala faciat, sed ex igno-
ratione finit ea agit, ex litq; summū bonum cō
sequuturū existimat: appetitio vero finis mini-
me spontanea est, sed oportet vt vnusquisq; ido
neus natus sit, habeátq; quasi visum, quo recte
valeat discernere, & id quod vere bonum est eli
gere: siq. is est bono ingenio præditus, cui bo-
na hæc naturæ affectio insita est: quod enim ma
ximum est, & pulcherrimum, quòdque ab alio
accipere aut discere nullo modo licet, id quale
natura est, tale ipse habebit: atque ita quidem
bene & recte natura esse affectum ipsa erit per-
fecta ac vera naturæ habilitas atque aptitudo.
Si inquā hæc vera sunt, cur magis virtus quàm
vitium sponte acquiratur, non video. vtrinque
enim tam bono, quàm malo simili modo finis
vel natura vel quomodocunque & apparet, &
statuitur ad quem postea cætera referētes quo-
modocunque agunt. siue igitur finis non natu-
ra vnicuique apparet, qualiscunq; is sit, sed ali-
quid etiam apud ipsum est: siue naturalis qui-
dem finis est, quia tamen reliqua probus vir
sponte agit, virtus spontanea est: nihilominus
vitiū quoq; spontaneum sit, necesse est. nam si-
militer quoque malo in actionibus inest facul-
tas, vt ex sese agat: etiam si in fine non sit. Si
ergo quemadmodum dicitur, spontaneæ sunt
virtutes: habituum enim coauctores quodam

modo

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo nos sumus, ex eoq; quòd sumus qualis-
te quadam affecti talem etiam finem statuim-
vitia quippe quæ simili ratione efficiantur, p-
etiam spontanea erunt. Ac communiter q-
de virtutibus à nobis dictum est: genúsq; ip-
rum figura quadam, id est, ipsas mediocrita-

† a.l. ex qui bus. esse, atq; habitus: † à quibus item fiant: ad
sásq; agendas idoneos esse homines secund-
Ipsas: in nobisq; etiam eas esse, & spontanea-
atq; ita demũ, vt recta ratio præscripserit. N-
simili autem modo actiones spõtaneę sunt,
habitus. actionum enim à principio vsq; ad
nem domini sumus, cum singula quæq; cog-
scamus: at habituum principij tantum facul-
in nobis est: singulorum autem additio non
ta: quemadmodum in ægrotationibus. quo-
tamen in nostra erat potestate vel ita, vel
ita vti: etiam habitus ipsi spontanei sunt.

De fortitudine, & forti.
CAP. VI.

SEd iam repetita oratione, de singulis vir-
tibus, quænam sint, & quales, & quo mo-
differamus: ita enim fiet, vt etiam quot sint,
cile cõstet. Ac primum dicamus de fortitud-
quam quidem esse mediocritatem quæ circa
mores fiducias q, versetur, superius dictum i-
est. Timemus autẽ ea scilicet quę terribilia s-
ea vero sunt, vt simpliciter dicamus, mala: v-
etiam timorem expectationem mali esse d-
niunt. ac timemus quidem mala omnia: vt
famiam, paupertatem, morbum, solitudine
amicorũ, mortem. Non circa omnia tamen
vir fortis videtur: quippe cum nõnulla omnin
tim-

timere debeamus, quæ & timere honestum, &
non timere turpe est: vt, infamiã, qui enim eam
timet, modestus ac verecundus: qui non timet,
impudens est. à nonnullis tamen per translatio-
nem fortis appellatur: cùm simile quid cum for-
ti viro etiam ipse habeat. nam etiam fortis in-
trepidus quidam est, timorémque vacuus. Paupe-
tatem autem fortasse timere non licet, neq; mor
bum, neque omnino quippiam, quod neq; à vi-
tio proficiscatur, neque per nos ipsos fiat. Sed
neque qui in his est intrepidus, fortis est: sed ex
similitudine tamen fortis dicitur. nonnulli si-
quidem sunt, qui licet in bellicis periculis sint
timidi: liberales tamen sunt, & in abiiciendis
pecuniis fidẽter se gerunt. Neq; præterea si quis
filiorum aut vxoris contumeliam, aut inuidiã,
aut tale quippiam timet: is timidus est: neque
fortis, si flagris cædendus confidit. Circa qualia
igitur terribilia fortis versatur? An circa maxi-
ma. nemo enim tolerantior malorum est. mors
autem maxime omnium rerum est horribilis:
quippe cum terminus sit nihilque amplius ho-
mini mortuo neq; bonum, neq; malum esse vi-
deatur. Sed neq; circa mortem quamlibet ver-
sari fortis videtur: vt si in mari, vel morbo con-
tigerit. Circa qualem igitur versabitur? An cir-
ca eam, quæ in pulcherrimis rebus contingit:
cuiusmodi sunt, quæ in bello oppetuntur: in ma
ximo scilicet, & pulcherrimo periculo. His con-
sentiunt etiam honores, qui & à ciuitatibus, &
à regibus instituti sunt. Ille itaque proprie vir
fortis dicetur, qui circa præclaram mortẽ im-
pauidus fuerit, circáq; ea quæ mortem afferunt,
cum proxima sunt. eiusmodi autem maxime
sunt, quæ in bello occurrere consueuerunt. Ve-

Mors maxime omnium rerũ est horribilis.

runtamen & in mari & in morbis vir fortis impauidus est: non ita tamen, vt maritimi homines: hi enim desperata salute sua ægre eiusmodi genus mortis ferunt: illi bona spe ob nauigandi peritiam freti sunt. Fortes præterea in his virtuter se gerunt, in quibus vites spectantur, aut præclarum est mori: quorum neutrum in talibus generibus necis existit.

De terribilium diuersitate, & fortitudinis extremis.

CAP. VII.

ID autem quod terrorem incutit, non omnibus est idem: dicimúsq; aliquid supra hominem esse: quod quidem vnicuique suæ mentis homini terribile est. at quæ hominem non excedunt, magnitudine differunt, & eo quod magis vel minus efficiúntur. simili modo ea quæ fiduciam nobis afferunt. Fortis autem vir, vt homo, erit interritus: timebit tamen etiam ipse huiusmodi mala. sed vt oportet tamen, & vt ratio præscribit, honestatis causa sustinebit, ac feret: quippe cùm hic finis virtutis sit. efficitur autem vt magis & minus hæc timeamus: item vt ea quæ non sunt terribilia, quasi terribilia sint, timeamus. Peccatúq; committuntur aliud cùm timemus ea quæ non oportet, aliud cùm nō sicut oportet, aliud cùm non oportet, vel aliquid eiusmodi, similiter quoq; circa ea quæ fiduciam afferunt. Qui igitur ea quæ oportet, & cuius causa oportet, & vt oportet, sustinet, ac timet, & simili modo etiam cōfidit, fortis est: quippe cùm † pro dignitate & sicut ratio præscribit, fortis vir & patiatur, & agat. Finis autē vniuscuiusq; operationis est, qui secundum habitum existit. at viro forti fortitudo ipsa honesta res est: talis igitur

† al. ex tabulis.

igitur erit etiam finis: quippe cùm sine singula definiantur: honestatisque causa fortis vir sustineat, atq; agat ea quæ ex ipsa fortitudine sunt. Ex illis vero qui exuperant, qui intrepiditate excedit, nomine vacat: multa enim huiusmodi nominibus vacare superius à nobis dictum est: posset tamen esse insanus quidam, atq; indolēs, siquidem neq; terræ motus neq; undationes timeat id quod Celtæ facere dicunt. At qui confidendo in terribilibus rebus excellit, audax est: qui quidem audax & arrogans esse, & fortitudinis affectator videtur. sicut enim ille circa formidabiles res se gerit, ita hic ipse videri vult: in quibúsq; potest, illum imitatur. vnde efficitur, vt pleriq; ex ipsis timidi audaces sint: in his enim audaciter se gerentes formidolosa non sustinēt. Qui autem timēdo excedit, is est ignauus: nam & quæ non oportet, & sicut non oportet, timet: & reliqua eiusmodi omnia ipsum consequuntur. confidendo etiam deficit, sed in doloribus excedens magis est manifestus: quippe cùm desperabundus quidam sit, ignauus: omnia enim timet. econtrario fortis: confidere enim bene sperantis hominis est. Circa hæc igitur & ignauus & audax & fortis versantur: diuerso tamen modo. illi enim excedunt, & deficiunt: hic mediocriter se gerit, atq; vt oportet. atque audaces quidem præcipites sunt, volúntq; ante ipsa periicula perielitari. in ipsis vero constituti absistunt: sed fortes in operibus ipsis acres ac celeres, antea quieti sunt. itaq; sicut dictum est, fortitudo mediocritas est circa terribilia, & ea quę fiduciam afferunt, in iis rebus, quas diximus: & ea ide causa quia honestum est, eligit, ac sustinet vel quia id nō facere turpe est. Mori autem

vt vel paupertatem, vel amorem, vel morbum quippiam fugiamus, fortis viri minime est, sed potius timidi: quippe cum laboriosa fugere imbecillitatis sit. neque hanc mortem sustinet quispiam quia honestum sit, sed vt malum euitet ac fugiat. fortitudo igitur tale quippiam est.

De quinque modis fortitudinis non vera.
CAP. VIII.

Dicuntur autem etiam aliæ fortitudines quinque modis. Primum ciuilis: maxime enim ea similis est: quippe cùm ciues turn ob mulctas & opprobria, tum ob honores leges instituto pericula subeant: atq; ob id fortissimi esse videantur illi, apud quos ignaui ignominia, ita fortes honore afficiuntur. tales etiam Homerus inducit vt Diomedem, & Hectorem.

Nam miles Polydamas faciet commixta priorem.

& Diomedes:

Sic aliquando inter Troas iactabitur Hector
Tydides metuens à me est mœstra fugatus.

Atque hæc quidem fortitudo illi maxime, quæ prius dicta est, assimilatur, propterea quòd ex virtutem existit: ob verecundiam siquidem & honesti appetitionem, honoris scilicet, & opprobrij, quod turpe est fugiendi causa. Eodem pertinere etiam eos quispiam posset, qui ab iis, qui principatum obtinent, coguntur: peiores tamen in eo sunt, quòd non ob pudorem, sed ob timorem id faciunt: atque vt non quod turpe, sed quod molestum est, fugiant. cogunt enim illi, qui potestatem in alios habent: vt Hector:

Si vero pugnam quem detrectare videbo:
Is certe nulla poterit ratione cauere.

Quin armis, cumbúsque obuiis prada voretur.

Et qui imperant, & si recesserint, verberât, idem faciunt: necnon qui ante fossas, vel tale quippiam acies instruunt: omnes enim cogunt. Verum non ob necessitatem, sed ob honestatem fortem esse oportet. Videtur autem vnusquisque etiam vel experientia fortitudo quædam esse. vnde etiam Socrates fortitudinem esse sciê tiam existimabat. Ac tales quidem alij aliis in rebus sunt: in bellicis vero milites: quippe cùm multæ vanæ res belli esse videantur, quas ipsi maxime exploratas habent. vnde ob id fortes videntur, quia cuiusmodi res illæ fiant, alij ignorant, atq; ita & subire eas, & nihil pati ex peritia militari maxime possent. Item & cauere, & per cutere, cùm armis vti valeant, eáq; habeant, quæ & ad faciendum & non patiendum maxime idonea sunt, vt cum aliis quasi inermibus arma ei, & quasi certandi imperitis athletæ ipsi decertent. In huiusce modi enim certaminibus non fortissimi quique pugnacissimi etiam sunt: sed qui robore maxime præditi sunt, corporáque optima habent. Nam milites timidi tunc effluuntur, cùm vel creuerit periculum, vel copijs & apparatibus destituuntur: primi enim fugiunt. At ciuilis exercitus manet, moriémque oppetit. Id quod in Hermæo contigit: huic enim turpe est fugere, mórique huiusce modi saluti antepo-nenda. illi vero initio tanquam superiores periculis scie exponunt: cognita deinde re fugiunt, mortem magis quàm turpitudinem metuêtes. sed vir fortis talis minime est. Et item quoque in fortitudinem retulerunt. fortes enim videntur esse illi etiam, qui iracunde perinde ac feræ contra vulnerantes feruntur, propterea quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

fortes iracundi esse consueuerunt, ira enim
† a lincia. maxime ad pericula subeunda † perrectrix
præcipitatrix. vnde etiam Homerus -tor-
ciat ut. Et, -animus irarum, ciebat. Et, per nares
subijt furor. Et, sanguis fervuit intus. Omnia
eiusmodi excitationem atque impetum si-
gnificant. sed fortes quidem honestatis cau-
agunt, ira tamen ipsos adiuuat: feræ autem
dolorem: propterea quòd enim vel pere-
sunt, vel timent incitantur: nam si in syluis
saltibus suis fuerint, non irruunt. Non igitur
tes sunt quippe quæ dolore & ira in pericu-
impulsæ feruntur, nihil mali ac molesti pa-
dentes. nam eo modo etiam asini essent for-
cum esuriunt qui si etiam verberentur, à pa-
minime recedunt. Quin etiam adulteri
ob libidinem audacia perpetrant, non
sunt fortes, qui ex dolore, aut ira in pericu-
impelluntur. Maxime autem naturalis esse
videtur, quæ est ex ira: videturque esse fort
do, vbi electionem, & id cuius causa facien
vnumquodq; est, assumpserit. & homines
cum irascuntur, dolent lætantur cum vlci-
tur. qui autem ob hæc faciunt quippiam, p
ces quidem sunt, sed nō fortes: quippe cū
honestatis causa, neque vt ratio præscribit
ob affectum agant: similitudinem tamen
dam habent. Neq; etiam illi, qui bene spe
fortes sunt. nam propterea in periculis co
dunt, quia & sæpe & multos vicerunt: fo
tamen sunt, eò quòd vtrique sunt confid
sed fortes ob antedicta cōfidunt: hi autem
se superiores esse, nihilq; mali vicissim p
suros existimant id quod ebrij quoque
consueuerunt: in bonam enim spem itu

tur: cùm vero ipsis talia non contingunt, quæ
sperauerant, fugiunt. At vero fortis viri erat, ea
quæ terribilia homini & sunt & videntur, ea de
causa sustinere, quia id facere honestum non fa
cere turpe est. Ideo esse etiam fortioris videtur
in improuisis terroribus intrepidum, imperturbatumque
se præstare, quàm in conspicuis: ex
habitu enim id magis proficiscitur, minúsque
ex præparatione. Nam quæ antea palam fiunt,
ex consideratione quispiam eligere ac ratione
potest: quæ repente accidunt, non nisi ex habitu.
Fortes etiam videntur esse illi qui ignorant: &
sanè non longe absunt à bene sperantibus: in eo
tamen sunt pejores, quòd hi nullam habent sui
existimationem: illi habent. vnde etiam ali-
quandiu manent: hi vero decepti si vel cognouerint
aliud quid esse, vel suspicati fuerint, fu-
giunt. Id quod Argiui fecerunt, cùm in Laco-
nas quasi essent Sicyonij, incidissent. Quales
igitur sint fortes viri, & qui videantur fortes,
dictum iam est.

De proprietatibus fortitudinis.
CAP. IX.

QVamuis autem circa fiducias & timores
versetur fortitudo: non simili modo ta-
men in vtrisque, sed in timendis rebus magis
spectatur. qui enim in his imperturbatus fuerit,
sicuique debet se gesserit: is magis est fortis,
quàm qui in illis, quæ fiduciam afferunt. Tole-
randis igitur molestis rebus homines, sicut di-
cium est, fortes dicuntur. vnde etiam moles-
res est fortitudo, & merito laudatur: quippe
olim molesta sustinere, quàm à iucundis abs-

nere difficilius sit. Veruntamen fortitudinis finis iucundus quidem esse videri potest, sed obscurari tamen ab iis, quæ circum ipsum accidunt: quemadmodum in gymnicis certaminibus euenit. Pugili enim iucundus sanè finis est, cuius causa agit, coronæ videlicet & honores: verbera vero, cum sit carneus, dolorem asseruntque omnis demum labor molestus est. quia autem hæc multa sunt, finis ipse cuius causa certamen subiit, parua res cùm sit, nullam in se habere iucunditatem videtur. Si igitur circa fortitudinem idem est mors & vulnera molesta quidem erunt forti viro, & inuito contingent: fustinebuntur tamen, quia id facere honestum, non facere turpe est. Ac quò magis omni virtute ornatus, & felicior fuerit, eò magis ob mortem dolebit: quippe cùm eiusmodi vir maxime dignus sit, qui viuat: maximisque bonis sciens priuetur: quod dolorem affert. nihilo minus tamen fortis erit: & fortasse etiam magis, quia honestatem in bello omnibus his anteponit. Non igitur in omnibus virtutibus inest, vt cum iucunditate operemur: nisi quatenus finem ipsum attingimus. Nihil autem fortasse prohibet, quin milites optimi sint illi, qui non modo tales, sed etiam minus fortes, & nullo alio bono præditi sunt: thi enim prompti sunt ad pericula obeunda, vitámque cum paruo lucro commutant. Ac de fortitudine quidem hactenus dictum sit. nam quid ea sit, ex antedictis figura quadam comprehendere non est difficile.

De tem-

De temperantia, & eius extremis.

CAP. X.

Post hanc autem dicamus de temperantia: hæc enim irrationalium partium esse virtutes videntur. Ac temperantiam quidem mediocritatem esse circa voluptates à nobis dictu iam est. eam minus, nec simili modo circa dolores versatur. in his etiam intemperantia existit. Circa quales vero sit voluptates, definiendum est: animæq; ac corporis voluptates distinguendæ vt ambitiositas, & discendi cupiditas. vterq; enim ex his ea re gaudet, cuius est cupidus: corpúsque minime, sed cogitationem potius affectam habet. atq; hi qui in talibus voluptatibus constituti sunt, neq; temperantes, neq; intemperantes dicuntur. non secus etiam qui in aliis sunt, quæ ad corpus non spectant: qui enim fabularum, narrationúmq; studiosi sunt, & de quibus libet rebus colloquendo dies conterunt: nugaces appellare consueuimus, non intemperantes. neq; eos intemperantes dicimus, qui vel pecuniarum, vel amicorum causa dolore afficiuntur. Sed circa corporis voluptates temperantia solummodo versatur. atq; eas non omnes. Qui enim iis gaudent, quæ visu percipiuntur, vt colore, figura, pictura: neq; temperantes, neq; intemperantes dicuntur: licet esse videantur: & vt oportet, etiam his, & per excessum, & defectum gaudeant. Simili modo in iis, quæ ad auditu pertinent. neq; enim qui nimiam vel eos qui supra modum cantibus, aut fabularum actione oblectantur intemperantes: vel eos, qui vt oportet, idem faciunt, temperantes appellarit. Neq. item eos, qui odoribus gaudent, nisi secundum accidens. nam qui

eE 5

Universidad de Deusto
Biblioteca

malorum, vel totàtum, vel sufficientorum ob-
ctu delectantur, minime vocamus intempe-
tes: sed eos potius, qui vnguentorum, aut o
niorum odore illiciuntur: quippe cum his p
pterea oblectent ac intemperantes, quia per
in recordationem concupitarum rerum ve
consueuerit. Videre enim etiam quoslibet
licet, cum esuriunt, cibariorum odoribus ob
dari. at vero talibus oblectari intemperā
ab eo enim concupitæ res eiusmodi sunt. A
quòd neque cæteris animalibus ex his sen
voluptas percipitur, nisi ex accidenti. nam
canes odore leporum, sed comestione gau
sensum vero odor præbuit. neq; leo bouis v
sed eius lætatur: ex voce autem prope eum
cùm senserit, ea videtur oblectari. simili mo
neq; si viderit, aut inuenerit cerum, vel s
strem capram, voluptate aliqua afficitur.
quia cibum inde habebit. Circa eiusmodi ig
voluptates temperantia & intemperantia
satur, quæ cæteris quoq; animalibus comm
sunt: seruiléfq; ob id ac ferinæ habentur. hæ
tem sunt & tactus, & gustatus. Sed gustatu
rum vel nihil vti videntur: quippe cùm gusta
iudicium saporum sit. id quod faciunt ij, qui
vina explorant, vel opsonia condiunt. ac
admodum his oblectantur, vel non quat
intemperantes, sed fruitione ipsa, quæ tact
tactum efficiunt in cibis, in potibus, & iis q
venerea nuncupantur. Vnde gulæ dedicat
dā Philoxenus Eryxius guttur sibi lōgius
collo dari optabat: vtpote qui tactu oblect
tur. tactus autem sensuum est maxime com
nis, circa quem intemperantia versatur. Et
ritò esse vituperabilis videri propterea

quia nobis inest, non quatenus homines, sed quatenus sumus animalia. Talibus igitur oblectari, & acquiescere ferinum est. Nam voluptates, quæ maxime liberales per tactum efficiuntur, exceptæ ab his sunt: vt illæ sunt, quæ in gymnasiis per frictionem calefactionémque heri consueuerunt. non enim circa totum corpus, sed circa partes quasdam intemperantis tactus versatur.

Diuersas cupiditatum species esse.

CAP. XI.

AT vero cupiditatum aliæ communes videntur esse, aliæ propriæ, atq; apposititiciæ. vt alimenti cupiditas naturalis est: siccum enim vel humidum alimentum, vel etiam vtrunque, cùm indigent, omnes cupiunt. quin etiam appetit & iuuenis, vt inquit Homerus, floréntq; cubilitale vero ac tale, vel eadem non omnes, ic circo nostrum esse id videtur. Habet tamen & ali quid naturale: quippe cum alia aliis iucunda sint, & omnibus suauiora quædam sint cæteris quibusliber. In naturalibus igitur cupiditatibus pauci atque hi in vno, id est nimio peccant. qui enim comedit vel vilia quælibet, aut bibit, quoad supra modum repleaturnis multitudine naturalis cupiditatis terminos excedit. naturalis enim cupiditas indigentiæ repletio est atque iccirco huiusmodi homines ventrisurentes appellantur: propterea quòd vltra quàm deceat, ventri replendo studeant. ac tales quidem euadunt ij, qui seruili admodum ingenio præditi sunt. Circa vero propriae cupiditates multi, ac multis modis

modis peccãt: nam cùm talis cuiusdam rei
dioſi homines dicantur, quia oblectantur
quibus nõ oportet, vel magis quàm pleriq
ciant, vel nõ vt oportet, vel non quo oporte
omnibus ſanè intemperantes excedunt: qu
qui & gaudent nõnullis, quibus nõ oportet
odio profecto digna ſunt, & ſi aliquibus ga
dum eſt, magis quàm oportet, quámq; pleri
gaudeant, id facere cõſueuerunt. Atq; exce
quidé circa voluptates intẽperãtiam eſſe ac
tuperabilẽ perſpicuũ eſt. Circa autẽ dolores
quemadmodum in fortitudine, ita hic ſuſtine
do temperans, non ſuſtinendo intemperans
citur: ſed intemperans vnuſquiſque eſt, dũ
ꝓterea quòd iucunda non conſequitur, mag
quàm oportet, dolet: dolorémque ipſi aſſert
luptas: temperans, dum abſentia, abſtinentiã
voluptatis nullo dolore afficitur. Intempera
igitur iucũda omnia appetit, vel ea quæ max
me iucunditatem afferunt: ducitúrque à cupi
tate adeo, vt ea omnibus aliis anteponat: atq
ita fit, vt doleat, dum & voto fruſtratur, & cu
quippe cum nõ ſine dolore cupiditas ſit, dol
autem ob voluptatem abſurdũ videtur. At q
deficiant circa voluptates, minúſq; quàm op
cent, illis oblectentur, nõ ferè inueniuntur
enim ſtupiditas humana non eſt. nam cætera
animalia cum delectum ciborum habeant, al
oblectantur, aliis minime. ſi vero quiſpiam
cui nihil ſit iucundum, nullãq; inter hunc & l
lum cibum differentia ſitis ſanè procul eſſe a
hominis natura videtur. Quocirca quia ei
modi homines non admodũ eſſe conſueuerun
effectum eſt, vt ne nomen quidem vllum con
quuti ſint. Temperans autem circa hæc me

etitæt ſe habet: nam neq; iis oblectatur, quibus
intemperans maxime cõſueuit, ſed potius ægrè
afficitur: neque omnino iis gaudet, quibus non
oportet: neque vlla aliqua huiuſmodi re vehe-
menter oblectatur: neque ſi abſit, doletneq; cu-
pit niſi mediocriter: neque magis quàm decet,
quaptam re, neque quando non decet, afficitur:
neque demũ tale aliquid appetit: ſed ea tantum-
modo iucunda, quæ vel ad ſanitatem, vel ad bo-
nam habitudinem faciunt: atque ea quidé me-
diocriter, & ſicut decet, & cætera etiam, quæ his
impedimento non ſint, † vel præter honeſta-
tem, vel ſupra facultates: nam qui ita facit, ma-
gis tales voluptates amat, quàm dignum ſit.
At temperans non eiuſmodi eſt, ſed ſicut recta
ratio præſcribit.

† *a. l. vel quantũ ad honeſtatem ſpectat, vel ſanitatem.*

De temperantia extremis.
CAP. XII.

INtemperantia vero ſpontaneo magis ſimilis,
quàm ignauia videtur: quippe cum hæc ex
voluptate, illa ex dolore exiſtat: ex quibus alte-
ra eligenda: alter fugiendus eſt. Ac dolor quidé
exturbat & corrumpit naturam eius, qui eo af-
ficitur: voluptas autem nihil tale facit. Magiſq;
ſpontanea eſt: atque idcirco maiori opprobrio
proſequenda. Nam & aſſueſcere his rebus, cùm
plures in vita hominum eiuſmodi ſint, facilius
eſt: & aſſuetudo ipſa periculo vacat, in formido-
loſis autem rebus cõtrarium eſt. Ignauia etiam
non ſimili modo vt particularia eſſe ſpontanea
videri poſſet: ipſa enim doloris eſt expers: res au
tem particulares dolore adeo exturbant, vt &
animã abiicere, & cætera indecore gerere homi-
nes non vereantur: atque idcirco eſſe etiã vio-

lentæ videtur. At intemperanti econtrario cu-
nit. particularia enim quippe cùm ea concup-
scat, atque appetat, spōtanea sunt: totum au-
atque vniuersum minuit. nemo enim est, qui in-
temperans esse cupiat. Nomen autem ipsum
temperantiæ seu incastigationis de pueris
peccatis dicere cōsueuimus, vtrum vero ab
dicatur, nihil ad præsens negotiū refert: po-
rius enim à ptiore dictum esse satis constat.
non male videtur fuisse translatum: nam q
turpia appetit, incrementūmque magnum ac-
pit, castigandum est ac temperandum: hu-
modi autem maximè est & cupiditas & p
quippe cùm & ex cupiditate viuāt pueri, & ma-
ximè in ipsis voluptatis vigeat appetitio. Si ig-
tur non obediens, neque imperanti subditum
fuerit, longè latéque efferetur: insatiabilis ig-
dem rerum iucundarum appetitio est, & stul-
vndecunque occurrit, cupiditatis præterea
ratio quod cognatum sibi est, auget: & si ma-
vehementéſque fuerint cupiditates, ration-
extrudūt. Quapropter mediocres eas esse op-
tet, ac paucas, rationique minime aduersan-
Atque id quod tale est, obedient, ac castiga-
temperatúmque appellamus. Sicut enim pue-
ad pædagogi præceptum viuere oportet: ita
cupiscibilem animæ facultatem rationis imp-
rio obtemperare: atque ideo temperantis e
ditas cum ratione cōsentiat, necesse est: quip
cum vtriſq; propositus scopus honestas sit:
& temperans cupit quæ oportet, & quādo op-
tet: & ratio quoque ita præscribit. Atque hæc
temperantia dicta à nobis sint.

ARI

ARISTOTELIS MORALIVM NICOMACHIORVM LIBER QVARTVS.

SVMMÆ LIBRI.

De liberalitate. De magnificentia. De magnanimitate. De moderato honoris studio. De mansuetudine. De comitate. De veritate. De facetudine: ipsarúmque omnium extremis. De verecundia.

De liberalitate & eius extremis.

CAP. I.



Vnc dicamus de liberalitate. Circa pecunias autē esse mediocritas videtur. liberalis enim non in bellicis rebus, neque in his in quibus temperans, neque item in iudicijs, sed in datione, acceptioneq; pecuniarum, ac magis in datione laudē meretur, pecunias autem omnia ea dicimus, quorum æstimationem numus metitur. Prodigalitas autē & illiberalitas excessus & defectus circa pecunias sunt, atq; illiberalitatem quidē illis semper attribuimus, qui magis quàm decet, pecuniis studentiat prodigalitatem complicātes aliis interdum adiungimus.

Quibus illiberalitas, quibúsve prodigalitatem attribuamus.

gimus: nam & incontinentes, & eos qui in
temperantiam opes consumunt, prodigos vo
care consueuimus, idcirco huiusmodi homi
esse improbissimi videntur, propterea quo
multa simul vitia habeant: non tamen propr
ita appellatur. Debet enim prodigus esse ille
vno tantum vitio sit præditus, vt scilicet hom
nas suas consumat. prodigus enim seu insens
tus est, qui per se ipse perditur: nã esse sui ipsi
perditio videtur etiam bonorum dissipatio
pore cùm ea sint, ex quibus vitam traducamu
Atque ad hunc modum sane prodigalitate

Rebus, quæ vñ est vsus. bene & male vti licet.

cipiunt. Sit autem, quorum est vsus aliquis,
bene & male vti licet: at diuitiæ ex vtentibus
sunt optime vero vnaquaq; re vtitur is, qui
turem vnicuique rei conuenientem habet: &
uitiis igitur is optime vtetur, qui ea virtute
præditus, quæ circa diuitias versatur, atque
ipse vir liberalis est. Vsus autem pecuniæ
sumptus ac datio, acceptio vero & conserva
esse possessio potius videtur, atque idcirco
ralis viri magis est dare quibus oportet, q
accipere vnde oportet. & non accipere vnd
oportet. † magis enim beneficio afficere, q

† *Virtutis magis est beneficio afficere. quàm affici: & honesta agere, quàm non agere turpia.*

affici, & honesta agere, quàm non agere turp
virtutis proprium est. At obscurum non est
datione consequi vt beneficia conferamus,
nestáque agamus: ex acceptione vero vt bene
ciis afficiamur, non agamúsque turpia, gra
item ei qui dat, exhibetur, non ei qui non acc
pit: & laus etiam magis, non accipere præ
quàm dare facilius est. suum enim quisq; m
non profundere, quàm alienum non accip
consueuit. Liberales quoque illi dicuntur
dant: qui autem non accipiunt nõ liberalita

sed iustitiæ non minus laudem consequuntur
qui vero accipiunt, ne prorsus quidem laudan
tur. Quin etiam liberales maxime omnium fe
rè, qui virtute quapiam alia præditi sunt, amari
consueuerunt: vtilitatem enim afferunt: at id in
datione collocatum est. At vero omnes ex vir
tute actiones & honestæ sunt, & honestatis cau
sa fiunt: & liberalis igitur honestatis causa da
bit, & recte. dabit enim & quibus, & quæcunque,
& quando oportet: reliquisque aliis modis, qui
rectam dationem consequuntur: atq; id vel iu
cunde, vel sine dolore. quod enim ex virtute fit,
id vel cum voluptate, vel sine dolore certe effi
citur: minime autem molestum est. nam neque
qui vel his quibus non oportet, vel non honesta
tis, sed alia quapiam causa dat, esse liberalis di
cetur, sed alius quidam, neque qui molestè dat.
is enim pecunias honestis actionibus antepo
neret: at hoc minime liberalis est. Sed neque ac
cipiet vnde non oportet. non enim eius, qui non
magnifacit pecuniam, talis acceptio est, neq; erit
parca. non enim ad eum spectat qui beneficia in
alios confert, vt facile beneficiis afficiatur: vnde
autem oportet, accipiet, ex propriis videlicet
possessionibus: nõ quia honestum id sit, sed quia
necessarium. vt habeat quod det, neque res suas
negliget: quippe cùm ex ipsis velit aliquibus
subpeditare, neque dabit quibuslibet, vt habeat
quod det quibus oportet, & quando, & vbi ho
nestum est. Liberalis viri etiam valde est ita in
dando excedere, vt pauciora sibi relinquat: quip
pe cùm ad se minime respicere liberalis pro
prium sit. Liberalitas tamen pro facultatibus di
citur: non enim in multitudine eorũ quæ dan
tur, sed in habitu eius qui dat, actio liberalis cõ

Non in multitudine datorum, sed in habitu eius qui dat, actio liberalis consistit.

fistit: qui quidem habitus est, qui dat pro facultatibus. Vnde nihil vetat, quin liberalior alius sit, qui pauciora dederit, si modo ex pauciorib⁹ etiam fuerit elargitus. Illi autem esse liberales videntur, qui nō ipsi acquisiuerunt, sed facultates, sed ab aliis accepere: propterea quod indigentiam expetti minime sunt: & omnes ex ipsorum opera, vt parētes, & poētæ, manis re consueuerunt. At vero facile non est, vt liberalis dives sit, qui neque accipiendi neque seruandi, sed erogādi potius est studiosus. Atque idcirco crimini dari fortunæ consuevit, quod qui maxime digni sunt, minime ditentur. id autem nō absque ratione accidit: quippe fieri minime possit, vt habeat pecunias is, nullam diligentiam adhibet, vt eas habeat, quod in cæteris etiam rebus fit. Non dabit tamen quibus non oportet, neque quando non oportet, & reliqua huiusce modi: alio quin ageret secūdum liberalitatem: neque ita expensas pecunias posset in ea quæ debet, expendere. Sicut enim diximus, is est liberalis, qui pro facultatibus, & in ea quæ debet, sumptus facit. vero excedit prodigus, atque ideo tyrānos prodigos non dicimus: facile enim esse minime videtur. vt dationibus & sumptibus excedere queant multitudinem possint. Cum igitur liberalitas mediocritas sit, quæ circa pecuniarum dationem acceptionémque versatur: liberalis quidem & expendet in ea quæ oportet, & quotcunque oportet, tum in paruis, quàm in magnis, atque id iucūde faciet: accipiet item & vnde oportet, & quotcunque oportet. Nam cùm virtus circa vtraque sit mediocritas, vtraque vt debet, ea-

Amare omnes sua ipsorū opera consueuerint.

ciet. moderatam enim dationem talis acceptio consequitur: quæ autem non est talis, contraria est, quæ igitur consequuntur, in eodē simul contingunt: quæ vero sunt cōtrariæ, minime. Quòd si incideris, vt præter quàm deceat, & bene se habeat expenderit: dolebit quidem, sed modo rate, & sicut debet. nam ob quæ oportet, & sicut oportet, & lætari & dolere ad virtutem spectat. Est etiam liberalis quantum ad pecunias attinet, in societate vitæ perfacilis. iniuria enim affici potest, cùm magni pecunias non æstimet, magisque ægrè ferat, si quid quod oportuerit, nō expenderit: quàm dolet, si quid expēderit, quod minime debuerit, neque Simonidi assentitur, prodigus vero etiam in his peccat: nam ob quæ oportet, & sicut oportet, neque lætatur, neq; dolet, id quod pregredientibus manifestius patebit. Dictum à nobis est prodigalitatem & illiberalitatem excessus esse & defectus: atque eas in duobus, datione & acceptione consistere: nam etiam sumptum in dationem reponimus. Prodigalitas enim in dando & non accipiēdo excedit, in accipiendo autem deficit, illiberalitas contra in dando deficit, in accipiendo excedit, sed in paruis tamen. Ac quæ ad prodigalitatem quidem spectant, non admodum coangeri consueuerunt: quippe cùm facile minime sit, vt qui nulla ex parte accipit, omnibus largiatur. citò enim priuatos eos homines qui dant, facultas deficit: qui quidem prodigi esse etiam videtur, id est inseruati. Nam qui huiusmodi est, non paulo melior illiberali esse videretur: cùm & ab inopia curari facile possit, atque ita ad medium redire. cùm enim ea habeat, quæ sunt liberalis, quippe qui det quidem & nō accipiat,

Ad virtutē spectat vbi & sicut oportet. Lætari & dolere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed neutrum tamen neque vt debet, neque bene faciat, si ad hoc tãtum vel assueuerit, vel aliquo alio modo fuerit mutatus, liberalis euadet. Siquidem vt & det quibus oportet, & non accipiat vnde nõ oportet, vnde neque esse morbidus prauus videtur, in dando enim & non accipiendo excedere nõ mali & ignobilis, sed stolidi potius hominis est. Qui autem hoc modo est prodigus, longe illiberali & auaro, cùm ob ambo ista, tum propterea esse melior videtur: quia multis, illiberalis nemini prodest, imò ne ipse quidem vtilis est. Plerique tamen prodigi sicut dictum est, etiam vnde non oportet, accipiunt atque in hoc sunt illiberales: qui ideo accipiendum prompti efficiuntur, quia cum velint expendere, facere id facile nequeunt, cui enim ipsis opes deficiunt: vt aliunde sibi comparare eas cogantur, quoniam præterea nullam honestatis curam habent, vndique nullo habito delectu accipiunt, dare enim cùm cupiant, quo pacto & vnde id faciant, non curant. Quapropter neque liberales eorum dationes sunt, cum non sint honestæ, neque huius ipsius causa, hæc vt oportet, efficiuntur: imò interdum eos, qui oporteret esse pauperes, diuites reddunt, atque qui moderati sunt moribus, nihil adulatorium autem & cæteris, qui aliam quãpiam voluptatem ipsis sumministrant, multa largiũtur. Vnde efficitur, vt plerique ex his intemperantes euadant: nam & quia facile expendunt, in intemperantias etiam profusos sumptus faciunt: & quia non ad honestatem spectantes viuunt, ad voluptates quoque declinant. Prodigus igitur si non correctus permanet, in hæc transibit: si curationem admittat, ad mediocritatem deuenire, hoc

Cur prodigus illiberalis melior sit.

nestatémque potest. At illiberalitas incurabilis est, nam & senectus & omnis imbecillitas reddere illiberales videtur: magísque quàm prodigalitas, hominibus natura insita est: nam plerique sunt pecuniarum cupidi magis, quàm ad dandũ prompti: & late patet, multiformísque est. Multi enim modi esse illiberalitatis videtur. nam cùm in duobus constituta sit in dandi excessu, & defectu accipiendi, non omnibus integra adest, sed interdum se paratur atque ita fit, vt nonnulli in accipiendo excedant, alij in dando deficiãt. nam qui his nominibus præditi sunt, vt dicantur parci, tenaces, retracti & restricti, omnes in dando deficiunt. Non appetunt autem aliena, neque accipere volunt alij ob probitatẽ quandam, turpiumque rerum euitationem. videntur enim aliqui, vel certe dicunt, propterea † conseruare, ne aliquando agere turpe aliquid cogantur. Inter hos est etiam cuminiseca, & vnusquisque alius huiusmodi, qui nomẽ sortitus est ab excessu, quod nemini quicquam daturus sit. Alij ob timorem ab alienis abstinent: propterea quòd facile minime est, vt si aliquis aliena accepérit, alij ab eo quicquam non accipiant: atque idcirco neque accipere, neq; dare ipsis his placet. Nonnulli veto in accipiendo excedũt, illum & vndecunque & quodcunque accipere nõ verentur: vt sunt, qui illiberalia opificia exercent, & lenones, & id genus exteri, & fœneratores, † qui etiam parua magnis cum vsuris accipiũt, qui quidem omnes neque vnde debent, neque quantum debent, accipiunt. Communis autem his omnibus turpis quæstus videtur: causa enim lucri omnes, atque eius parui, opprobria subeunt. Nam qui magna vnde non oportet, & quæ

† *ad. l. sfer. nare.*

† *ad l. qui paulatim et magnicana vsuris accipiunt.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

nõ oportet, accipiunt, vt tyrannos, qui vibes pulantur, & templa diripiunt, non illiberal sed improbos potius, sed impios, sed inju appellare consueuimus. At aleator, & latro spoliator, & latro ex illiberalibus etiã ipsi cum turpi lucro dediti sint. vtrique enim causã negociantur, & opprobria sustinent; quidem pericula maxima acceptionis ca subeunt: illi ab amicis quibus dare deberent crantur, vtrique igitur cum vnde non opor velint lucrum cõparate, turpi lucro dediti atque omnes huiusce modi acceptiones sunt liberales. Merito vero illiberalitas contraria beralitati propterea esse dicitur, quòd ma malum quàm prodigalitas est, magisque peccãt homines, quàm in prodigalitate, de superius iam diximus. De liberalitate igitur oppositis vitiis hactenus dictum sit.

De magnificentia, & eius extremis.

CAP. II.

SEqui videtur, vt de magnificentia, seu gnidecentia differamus: nam etiam ipsa quædã virtus videtur, quæ circa pecunias saturnõ in omnes tamen quæ ad pecunias ctant, actiones, sicut liberalitas, diffunditur in sumptuosas tantum: atque in his liberal tem magnitudine excellit. nam sicut nom ipsum significat, in magnitudine decẽs sumpt est, magnitudo autem est ad aliquid. non e aut triremis, aut supplicationum præfecto sumptus est: sed qui est decorus & ipsi, & in & circa quod fit. At qui in paruis aut medio bus pro dignitate sumptus facit, magnifi

minime dicitur: vt id, Mendico panem poscenti sæpe ferebam: sed qui in magnis. nam qui est magnificus, liberalis etiam continuo est: liberalis autem, non continuo magnificus. Huius vero habitus defectus paruificentia seu parvidecentia, excessus decori imperitia & inepitudo quædam operaria appellatur. & eiusmodi cæteri habitus, qui non excedunt magnitudine circa quæ oportet sed in quibus non oportet, & sicut non oportet, splendorem assectant. Verùm de his posterius dicemus. Magnificus autem seu magnidecens esse scienti similis videtur: quippe qui & quod decet contemplari, & magnos consone facere sumptus possit. quemadmodum enim in principio diximus, habitus operationibus definitur, & his quorum habitus est: magnifici vero sumptus, & magni sunt, & decentes: talia igitur erunt etiam opera. ita enim fiet, vt sumptus & magnus, & operi decorus euadat: vt & opus sumptu, & sumptum opere dignum esse oporteat, vel etiam sumptum excedere. Atque huiusmodi sumptus magnificus honestatis causa faciet: commune enim hoc est virtutibus: iucunde etiam & large: eò quòd nimis exacta ratio paruifici est: considerabitque magis quo modo pulcherrimum ac decentissimum opus efficiatur, quàm quanti constet, quomodóque fieri minimo precio possit. Necesse vero est, vt magnificus sit etiam liberalis. nam & liberalis expendet, & quæ oportet, & sicut oportet. in his tamen quod est magnum, magnifici est: vt magnitudo. Si circa eadem liberalitas sit, etiã ab æquali sumptu opus magnificentius faciet, non enim eadem & possessionis &

operis virtus est. nam possessio anteponitur quæ est dignissima ac pretiosissima opus, quod magnum & pulchrum est. talis enim rei sumptio est admirabilis. quod autē est magnificum, est admirabile: operisq; magnificentia virtus in magnitudine est. Ex impēsis autem quas honorabiles dicimus, illæ sunt, quæ ad Deorū donaria, ædificationes, & sacrificia pertinēt: quæque ad omne denique genus deorum numen spectant, quæ item ad publicam munificentiam gloriosæ sunt: vt, sicubi vel ludorum edendorum, vel triremium extruendarum, vel epuli ciuitati exhibendi splendide gerendam præfecturam existimare. In omnibus autem, sicut dictum est, ad agentem quoq; habere relatio debet, quibus & ex quibus facultatibus agat. digni enim his esse sumptus debent, & non solum operi, verum etiam facienti decenter esse accommodati. Atque ideirco pauper nequaquam esse magnificus potest, cùm ea non habeat, ex quibus sumptus decenter faciat. nam qui id aggreditur, stulte est: præter dignitatem enim agit, præterque id quod oportet. id autem secundum virtutem est, quod recte fit. Decent etiam eos huiusmodi sumptus, quibus tale aliquid præcessit vel ab his factū, vel à maioribus, vel ab iis qui ad ipsos pertinent: nobiles item, & illustres, & qui huiusmodi. omnia namque hæc magnitudinem in se habent & dignitatem. Ac maxime quidem talis magnificus est in talibusque impensis magnificentia, sicut dictum est, versatur: quippe quæ & maximæ sint, & honorificentissimæ. Sed ex priuatis tamen etiam illæ ad magnificū spectant, quæ semel fieri consueuerunt: vt nuptiæ, & siquid tale est. & si alicui rei vel tota ciuitati studet,

studet, vel qui in dignitate constituti sunt: quæ etiam ad hospitum susceptiones, & dimissiones attinent, ad munera item & remunerationes. non enim magnificus in suum, sed in publicum decus sumptuosus est. munera autem quandam cum templorum donariis habent similitudinem. Magnifici etiam est, ita ædes extruere vt diuitiis conueniant: quippe cùm etiam hoc ornamentum quoddam sit, & in ea opera sumptus magis facere, quæ sunt magis diuturna: pulcherrima enim hæc sunt, & in singulis decorum seruare: nam non eadem sunt Diis & hominibus, aut ad templum & sepulcrum ornandum accommodata. Et quoniam vnusquisque sumptus suo in genere est magnus, magnificentissimus est ille, qui in magna re est magnus. Hic vero, qui in his magnus est, estque inter magnitudinem quæ est in opere, & eam quæ est in sumptu, differentia. pila enim & lecythus pulcherrima pueritiis quidem doni in se habent magnificentiam: huiusce tamen rei pretium paruum est, & illiberale. atque ideirco magnifici est, vt in quocunque genere quippiam faciat, magnifice id faciat. quod enim eiusmodi est, & superari non facile potest: & ita se habet, vt sumptus dignitas postulat. Ac magnificus quidem talis est. At qui excedit inepteque est, sumptus faciendo supra quam decerat, excedit, sicut dictum est. in paruis etenim rebus multa impendit: splendoremque absque affectat: vt qui & sodalies, qui symbolum dederunt, nuptiali conuiuio excipit: & ædilitatem gerens comœdis in transitu purpuram exhibet, sicut Megarenses consueuerant: atque hæc omnia non honestatis, sed ostentandarum

Universidad de Deusto
Biblioteca

diuitiarum causa faciet, vt inde in admirabilem sui homines adducat. atq; vbi multa oportebit expendere, pauca vbi pauca, multa expendet. At parificus in omnibus deficiet: manus & magnos sumptus fecerit, in paruo deficiet: & posthea honestatem perdet. & quodcunque fecerit cunctando faciet, spectandoque id, vt quam minimum expendat: conquerentur que inuicem ac maiora quàm decet, se facere omnia existimabit. Ac sunt quidem habitus hi vitia non tamen huiusmodi, vt opprobria afferant: propterea quòd neque aliis nocent, neque deformes admodum sunt.

De magnanimitate, & eius extremis.

CAP. III.

IAm vero magnanimitas circa magna, vel nomine vertari videtur. circa qualia autem versetur, primum assumamus. qua in re nobis refert, habitúmne ipsum, an eum, qui secundum habitum est, consideremus. Esse sane magnanimus is videtur, qui cùm magnis sit dignus, magnis quoque se dignum esse existimat: nam qui non pro dignitate id facit, fatuus est: at virtute præditus neque stolidus neque stultus est quispiam. Atque est qualis magnanimus hic, quem dicimus. Qui autem paruis est dignus, eisdémque se dignum censet, † temperans, non magnanimus est: quippe cùm magnanimitas in magnitudine consistat, perinde ac pulchritudo in magno corpore. nam parui elegantes, & concinni, non autem pulchri dicuntur. At qui cùm sit indignus, se dignum se magnis putat, inflatus quidam est, non

† a. I. modestus.

omnis tamen est inflatus, qui maioribus, quàm sit, dignum se esse censet. Qui autem minoribus dignum quàm sit, se esse arbitratur, pusillanimus est: siue magnis, siue mediocribus, siue etiam paruis dignus sit, modo minoribus dignus se esse sentiat. maxime tamen esse videretur huiusmodi, is qui magnis est dignus. nam quid faceret, si tantis non esset dignus? Est igitur magnanimus magnitudine extremus, in eo verò quod oportet, medius: eo enim dignum se censet, quod pro dignitate est. illi autem excedunt, & deficiunt. Si autem magnis se esse dignum existimat magnanimus, dignus cùm sit, & præcipue maximis, circa vnum maxime versabitur: quod quid sit ex dignitate ipsa definiendum est. dignitas autem ad externa bona dicitur: quorum maximum id esse statueremus, quod diis attribuimus, quódque maxime appetunt, qui in dignitate constituti sunt, quod item ob præclarissimas res dari præmium consueuit: at huiusmodi est honor: externorum enim bonorum id maximum est. circa honores igitur & ignominias vt oportet, versatur magnanimus. Quin absque ratione quoque magnanimi munus circa honorem est. se apparet. magni etenim viri honore seipsos dignos maxime existimat, ac pro dignitate illi quidem. sed pusillanimus deficit, tam si ad ipsum, quàm si ad magnanimi dignitatem spectemus. inflatus autem ad se solummodo, non autem ad magnanimum excedit. At magnanimus si quidem maximis est dignus, optimus quoque sit necesse est. maiori enim honore dignus est, qui est melior: maximis vero, qui est optimus. oportet igitur vt qui magnanimus re vera

Maiori honore dignus est, qui est melior: maximis, quia optimus.

vera est, bonus etiam sit. esse etiam magnanimi videtur id quod in vnaquaque virtute magnum est. nullóque pacto ei conuenit vt † illatione aliqua fraudulenter vtatur, ac fugiat, aut iniuste agat. cuius enim causa turpe aliquid faciet is, cui nihil est magnum? nam si quis diligenter singula consideret, magnanimus si non est bonus, prorsus ridiculus videbitur. itaque neque honore quidem erit dignus, si sit malus: quippe cùm virtutis præmium sit honor, bonisque attribuatur. Videtur igitur magnanimitas quasi ornamentum quoddam esse virtutum: nam & maiores ipsas reddit, & sine ipsis esse non potest. ac propter ea re vera esse magnanimum difficile est, cum id existere sine integritate nullo modo queat. Ac maxime quidem magnanimos circa honores & ignominias versatur, ob eósque honores qui & magni sunt, & à probis viris exhibentur, mediocriter quidem lætabitur, vtpote sibi accommodatos, vel etiam minores quàm sibi conueniat: integra enim & absoluta virtuti nullus honor tribui dignus potest: admittet tamen eos magnanimus à probis viris, licet inferiores sint, propterea quòd non habent illi maiores quibus altiora facere ipsum valeant, sed qui à quibuslibet à vulgo hominibus, ob paruásque res exhibentur, eos prorsus contemnet: non enim est ea dignus, simili modo etiam ignominiam, quippe quæ circa ipsum iure non accidat. Maxime igitur, sicut dictum est, circa honores versatur magnanimus, nihilo minus tamen & in diuitiis, & potestatibus, & omni tam prospera quàm aduersa fortuna, quomodocunque contigerit, moderate se geret: vt neque in prospe-

† a.l. quòd alteri aliquem le ferat. rem sit.
† a.l. aliquid quod laserit, fiat.
Honor virtutis est præmium.

sperit successibus lætitia gestiat, neque id aduersis rebus tristitia supra modum obruatur. Nam neque circa honorem quasi maxima res sit, ita se gerit, potestates autem & diuitiæ ob honorem expetendæ sunt: qui enim ipsis habent, ob eas affici honoribus volunt. cui vero vel honor ipse paruus est, ei extera quoque sunt parua. Quapropter magnanimi esse etiam contemptores videntur. Quin etiam fortunæ prosperitates videntur conferre ad magnanimitatem. qui enim nobiles sunt, & diuites, & in potestate constituti, honore digni habentur: in excellentia enim quadam sunt. omne autem, quod bono aliquo excellit, est honorabilius. propterea huiusmodi res magis reddere magnanimos homines consueuerunt: nanque à quibusdam honorantur. sed re vera solus bonus honorandus est. cui tamen vtraque insunt, is magis habetur dignus, qui honore afficiatur. Qui autem sine virtute huiusmodi bona possident: neque merito magis honoribus dignos se esse arbitrantur, neque recte magnanimi dicuntur: quippe cùm horum absque integra atque absoluta virtute esse non possint: sed contemptores, contumeliosi, atque huiusmodi vitiis præditi efficiuntur. non facile enim sit, vt sine virtute consone ac moderate prosperos rerum successus quispiam ferat. dum igitur hi ferre prosperam fortunam nequeunt, putántque se alios excellere, omnes alios despiciunt: ipsi vero agunt quodcunque libet. nec inciderit, imitantur enim magnanimum, licet ei similes minime sint. atque id faciunt in quibus possunt. quæ enim ex virtute sunt, ea non agunt, sed contemnunt alios. At magnanimus

nimus iure ac merito contemnimur: nam vere opinatur. plerique alij autem ita vt forte incidit. † ad sigmū vt periclitans. aut libere periclitans.

Neq; vero aut † paruipericlitans, aut frequenter periclitans, propterea quòd pauca sunt, quæ magnifaciat: sed magnipericlitans est. & cum periclitatur, vitæ suæ non parcit, quasi dignum omnino non sit ei viuere. Talisque est, vt afficiens beneficiis alios, ipse affici erubescat. excellentis enim illud est: hoc eius, qui excellitur. Eiusmodi, vt plura retribuat. ita enim fiet, vt qui prior contulerit beneficium, insuper debeat, beneficiúmque accepisse videatur. Meminisse præterea eorum videntur, quibus benefecerint: eorum autem à quibus acceperint minime. quippe cùm is, qui acceperit, minor sit eo qui beneficium contulerit: ipsi autem velint esse superiores: vnde etiam illa iucunde, hæc iucunde audire consueuerunt. Acq; iccirco atque Thetis beneficia Iouj dicitur commemorare: neque Lacedæmonij ad Athenienses: sed tantummodo ea, quibus iuuari affecti. Magnanimi quoque est † à nemine quippiam, aut vix tandem petere, sed prompte aliis ministrare. præstáréque se apud eos qui in dignitate sunt. præclaráque fortuna vtuntur, magnum: apud mediocris sortis homines mediocrem: ò quod illos superare difficile, atque egregium, hos facile est. & inter illos gloriari est à generoso animo minime alienum, inter humiles vero ignauiloquum: quemadmodum inter imbecilles † viribus non contendere. Neque ad honores res accedere, aut vbi alij principatum obtinent: ocioſúmque esse ac cunctatorem, nisi magnus aliquis honor magnúmque opus adsit. paucásque res agendas, sed magnas eas aggredi. Iebes

† a. l. nemini indigere.

† a. l. viribus contendere.

Iebres aggredi. Necesse etiam est vt aperte tam odium quàm amorem præ se ferat: latere enim velle timentis hominis est. Majorémque curam veritatis, quàm opinionis habeat: dicáque & agat omnia aperte: id enim est contemptoris. ideo liberior in loquendo est: est enim contemptor, & verax, nisi vbi per dissimulationem loquitur. dissimulatione autem vtitur ad multitudinem. Magnanimi quoque proprium id est, vt viuere ad alterius arbitrium non possit, nisi ad amicitiæ est enim seruile. vnde etiam omnes adulatores famularij: & humiles homines adulatores sunt. Adde quòd neque est admirator. nihil enim magnum ipsi est, neque iniuriarum memor: quippe cùm magnanimi non sit meminisse, & præsertim malorum, sed ea potius despicere. Neque hominiloquus: neque enim aut de se, aut de altero quippiam dicet. neque vt vel ipse laudetur, vel alij vituperentur, curat. sed neque est laudator: atque iccirco fit, vt neque maledicus sit in inimicos quidem, nisi ob contumeliam sit. De necessariis item, aut paruis minime est querulus, aut precabundus. ara enim se gerere eius hominis est, qui circa hæc studeat. eiusmodi præterea est, vt honesta potius & infructuosa, quàm fructuosa & vtilia acquirat, & possideat: est enim eius, qui ex se sufficiat. Quin etiam & motus ipse magnanimi esse tardus videtur, & vox grauis, & loquendi stabilis. nam neque qui circa pauca studet, est festinabundus: neque qui nihil magnum existimat, contentus & vehemens. acuta autem vox, & celeritas ex his efficitur. Ac talis quidem magnanimus est. Qui autem deficit, pusilla

pusillanimus: qui excedit, inflatus est. sed neq; hi tamen mali, non enim malefici sunt: sed aliq; peccantes videntur. pusillanimus enim cùm bonis dignus sit, seipsum iis ipsis priuat, quibus est dignus: videturque prauum quoddam in se habere, quòd & bonis dignum se non esse existimat, & se ipsum etiam ignorat. alioqui cùm bona sint, quibus est dignus, ea proculdubio appeteret. Non tamen huiusmodi homines stolidi, sed esse † intelligentes potius videntur: ratiisque opinio pejores etiam ipsos reddit. singuli enim ea quæ dignitati suæ conueniunt, appetere consueuerunt. adde quòd & ab honestis actionibus & studiis quasi sint indigni, & ab externis quoque bonis simili modo abstinent. At inflati stolidi sunt, sese ipsos ignorant, atq; id palàm: quasi enim sint digni, honorabiles res aggrediuntur, deinde redarguuntur. vestitúque & habitu, atq; huiusmodi rebus ornamentum prosperâsque fortunas suas esse manifestant: volunt de ipsis prædicant, quasi ob eas honores sint consequuturi. Magnanimitati autem pusillanimitas magis est opposita, quàm inflatio: quippe quæ & magis contingat, & peior sit. Magnanimitas igitur circa honorem magnum, sicut dictum est, versatur.

† a. Ignari.

De moderato honoris studio, & eius extremis.

CAP. IIII.

Circa honorem autem esse quædam alia virtus etiam videtur, vt superius diximus quæ magnanimitati ita respondet, vt magnificentiæ liberalitas illæ enim vtræq; sicut à magnis abstinêt, sic in mediocribus & paruis nos vt oportet, afficiunt, ac disponit. Quemadmodum autem in datione & acceptione pecuniarum & mediocritas est & excessus & defectus: sita quoq; in honoris appetitione licet & magis quàm oportet & minus, & vnde oportet, & vt oportet, vnum quenq; se gerere. nam & ambitiosum vituperamus, quippe qui & magis quàm oportet, & vnde non oportet, honorem affectet: & inambitiosum, eò quòd ne ob honesta quidem facta honore affici velit. Interdum tamen fit, vt vel ambitiosum quasi virilem & elegantè, vel inambitiosum quasi modestum & temperanté laude prosequamur, vt superioribus in libris dictum iam est. Perspicuum autem est cùm pluribus modis talis cuiusdam rei studiosus & cupidus aliquis dicatur, non semper nos ad idem honoris cupidum, id est ambitiosum referre: sed cùm laudamus, ad id quòd magis quàm plerique è vulgo: cùm vituperamus ad id quòd magis quàm oportuerat, honores ipsos appetat. Quia vero nomine vacat mediocritas, fit, vt de ea quasi deserta sede extrema decertent. Verum in quibus est excessus & defectus, ibidem quoque esse mediam necesse est. appetunt autem honores & magis & minus: ergo etiam vt oportet. Laudabatur igitur hic habitus, quæ est circa honorem nomine vacans mediocritas: quæ sanè si ambitioni comparetur, inambitiositas: si inambitiositati, ambitiositas: si vtrisque, vtraque esse quodammodo videtur. Id quod eriam circa alias virtutes est. Extremi autem hic videntur inter se opponi, propterea quòd † mediam nullum nomen † fortitum est.

† a. Inter alias virtutes. † fortitum.

De mansuetudine, eiúsque extremis.

CAP. V.

IAm vero mansuetudo circa iram mediocritas est. nam cùm nomine hac in re careat mediũ, & ferè etiam extrema, ad medium mansuetudinem ipsam referimus · licet ad defectum qui nomen non habet, declinare magis videatur, at excessus iracundia quædam dici potest. nam affectus est ira, quam quæ efficiunt, sunt multa & diuersa. Qui igitur ob quæ oportet, & quibus oportet irascitur, adde etiam quo modo, & quando, & quousque debet, laudatus est: & is mansuetus potest: quippe cùm mansuetudo ipsa laude afficiatur. Mansuetus enim ille est, qui perturbatione vacat, & ab affectu minime ducitur, sed quemadmodum ratio ipsa tuerit, ita & ob id, & tam diu succenset: peccare potius videtur in defectu: quippe qui non ad vltionem, sed ad veniam dandam propensior est. At defectus, siue ira vacuitas quædam sit, siue quippiam aliud, vituperatur: nam qui & ob quæ oportet, & sicut oportet, & quando, & in quos oportet, non irascuntur, hi profecto esse stolidi videntur. qui enim non irascitur, neque videtur sentire, neque dolore affici, neque esse idoneus ad vlciscendum. At tolerare si lacessatis, prauæ tui contumelia afficiantur, seruile profectò est. Excessus vero secundum omnes quidem modos fit: nam & in quos non oportet, & quæ non oportet, & magis item, & citius, & diutius quàm oportet, existit: non tamen ita vniuersa eidem insint: non enim id potest. nam malum etiam seipsum perdit: & si integrum sit, intolerabile euadit. Iracundi igitur cito quidem irascuntur, & quibus non debent, & ob quæ non debent, & magis quàm oportet: sed, quod optimum in se habent, cito etiam desistunt. hoc autem ipsis propterea euenit, quia iram minime continent, sed reddunt. vnde ob celeritatem manifesti sunt, deinde cessant. supra modum autem celeres sunt, & ad omnes res & quacunque de causa iracundi, ij qui sunt excandescentes & summe bilioſi. vnde nomen etiam habent. Acerbi vero difficulter reconciliantur, & longo tempore irascuntur. continent enim iram, & non nisi vbi reddiderint, cessant: nam vltio his iram sedat, dum voluptatem loco doloris inducit: quod quousque non euenit, grauatum animum habent. quia vero id non est manifestum: neque fuasione apud eos vtitur quispiam: & ipsi secum iram concoquere non nisi mora quadam temporis possunt. súntque huiusmodi homines tum sibi ipsi molestissimi, tum iis qui maxime ipsis sunt amici. Infestos autem eos dicimus, qui & ob quæ non debent, & magis item quàm debent, & diutius succensent: & placari sine vltione † vel etiam punitione non possunt. At vero mansuetudini excessum magis opponimus: quippe cùm & magis sit humanum enim magis est vindictam sumere: & ad conuictum hominum infesti etiam peiores sint. Quod autem tum in superioribus etiam libris diximus, tum ex iis quæ dicuntur, satis constat, quomodo, quibus, ob quæ, quanto tempore irascendum sit, quousque item aliquis progrediens vel recte factus sit, vel peccaturus non est facile definire. qui enim paululum transgreditur, non vituperatur, siue ad nimium, siue ad parum desexercitio interdum & eos qui deficiunt, lau-

Ira defectus quo pacto vituperabilis.

Malũ etiã seipsum perdit.

† *al. & pũitione.*

Qui parũ transgreditur, non vituperatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

damus, manſuetósque appellamus: & eos qui infesti sunt, tanquam ad imperandum idoneos viriles nuncupare consueuimus. Quantum igitur, & quomodo quispiam transgressus sit virtuperandus, statui ratione non facile potest: in particularibus enim & sensu iudicium est. Verumtamen illud satis perspicuum est, sicut medium habitum, quo efficitur, vt & quibus oportet, iracamur, & ob quæ, & quomodo oportet, & secundum extera omnia huiusmodi, esse laudandum: ita excessum & defectum, si parum quidem peccant, parumsi paulo amplius, magissi multum, vehementer esse vituperandos. ex quo efficitur, vt medium habitum consectandum esse manifestum sit. Atque hæc de habitibus, qui circa iram existunt, dicta sufficiant.

De comitate, & eius extremis.

CAP. VI.

AT in congressionibus quoque & consuetudine sermonúmque & negociorum communitate esse alij placidi & obsequiosi videntur, qui omnia in gratiam laudant, nullâque in re aduersantur: sed minime molestos existimant se esse oportere iis, quibus cum habent consuetudinem. alij e contrario in omnibus aduersantur, nullámq; sibi habendam rationem putant ne molesti sint quibus morosi & litigiosi nuncupantur. Verum sicut hos vitiósque habitus esse vituperabiles: ita medium esse laudabilem constat, quo videlicet efficitur, vt vnusquisque & quæ oportet, & sicut oportet, vel admittat, vel ferat. Nomen tamen huic medio nullum impositum est: sed amicitiæ maxime similis videtur. talis enim est qui habitu hoc medio præditus, qualem modestum ac probum amicum esse volumus si id videlicet assumpserit, vt diligat. nam ab amicitia in eo differt, quòd est sine affectu diligendi eos quibuscum versatur. non enim quia vel amat, vel odit, suscipit singula vt debet, sed quia est talis: quippe cum idē facturus sit tam apud notos, quàm ignotos: tam apud familiares, quàm eos, quibus cum nulla familiaritas intercesserit, vbique tamen prout singulis conueniet. non enim perinde familiares atque externos aut studio prosequi, aut dolore afficere nos conuenit. In vniuersum igitur dictum est in congressionibus hunc vt oportet, se esse gesturum, spectans autem ad honestatem & vtilitatem id attendet, vt dolorem non afferat, vel collætificet & obsequatur. videtur enim circa voluptates, doloréque eos versari, qui in congressionibus existunt: in quibus si vel non honestum ipsi fuerit, vel damnosum etiam obsequi, id minime faciet, sed grauatè se geret, potiúsque esse molestus volet. si item obsequiū facienti aut dedecus, atque id non paruum aut damnum, aduersario autem dolorem paruum allaturus sit, non admittet, sed ægre feret ac repudiabit. diuersio autem modo cum iis qui in dilectem & minus familiaribus, cæterísque diuersi inter se generis hominibus congressiones faciet: singulísque id quod decet, attribuet. ac collætificare quidem per se eliget, cauebitque contristare. sed euentientia tamen ipsa si maiora fuerint, honestatem inquam & vtilitatem consequetur: voluptatísque causa magnæ, quæ postea subsequutura sit, paruum dolorem afferre non verebitur. Ac medius quidem talis est, nomēq;

non habet. Qui autem obsequitur, si nulla alia de causa id facit, nisi vt lucundus sit, placidus est & obsequiosus: si vt emolumentum aliquod ab illis capiscatur, atque id vel pecuniis, vel iis rebus, quæ pecuniis comparantur, adulator. at eum qui omnia moleste accipit, esse morosum & litigiosum iam diximus. quia vero medium caret nomine, inter sese extrema ipsa opponi videntur.

De veracitate & eius extremis.

CAP. VII.

Circa eadem ferè etiam arrogantiæ mediocritas versatur: quæ quidem etiam ipsa nomen non habet, non ab re autem erit, vt de his quoque differamus. nam & singula pertractando melius quæ ad mores spectant, percipere poterimus: & virtutes esse mediocritates tunc demum credemus, vbi in omnibus id ita se habere perspexerimus. In consiuendo igitur qui cum voluptate & dolore congressiones faciunt, dicti iam sunt. nunc de veracibus & mentientibus atque ad tam verbis, quàm actionibus & fictione dicendum est. Arrogans quidem est is, qui illiberalia quædam vel quæ non habet, vel maiora quàm habeat, fingit, ac sibi vendicat. dissimulator contra, qui quæ sibi insunt vel negat, vel deminuit. At medius cùm sit ipse ille qui est, & talem vitam quàm verbis verax, ea ipsa planè quæ sibi insunt, neque maiora, neque minora esse constetur. Atque horum vnumquodq; potest & cuius & nullius rei causa fieri. qualis autem vnusquisque est, talia etiam, nisi alicuius rei causa faciat, & agit & dicit: necnon ita vitam quoque suam omnem instituit, ac per se quidem mendacium prauum est & vituperatione dignum.

Qualis est vnusquisq; talia etiam agit, & dicit.

Mendacium per se prauum & vituperatione dignum est.

verum honestum & laudabile. iccirco fit, vt verax ipse qui est medius, laudem mereatur: mentientes autem vituperio afficiendi sint: vtrlq; illi quidé, sed magis tamen arrogans. Sed de vtrisq; iis iam dicamus: ac prius de veraci. non enim de eo intelligi volumus, qui in pactionibus verum dicit, atque iis quæ ad iniustitiam vel iustitiam spectant: id enim est alterius virtutis: sed de eo qui licet nihil huiusmodi intersit, & vita & verbis propterea verum dicit, quia talis ex habitu est: qui sanè, cùm sit huiusmodi, merito esse probus videtur. qui enim veritatis est studiosus, & vbi nihil refert, verum dicit: multo magis vbi referret, id faciet. vbi enim turpe est mendacium, cauebit profecto, quod per se etiam euitabat. Talis autem est laudabilis: dicet magis ad id declinet, quod vero minus est. nam quia inuidiosæ sunt nimiæ excellentiæ, id esse moderatius videtur, atque aptius. Qui autem maiora quàm habeat, fingit, si id nullius rei causa facit, prauo quidem similis est: alioqui enim minime gauderet mendacio: vanus tamè potius videtur, quàm malus. Sin alicuius causa, aut gloriæ & honoris: atque is non admodum est vituperabilis, sicut arrogans: aut argenti, eorúmque, quæ ad argentum pertinent, qui deformior est. At arrogans non in potestate, sed in electione consistit: ex habitu enim & quia est talis, arrogans est. Quæ admodum etiam mendax, alter est, qui mendacio ipso gaudet: alter, qui vel gloriam vel lucrũ appetit. Qui igitur gloriæ causa arroganter se gerunt, eiusmodi res simulant, ob quas laudari, felicésque prædicari homines consueuerunt: qui lucri, eas quarum fruitione alij oblectantur: quæq; etiam si non adsint, latere facile possunt:

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt medicum esse, aut vatem, aut sapientem. arg. ideireo plerique huiusmodi res sibi fingunt atq; arrogant: quippe cum in ipsis ea sint, quæ diximus. At dissimulatores minus quàm ij dicentes, moribus esse elegantiores videntur. apparet enim eos non quæstus gratia id facere, sed vt euitent importunitatẽ, ac fastum. arg. hi quoq; maxime illustria & clara solent recusare: quemadmodum etiam Socrates faciebat. Qui autem parua & manifesta dissimulant, † versute deliberati dicuntur, & contemnendi sunt. Adde quod hæc arrogantia interdum videtur: vt Lacedæmoniorum vestitus. nam tam excessus, quàm nimius defectus ad arrogantiam spectat. qui vero moderate dissimulatione vtuntur, eâque dissimulant, quæ non nimis sunt aperta, atque ante oculos posita elegantes videntur. Ac Veraci quidem arrogans magis opponitur: peior enim est.

† a. l. versute gloriosi.

De facetudine, & eius extremis.

CAP. VIII.

CVm autem in vita requies etiam quædam sit, in qua homines ioco vtuntur: videtur etiam hic esse congressio quædam moderate & dicendi ea quæ oportet, & vt oportet, & audiendi. differentia quoque in eo erit. vt & inter tales quosdam dicamus, & tales audiamus. Circa quæ excessum etiam esse medij, & defectum perspicuum est. Qui igitur ridiculis excedunt, scurræ esse atque importuni videntur: qui ridicula penitus affectant, adeo vt studeant potius risum mouere, quàm honeste loqui, dolore quoq; eum non afficere quem cauillantur. Qui autem neque ipsi quicquam ridiculi dicunt, neq; alios dicca

dicentes æquo animo patiuntur, rustici & duri sunt. At qui apte ac moderate iocantur, facetiæ ac versatiles dicuntur, quasi ad versionem apti: morum enim huiusmodi esse videntur motiones: atque vt corpora, ita etiam mores ex motionibus iudicantur. Quoniam vero ridiculum admodum redundat, & plerique sunt, qui iocis delectantur & cauillis magis quàm decet efficiunt, vt scurræ quasi elegantes facetiæ nuncupentur: quos tamen differre ab elegantibus, ac non parum quidem ex iis quæ diximus, manifestum est. Huic autem medio habitui congruit etiam vrbanitas seu dexteritas. vrbani vero est ac dexteri hominis talia dicere & audire, qualia probo atque ingenuo conueniunt. Quædam enim sunt, quæ & ioco dicere & audire talem hominem decent. & ingenui hominis locus à seruilis, & item eruditi ab ineruditi ioco distat. Id quod ex comœdiis veteribus & nouis licet vnicuique perspicere: illis enim verborum obscœnitas, his obscœnitatis suspicio tantum risum faciebat. Hæc autem in honestate non paruam habent differentiam. Vtrum igitur ea re definiendus est aptus cauillator, quòd ea dicat quæ ingenuum hominem decet, an quòd molestia non afficiat audientem, aut etiam oblectetur? An hoc quoque nullam certam definitionem admittit, aliud enim alij & odiosum & iucundum esse consueuit: quocirca talia etiam audiet. nam quæ quisque audire patitur, eadem quóque facere videtur. sed non omnia faciet. cauillum enim conuicium quoddam est. legum latores autem, cùm nonnulla conuicia prohibeant, debebant fortasse cauilla etiam vetare. Elegans igitur & ingenuus quasi

Vt corpora, ita etiã mores ex motionibus iudicantur.

sibi ipse lex sit, ita se geret. ac talis quidem medius est, siue vrbanus & dexter, siue facetus appellandus sit. Scurra autem cùm superetur risibus, neque sibi neque aliis parcit, modo risum moueat: eáque dicit, quorum nihil elegans audiret, nonnulla autem ne audiret quidem. At rusticus est ad huiusce modi consuetudines inceptus: cùm enim nihil ipse conferat, omnia ægre accipit. Ac requies sanè & iocus in vita esse necessaria videntur. Tres igitur hæ, quæ diximus mediocritates, in vita sunt: quæ in verborum omnes, actionúmque quarundam communitate versantur: in quibus illud interest, quòd vna circa veritatem, reliquæ circa iucunditatem consistunt: ex iis vero quæ circa voluptatem sunt, altera in iocis, altera in reliquis vitæ congressionibus locum habet.

De verecundia.

CAP. IX.

DE verecundia autem quasi de virtute ad-
qua dicendũ non est: affectus enim magis
esse quàm habitus videtur: quippe quæ timor
quidam infamiæ esse definiatur, existátque
secus ac timor, qui circa res terribiles accidit.
Rubescunt siquidem qui pudore afficiuntur, ac
mortem timent, pallent: vt corporalia vtraque
esse videantur: id quod affectionis magis quam
habitus est. At non omni ætati affectus hic conuenit, sed iuuenili tantum. nam qui ea sunt ætate, oportere esse verecundos existimamus: propterea quòd cùm ex perturbatione viuant, multa
idque in multis peccent, à verecundia peccata
prohibentur. ac iuuenes quidem, qui verecundi
sunt, laudamus: seniorem quòd sit pudibundus

laudauerit nemo. nihil enim eum quicquam agere debere censemus, in quo pudor consistat. nam pudor probi viri esse nullo pacto potest, cùm ob malas res exoriatur. neque enim agendæ res eiusmodi sunt. Quòd si alia sunt re vera turpia, alia opinione, nihil refert. neutra enim agi debent. Quare minime est erubescendum: praui namque hominis est, esse eiusmodi, vt turpe aliquid agat, ita vero esse affectum, vt si turpe quid egeris erubescas, ac propterea probum te esse existimare, absurdum planè est. nam ex iis quæ sponte agimus, verecundia existit: probus autem vir spõte nunquam male aget. Quocirca verecundia ex conditione probata res est. si enim ageret, erubesceret, at hoc circa virtutes minime contingit, si vero impudentia malum est, & cùm quis turpia agere non verecundatur, nihilo magis bonum est existimãdum cùm quis turpia agendo erubescit.

Sed neque continentia, virtus est,
sed quoddam aliud mistum,
de qua posterius per-
tractabimus. Nunc
de iustitia di-
camus.

*

ARIST

ARISTOTELIS MORALIVM NICHOMACHI O-RVM, LIBER QVINTVS.

SVMMÆ LIBRI.

De iustitia & iniustitia. De iure & iniuria: ipsorum speciebus. De æquitate & æquo.

De iustitia & iniustitia, & modis iniusti.

CAP. I.

DE iustitia & iniustitia consyderandum est, circa quales actiones versentur, quales item sit mediocritas iustitia: & ius etiam quorum sit medium. Hæc autē consyderatio eadem docendi via progrediatur, qua vsi in superioribus etiam fuimus. Videmus igitur omnes eiusmodi habitū appellare iustitiam solere, ex quo ad agendas res iustas homines idonei efficiūtur: ex quo item iuste agunt, volūntq; iusta: iniustitiam quoque simili modo, ex quo iniuste agunt, & volunt iniusta. Idcirco etiam à nobis vt in figura hæc statuantur. Neq; enim in scientiis & facultatibus & in habitibus idem est modus. nam facultas & scientia eadem cùm sit, esse contrariorum videtur. habitus autem contrarius

trarius contrariorum esse nullo modo potest, verbi causa, ex sanitate cōtraria minime aguntur, sed salubria tantummodo: quippe cùm sanè quempiam incedere dicamus, cùm ita incedit, vt sanus. Sæpe quidem contrarius habitus ex contrario, sæpe item idem habitus ex subiectis sibi rebus agnoscitur: nam & si bona corporis habitudo fuerit nota, mala quoque habitudo innotescet: & ex bene habitis corporibus bona habitudo, & ex bona habitudine vicissim corpora ipsa quæ bene affecta sunt, fiunt manifesta. si enim bona habitudo carnis densitas est, necesse est vt & mala habitudo raritas sit: & quod bona habitudine est affectum, spissitudinem in carne efficiat. Sequitur autem plerunq;, vt si vnum multis modis dicitur, alterum quoq; dicatur: vt si ius, etiam iniuria. Iustitia autem & iniustitia dici pluribus modis videtur, sed quia proxima ipsarum cognominatio est, latet, nec sicut in iis, quæ procul distant, magis apparet. magna enim in forma differentia est, vt clauem æquinoce dici manifestum est, & eam quæ collo animalium subiacet, & eam qua fores claudūtur. Sed sumamus quot modis iniustus dicitur. Videtur igitur iniustus is esse qui & illegitimus, & pluris vsurpator, & iniquus est: quare iustum quoque esse & legitimum & æquum patebit. Ius ergo etiam ipsum legitimum, & æquum erit. iniuria contra illegitima & iniqua. Nam quia iniustus etiam est pluris vsurpator, circa bona non omnia versabitur: sed circa ea tantum, in quibus fortunæ prosperitas & aduersitas consistit, quæ semper quidem absolute ac simpliciter bona sunt, quibusdam tamen non semper bona euadunt. homines autem ea optāt, ac per

Sæpe cōtrarius habitus ex contrario, sæpe idem habitus ex subiectis sibi rebus agnoscitur.

ex contrario habitudo fuerit nota, mala quoque habitudo innotescet. sæpe ex subiectis sibi rebus agnoscitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac persequuntur. At non opus est. optare enim deberent, vt quæ simpliciter sunt bona, sibi quoque bona essent: & eligere ea quæ sibi bona sunt. Quanquam ininstus nó semper plus sed in iis quæ simpliciter mala sunt, minus eligit, sed quia minus de malis esse quodammodo bonum videtur, in bonis autem est plus vsurpatio: propterea pluris esse vsurpator videtur, est item iniquus. hoc enim continet, & commune est: necnon illegitimus, hoc est legũ transgressio, id est iniquitas omnem iniustitiam continet: éstque omni iniustitiæ commune. Quoniam autem illegitimus iniustus, legitimus vero iustus est: omnia legitima esse quodammodo iusta perspicuum est. nam quæ sunt à legumlatrice facultate definita, ea legitima sunt: quorum singula iusta esse affirmamus, leges autem de omnibus præscribunt, ea spectantes quæ vel communiter omnibus conferunt, vel optimis quibúsq;, vel principalibus, qui scilicet aut virtute, aut tali aliquo modo huiusmodi functionem atque ita vno quidem modo ea iusta dicimus quæ felicitatem eiúsque partes ciuili societati & efficiunt, & conseruant. Quin etiam lex præcipit & id quod fortis viri opus est, vt non deserere ordines, non fugere, non abiicere armatis: id quod est temperantis, vt non cõmittere adulterium, non contumelioſe se gerere: & id quod est mansueti, vt non verberare, non maledicere: simili modo quoque secundum alias virtutes & vitia alia iubet, alia prohibet, ac recta quidem lex est, quæ recte: mala, quæ tumultuarie posita est. Atque hæc quidé iustitia virtus perfecta quidem non absolute tamen, sed ad alterum, vt propterea sæpe iustitia virtutum præstantissima esse videatur.

Iustitia virtutum præstantissima.

deatur: & neque hesperus, neque lucifer sit adeo admirabilis, adde quòd in prouerbiũ dicimus,

Iustitia in se virtutes complectitur omnes.

Ac perfecta quidem maxime est, quia perfectæ virtutis est vsus perfecta autem, quia qui eam habet, non solum secum, sed cum altero etiam virtute vti potest. Multi enim sunt, qui in priuatis rebus virtute vti possuntur exteris quæ ad alium spectant, non possunt, vnde recte illud Biantis dictum videtur: principatus virũ ostendet, quippe cùm ad alterum iam, & in societate princeps versetur. Ob id quoque ipsum iustitia sola ex omnibus virtutibus esse alienum bonũ videtur, quia ad alterum spectat. agit enim ea, quæ alteri conducunt, aut principi, aut reipublicæ. Perfimus igitur est, qui & secum & cum aliis prauitate vtitur: optimus autem non qui secum, sed qui cum aliis virtutem exercet: quippe cùm id difficile admodum sit. Itaque neque hæc iustitia pars virtutis, sed integra virtus est: neque huic opposita iniustitia pars vicij, sed integra est vitiositas. quid vero virtus & iustitia hæc differat, ex iis quæ diximus, iam patet. vtraque enim eadem est: esse tamen vtrarunque non est idem: nam quatenus ad alterum spectat, iustitia: quatenus talis quidam est habitus, virtus simpliciter est.

Biantis dictum, Principatus virum ostendit.

Quid iustitia particularis, & quotuplex.

CAP. II.

QVærimus autem eam quæ in parte virtutis iustitia est: est enim quædam vt dicimus, simili modo & de iniustitia ea quærimus, quæ locum partis obtinet: quæ quòd sit, illud est argumentum, quòd qui aliqua alia prauitate operatur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, licet iniuste agat, nihil tamen amplius vltro pat, cuiusmodi exempli causa est, qui aut abiicit scutum ob ignauiam, aut aliquem ob acerbitatem maledictis insectatur, aut ob auaritiam pecuniis non iuuat. Quando autem plus vsurpat aliquis, sæpe id nullo ex talibus vitiis, at neque vniuersis, sed prauitate tamé quadam agit, cum vituperetur, atque iniustitia, est igitur alia quædam iniustitia, quæ tanquam pars est integræ illius & vniuersalis iniuria quædam, quæ in parte consistit illius iniuriæ vniuersalis, quæ præter legem est. Adde quòd si alius lucrandi causa adulterium committat, pecuniásque accipiat, vtilitas tribuat, damnóque afficiatur ob cupiditatem: hic intemperans magis esse videbitur quàm pluris vsurpatorisse iniustus, & non intemperans, perspicuum scilicet, propterea quòd lucrandi causa id facit. Præterea alia omnia iniuste facta ad quandam prauitatē semper referuntur: vt si adulteratus sit aliquis, ad intemperantiam: si aſſtrixit in acie deseruerit, ad ignauiam: si verberauerit, ad iram. at si lucratus est quispiam, ad nullum aliud vitium redigitur, quàm ad iniustitiam potest. Quare perspicuum est esse iniustitiam quandam ab illa integra & vniuersali iniustitia diuersam, quæ locum partis obtineat, atque vniuoca sit eò quòd in eodem genere est definitio. vtriusq; enim vis in eo consistit, vt ad alterum spectent: sed hæc tamen ea honorem aut pecunias, aut salutē, aut si quæ alia nomine vno possent comprehendi, circa quæ omnia versatur, ob voluptatē, quæ è lucro consequitur, illa autem circa vniuersa, circa quæ etiam probus vir munus suum exercet. Esse igitur iustitias plures, atque ex his vnam quandam

quæ diuersa à tota & integra virtute sit, iam patet. quæ autem ea sit, & qualis statuendum est. Definitum iam fuit iniurium id esse quod & illegitimum, & iniquum esse tius vero, quod & legitimum & æquum, ex illegitimo vero iniustitia prior illa, de qua diximus, existit. At quia iniquum & illegitimum non est idem, sed diuersa ita sunt, vt pars & totum. omne enim iniquum est illegitimum, non omne autem illegitimum est iniquum: & plus omne est iniquum, non autem contra iniquum omne plus est, efficitur, vt iniuria quoq; & iniustitia non eadē, sed diuersa ab illis sintatq. hæc vt partes, illa vt tota habeātur. hæc enim iniustitia vniuersæ illius iniustitiæ pars est, & iustitia iustitiæ similiter.

Quare etiam de iustitia particulari, & particulari iniustitia, de iure item & iniuria dicendum est, ea igitur quæ ex tota virtute constituta est iustitia, & iniustitia, quarū altera totius virtutis, altera totius vitiositatis vsus ad alterū est: omittatur ius quoque & iniuria, quæ exhis dependent, quomodo definienda sint, manifestum est. Pleraque enim legitima ea ferè sunt, quæ ex integra ac tota virtute præcipiuntur: nam lex iubet, secundum vnamquamque virtutem viuere iubet, secundum vnumquodque vitium prohibet, effectricia autē totius virtutis ea sunt legitima, quæ legibus ad publicam institutionem sancita sunt. Quæ vero ad singulorum institutionē spectant, qua absolute vir bonus euadit, ciuilisne facultatis an alterius, postea definiemur. non enim idem fortasse est virum aliquem, & ciuem omnem esse bonum. Iustitiæ igitur particularis, iurisque eius, quod ad ipsam attinet, vna species est, quæ in distributionibus aut honoris, aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

pecuniarum, aut cæterarum rerum cõsistit, quæ diuisi in eos possunt, qui eiusdem ciuitatis participes sunt, in his enim euenit, vt alter alteri vel iniquam, vel æquam habere portionem queat. altera, quæ in commerciis hominum emendis versatur. Cuius duæ sunt partes, nam ex commerciis alia sunt spontanea, alia inuoluntaria. spontanea eiusmodi sunt, venditio, emptio, mutuatio, sponsio, vsura, depositio, conductio. atque hæc spontanea ea de causa dicuntur, quia principium commerciorum horum spõtaneum est. ex inuoluntariis autem clandestina alia sunt, vt furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, seruorum seductio, dolosè perpetrarum homicidium, falsa testificatio, alia violenta vt flagellatio, vincula, mors, rapina, mutilatio, conuicium, contumelia illatio.

De iure distributiuo.

CAP. III.

QVoniam autem & iniustus iniquus, & iuria iniqua est, mediam quoddam esse iniqui perspicuum est: id autem est æquum. in quacunque enim actione est plus & minus, in eadem esse æquum necesse est. si igitur iniustum est iniquus, ius est æquum: id quod etiam abstractione omnibus manifestũ est, cùm vero æquale sit medium, ius quoque proculdubio medium quoddam erit. Est autem æquũ in minimis duobus. Necesse est igitur, vt ius & medium, & æquale sit, & ad quoddam, & quibusdam, & in eo quidem, quòd est medium, est aliquorum, ea autem sunt plus & minus in eo quòd est æquum. deorum in eo vero quòd ius, quibusdam, & ad quoddam. Itaq; necessario consequitur, vt ius in quatuor minimis versetur. nam & ij quibus ius aliquod est, duo sunt, & res duæ etiam in quibus ius ipsum consistit. eadémq; & in quibus æqualitas est. sicut enim se habent ea in quibus, eodẽ modo etiam illa. nam si non sunt æquales, neq; æqualia habebunt. Inde enim pugnæ & criminationes oriri consueuerunt, cum aut æquales non æqualia, aut non æquales æqualia habent & postulant. Hoc autem ex eo quod pro dignitate sit, etiam patet. ius enim quod est in distributionibus, pro dignitate quadam esse oportere omnes fatentur. Dignitatem tamen non omnes esse eandem asserunt, sed populari statu vtentes libertatem: principatum paucorum sectantes diuitias, & nonnulli nobilitatem, qui in optimatum administratione degunt, virtutem. Ius igitur quiddam est, quod in proportione consistit. Quod enim proportione constat, id nõ tam vnitatio numero, quàm numero in vniuersum proprium est. nam proportio æqualitas est rationũ, in quatuorque minimis reperitur, disiunctam sane in quatuor consistere perspicuum est. sed & continentem nihilominus. vno enim hæc perinde ac duobus vtitur, bisque id accipit, in hunc modum, qualis primi respectus est ad secũdum, talis secundi ad tertium. bis enim hic secundum dictum est. Quare si secundum bis positum sit, quatuor erunt ea quæ constant proportione. Est autem etiam ius in minimis quatuor, ratio quæ eadem est: quippe cùm disiuncta simili modo inter se ea sint & quibus, & quæ. Sicut igitur primus terminus sese habebit ad secundum, ita tertius ad quartum, igitur etiam alterna vice, sicut primus ad tertium, ita secundus ad quartum,

quare etiam totum ad totum, quod distributis binatim copulat: quæ, si etiam ita composita fuerint, iuste copulat. Primi igitur terminus tertio, & secundi cum quarto iugatio ius illud est, quod in distributione consistit. Ius autem est medium: eius inquam quod præter proportionem est, quod enim proportione constat, est medium: ius autem constat. Hanc vero proportionem mathematici geometricam vocant) propterea quòd in geometrica euenit, vt eandem totum ad totum rationem habeat, quam habet alterutrum ad alterutrum. Non est autem continens hæc proportio: non enim vnus & idem terminus efficitur, & cui & quod. Ius hoc igitur est id, quod proportione constat: iniuria id, quod præter proportionem est, vnde fit vt alteri plus, alteri minus exhibeatur, id quod & in actionibus ipsis contingit: qui enim iniuria afficit, plus, qui afficitur, minus ex bonis habet. in malis autem contra: quippe cùm minus malum, si ad malus comparetur, boni locum obtineat. minus enim malum magis expetendum est, quàm maius: at quod est expetendum, est bonum: & quod magis, maius. Atque hæc vna iuris species est.

De iure commutatiuo & emendatiuo.

CAP. IIII.


Reliqua vero altera iuris est emendatiua, quod in commerciis tum spontaneis, tum inuoluntariis fit: diuersámque à priore speciem habet. Ius enim publicorum bonorum distributium ea semper fit proportione, quæ dicta superius est, nam si ex pecuniis publicis faciendis fit distributio, eadem ratione fiet, quam habent inter

inter se ea quæ fuerint contributa, iniuriáque item huic iuri opposita præter eandem est proportionem. Ius vero quod in commerciis est, est quidem æquum quoddam. & iniuria iniquum: non tamen illa constat proportione, sed arithmetica. nihil enim refert, probúsne vir malum, an malus probum suo priuarit: neque probúsne an improbus adulterium commiserit: sed ad sedam nocumenti differentiam lex spectat: perindéque personis vtitur, ac si æquales sint, si ille iniuria afficiat, hic afficiatur: hic lædat, ille lædatur. Quare iniuriam hanc, cum sit iniqua, æquare iudex conatur. Nam cum hic percussus est, ille percussit: hic interfecit, ille autem interiit: affectio & actio in partes non æquas diuisa est, sed de lucro detrahens iudex damno redigere ad æqualitatem eas conatur. Dicuntur enim hæc absolute loquendo de talibus etiam rebus, licet nonnullis minime idoneum nomen esse videatur, vt lucrum ei qui percussit, damnum ei qui percussus est, accommodari possit. Sed vbi tamen perpessio ipsa fuerit mensurata, hoc damnum, illud lucrum vocatur. Quare æquum pluris & pauciorís medium est lucrum autem & damnum est & plus & minus, contrario tamen modo. plus enim boni, & minus mali est lucrum, contrarium vero, damnum, quorum quidem medium æquum est, quod esse ius dicimus. Ius igitur emendatiuum lucri & damni medium est: vnde etiam cùm altercantur homines, ad iudicem confugiunt. ad iudicem autem ire est ire ad ius ipsum: quippe cùm iudex nihil aliud sit, quàm ius quoddam animatum, & quærunt iudicem medium: & vocant nonnulli mediatores, quasi si medium fuerint con-

Iudex nihil aliud est quàm ius quoddam animatũ.

sequuti, ius quoque ipsum sint consequuntur. Ius igitur medium quoddam est: si quidem & iudex. iudex autem ad æqualitatem redigit. Et quemadmodum si linea in duas inæquales partes diuisa sit: illud quo maior pars dimidii excedit, ab ea aufert, & adiungit minori: cùm autem totum æqualiter fuerit bipartitum, tum vero suum se habere inquiunt, cum æquum quisque acceperit. Æquum autem medium est pluris & pauciotis arithmetica proportione: ac propterea appellatur ius δικαιον, eò quòd δίχα, id est bifariam diuisum est: quasi δικαιον, id est bipartium dixeris: & iudex δικαστὴς, quasi δικαστὴς, id est bipartitor dicitur. Si enim duo sint æqualia, & ab altero aliquid auferatur, & addatur alteri, id duabus talibus partibus alterum excedet: nam si dempta quidem esset vna pars ab altero, non adiuncta tamen alteri, vna tantum parte eiusmodi excederet, efficietur igitur vt & id cui est adiunctum, vna parte medium, & medium vna similiter illud excedat, à quo detractum est. Ex hoc ergo cognoscemus & qui ab eo detrahendum sit, qui plus habet: & quid ei qui minus habet, adiungere debeamus. id enim quo medium excedit, minus habenti addendum est: id autem quo exceditur, à maximo est detrahendum. Sint æquales inter se lineæ A A, & B B, & C C: dematurque ab A A pars quædam A E, & addatur ei in qua est C C: efficiatúrque C D. Quare tota D C C linea excedet E A parte ea in qua est C D. & ea in qua est C F: excedet igitur etiam mediam, id est B B parte C D.

Est



Est autem hoc in aliis quoque artibus. tolleretur enim, nisi & quod facit, & quantum & quale faceret: & quod eo afficitur, & tanto & tali afficeretur. Quin etiam nomina hæc damnum & lucrum & spontaneis contractibus videntur emersisse. cum enim quis plus habet, quam suũ erat, lucrum: cùm minus, quàm à principio habuerat, damnum facere dicitur, in vendendo scilicet & emendo, aliisque huiusmodi, quæ legibus permutantur. Cùm autem neque plus neque minus, sed sua cuique per se ipsa euaserint: sua ipsorum habere dicuntur, neque damnum pati, neque lucrari. Quare ius lucri cuiusdam & damni eorum est medium, quæ præter spontaneum fuit: cum æquum quisque & prius & posterius habet.

De retaliatione, nummo, & indigentia.

CAP. V.

Vide primo Mag. Moral. cap. 14.

VIdetur autem nonnullis & retaliatio absolute & simpliciter ius ipsum esse: quemadmodum Pythagorei dicebant: ius enim absolute esse retaliationem definiebant, verum retaliatio neque ad distributiuum ius, neque ad emendatiuum accõmodatur. volunt tamen ipsi Rhadamanti quoque ius hoc dicere,

Si contra passus fuerit, quod fecerit idem:

Iudicium planè rectum, vindictaq; fiet.

Sæpenumero enim dissidet: vt si magistratum quis gerens percusserit, repercutiendus non est. si autem magistratum gerentem quis percusserit, non solum est percutiendus, sed supplicio insuper afficiendus. adde quòd sponte an inuiti fecerimus, multum refert. Sed in communitatibus commercialibus tale ius retaliatum conseruat rem, si ex proportione, non ex æqualitate existat. contra enim faciendo ea proportione ciuitas continetur. Vel enim dant operam homines vt malum reddant, alioqui esse seruitus videtur, nisi par pari referatur: vel vt bonum recipiant, alioqui nulla fiet participatio: participatione autem ciuitates constant ac continentur. vnde etiam Gratiarum templum obuiam statuunt, vt retributio efficiatur. quippe cùm id proprium Gratiarum sit, vt & ei qui nobis gratificatus est vicissim gratificemur: & ipse rursus gratificando nos prouocet. Coniunctio autem quæ per diametrum fit, retributionem hanc facit, quæ constat proportione. exempli gratia, sit ædificator, in quo statuatur A: sutor, in quo B: domus, in quo C: calceus, in quo D. oportet igitur vt ædificator à sutore opus ipsius accipiat, & ipse suum illi tradat. Quòd si primum sit æquum ex proportione, deinde retaliatum efficiatur, erit id quod dicimus: sin minus, æquum non erit, neque consistet. nihil enim vetat quo minus opus alterius alterius opere præstabilius sit. quocirca adæquanda ea sunt. Est autem hoc in aliis quoque artibus: tolerentur enim nisi & quod facit, & quantum & quale faceret: & quod eo afficitur, & tanto & tali afficeretur. Non enim ex duobus medicis societas fit, sed ex medico & agricola: & denum diuersis & non æqualibus. sed hi tamen adæquandi sunt. Iccirco omnia ea, quorum est permutatio, comparabilia esse quodam modo debent, ob quod numus in vsum venit, qui quodam modo medium efficitur: metitur enim omnia: quare etiam excessum & defectum: quot scilicet calcei domui, vel alimento æquales sint. Oportet igitur quotus est ædificator, aut agricola ad sutorem, tot calceos ad domum, aut alimentum æquiparari. nisi enim ita sit, nec permutatio, nec societas esse vllo modo poterit: id autem non erit, nisi æqualia omnia quodam modo inter se sint. oportet igitur, vt vno quodam, sicut dictum est etiam prius, cuncta mensurentur. at id est re vera quidem indigentia, quæ omnia continet: nam si nulla re indigerent homines, aut non similiter, efficeretur vt vel non esset vlla omnino, vel non eadem permutatio. sed indigentiæ tamen loco ex pacto quasi substituitur numus. vnde etiam nomisma appellatur, eò quòd non natura, sed νόμῳ, id est, instituto & lege constet: in nobisque sit eum mutare, atque inutilem reddere. Erit igitur retaliatio, cùm adæquata iam singula fuerint: vt quo loco est agricola ad sutorem, eodem opus sutoris ad agricolæ opus sit. Cùm autem permutatur, in figuram proportionis redigere opus non est: alioqui alterum extremum vtrasque haberet exuperationes. sed vbi habuerint sua quisque, ita æqui & socij efficiuntur: eò quòd in ipsis fieri hæc æqualitas potest. Sit agricola A: alimentum C: sutor B: opus ipsius ad-

Numus. Nomisma.

æquatum D. si autem non hoc modo fiat retributio, nulla erit societas.

6 agricola A ——— B sutor

4 alimentum C ——— D calcei

Indigentiam vero quasi rem vnam quandã esse quæ contineat, illud declarauquòd cùm mutua ope non indiguerint aut vtriq; aut alteri, permutationem non faciunt: quemadmodum cum eo, quod quisq; iam habet, alius indigebit, vt vino, pro quo frumenti exportatione concedunt. id igitur adæquatum prius sit, necesse est. Sed licet nunc non indigeat quispiam pro futura tamen permutatione quasi sponsor, si indigentia inciderit, eam fore, nobis intercedit numus: qui enim eum affert, accipiendi facultatem habeat necesse est. Idem tamen etiam ipsi huic contingit: non enim semper æqualiter potest quamuis magis soleat permanere. iccirco precio cuncta æstimata esse oportet. ita enim semper erit permutatio: at si ea fuerit, societas quoq; sit necesse. Numus igitur, vtpote mediũ, commensurabiles inter se effecit res, atq; ita adæquat. neq; enim vlla esse societas potest, nisi sit permutatio: neq; permutatio, nisi sit æqualitas: neq; æqualitas, nisi etiã commensuratio sit. Ac re quidem vera fieri non potest, vt quæ adeo inter se distant, commensurabilia efficiantur: sed pro indigentiæ ratione satis cõmode fit. vnum igitur quoddam esse oportet atq; id ex constitutione. vnde etiam nomisma. id est numus vocatur. hic enim est, qui commensurabilia reddit omnia. numus enim omnia mensurantur. Sit Domus A: minæ decem B: lectus C: sitq; A dimidium ad B. siquidem quinq; minis domus digna esse censetur,

setur, aut æquali reiectus autem, id est C decima sit pars ipsius B. patebit profecto quot lecti domui æquales euadant: nimirum quinque.

A		B		C
domus		1		lectus
		10	minæ	1

Ita autem fieri consueuisse permutationem antequàm numus inueniretur, perspicuum est. nihil enim interest an lecti quinque, pro domo vna exhibeantur: an tantum, quanti lecti ipsi quinque constant. Quid igitur iniuria, quid item ius sit, dictum iam est. His ita definitis perspicuum est iustam actionem inter arbitros iniuria & affici medium quoque esse: illud enim plus habere est: hoc minus. Iustitia vero non eodem modo, quo aliæ superiores virtutes, mediocritas est: sed ob id quia medij est. iniustitia autem extremorum. Ac iustitia quidem est, qua iustus dicitur iusti operator ex electione, ac distributor tã sibi ad alterum, quàm alteri ad alterum: non ita vt expetendarum rerum maiorem partem sibi, minorem alteri exhibeat, damnosarum econtrario: sed æquum ex proportione distribuat. & alteri ad alterũ similiter. Iniustitia autem contra est, qua iniusti operator & distributor vnusquisque dicitur. id autem excessus & defectus est vel vtilis rei, vel damnosæ præter proportionem. atque iccirco iniustitia excessus est & defectus, quia excessionis & defectionis est. In se quidem excessionis rei illius quæ absolute est vtilis, & defectionis damnosæ: in aliis in vniuersum quidem similiter, quantum tamen ad id spectat, quod præter proportionem est, vno modo inciderit, iniuste facti autem mi-

nus

nus est iniuria affici, maius afficere. De iustitia quidem & iniustitia, quænam sit vtriusque natura: de iure similiter & iniuria in vniuersum ad hunc modum dictum iam sit.

De iniuria & iure ciuili, herili, & familiari.

CAP. VI.

Hanc partē vsq; ibi, Nō est autem, non ex posit Aucr.

QVoniam vero fieri potest, vt quis licet iniuste agat, non tamen sit iniustus qualis nam iniuste facta quispiam committens in vnaquaque iniustitia iniustus continuo esse dicendus est? fúrne, an adulter, an latro? an ista quidem nihil interierit? nam concumbere cum muliere quis posset non ignarus qua cum re habeat non tamen ex electionis principio, sed ex affectu id faceret? qui sanè iniuste quidem agit, non tamen est iniustus. sicut neque fur, licet furatus sit: neque adulter, licet adulterium commiserit. simili modo etiam de aliis. Quomodo sanè retaliatio ad ius sese habeat dictum iam superius est. Non est autem ignorandum id quod nunc quærimus & simpliciter ius ciuile ius esse. hoc autem est quod communem vitæ affert, vt liberis hominibus & æqualibus necessaria sufficiant: atque id vel proportione vel numero. quare quibus hoc non adest inter eos neque ius ciuile esse existimandum est: sed ius quoddam, & per similitudinem. Ius enim ius inter illos, quibus etiam lex est. Lex autem inter eos est, in quibus est iniustitia. Iudicium enim iuris & iniuriæ diiudicatio est. quibus vero est iniustitia, in iis quoque iniuste facere est. Non in omnibus tamen, in quibus est iniuste facere, est etiam iniustitia. hoc autem est cum quis plus ex simpliciter bonis, minus ex

ex simpliciter malis sibi attribuit. Propterea nō sinimus dominari hominem, sed rationem: eò quòd sibi ipsi id facit, & tyrannus euadit. est autem qui dominatur, iuris ipsius custos: at si iuris, æqui etiam. Quoniam vero esse ipsi nihil amplius videtur, si quidem est iustus, non enim amplius ex simpliciter bono sibi attribuit, nisi id ipsi proportione conueniat: iccirco alteri laborat. Atque ideo iustitiam alienum esse bonū inquiunt, quemadmodum etiam prius dictum est. merces igitur quædam danda est: ea autem est honor, & donum. quibus vero hæc satis non sunt, ij tyranni efficiuntur. At vero Herile iustum ac paternum idem cum his minime est, sed similes. nullius enim erga sua simpliciter iniustitia est: possessio autem, & liberi quoad tantuli fuerint & non separati, quasi quædam vniuscuiusq; sumrnat sese lædere eligit nemo: vnde nullius erga se iniustitia est. igitur neque ciuile ius neq; iniuria erit: quippe quæ & lege existant, & inter eos, in quibus esse lex potest: hi autē erant illi, quibus & dominandi, & obtemperandi æqualitas inest. Iccirco magis erga vxoré, quàm liberos & possessiones ius est: id enim est ius familiare: quod tamen à ciuili etiam ipsum diuersum esse constat.

Nullius erga se iniustitia est.

De iure naturali & legitimo.

CAP. VII.

CIuile autem ius aliud naturale est, aliud legitimum. naturale, quo vbicunq; eandem vim habet, & non quia vel ita videtur, vel minime legitimum, quòd à principio vtrum hoc an illo modo fiat, nihil refert: vbi vero fuerit institutum, refert. vt mina captiuos redimi, vt

capr

Universidad de Deusto
Biblioteca

capram sacrificare, non duas oues sed ea, item quæ de singulis sanciunt vt Brasidæ sacrificare non oues, non ea quæ sunt decretalia. Sed nonnulli omnia esse huiusmodi videntur: quia quod est natura, immobile est, & vbique eandem vim habet: quemadmodum ignis qui & hic & apud Persas vrit: iusta vero moueri videntur. At hoc non ita est, sed quodam modo. quamquam apud Deos fortasse nullo modo est: apud nos autem est quoddã etiam naturale, quod mobile sit, licet non omne: sed est tamẽ aliud natura, aliud non natura. Quidnã autẽ sit quod natura est, eorum quæ possunt aliter sese habere & quidnã natura, sed lege & institutione, si quidẽ vtraque mobilia simili modo sunt: perspicuum esse & ex his quoque eadem determinatio accommodabitur. natura enim dextra manus potior est, licet fieri possit, vt omnes ambidextri sint. Iusta vero ex institutione & vtilitate similia mensuris sunt: non enim vbique sunt æquales vinariæ & frumentariæ mensuræ, sed maiores sunt vbi emunt: vbi vendunt minores. Sic iusta modo non naturalia, sed humana iura, non eadem vbique sunt. nam neq. respublica apud omnes est eadem: sed vna tantum vbique ea est secundum naturam, quæ optima est. Vnumquodque autem eorum iust & legi imum, vt vniuersalia ad ea habent ad particularia. nam quæ aguntur, multa sunt: illorum autem vnumquodque est vnum: vniuersale enim est. iniuste autem factum & iniuria, iustificatio item & ius inter se differunt. iniuria enim cùm natura sit vel constitutione, cùm sit iniuste factum, quotiescunque vero quid factũ fuerit, iniuria tantum modo est. nam vbi est facta, iniuste factũ dicitur. simili modo &

iustificatio. Sed id tamen quod commune est, potius iuste factum iustificatio vero iniuste facti correctio vocatur. horum autem sigillatim qualẽnam & quot species sint, ac circa quæ versentur, postea considerandum est.

De triplici nocumento, quod alijs irrogatur.

CAP. VIII.

CVnt iusta vero & iniuriæ sint ea, quæ diximus: & iniuste agit, & iuste quispiã, cùm sponte agit. nam cùm inuitus facit, neq. iniuste neq. iuste agere censendus est, nisi ex accidenti: accidit enim vt ea quæ agunt, vel iusta sint, vel iniusta. At iuste vel iniuste factum spõtaneo & inuito definitur. Cùm enim sponte fuerit, vim perpetrantẽ quoq; etiã est iniuste factum. Quare fit vt iniustum quidem esse quippiam possit, quod tamen nondum iniuste factum sit, nisi id etiam adfuerit, vt sponte factum sit. Appello autem spontaneum, quemadmodum etiam prius dictum est, illud quod in sua quisque potestate situm cognoscens, neq; ignorans agit, aut quẽ aut quo, aut cuius: id est aut quem verberet, aut quare, aut cuius causa: & vnumquodque illorum, non per accidens, neque per vim. vt si quis apprehensa manu ipsius alium verberet: non sponte autem ipse id faciat, non est enim in ipso. fieri etiam potest, vt qui verberatur, sic patiatur: ipse autem hominem eum quidem esse, aut ex præsentibus aliquem scias, patrem tamen esse ignoret. simili modo quoque de illis quorum causa quippiam fit, definiendum est, iisque quæ ad actionem totam spectant. Quod autem ignoratur, aut non ignoratur, non est manifestum in ipso vel per vim fit an nutum est. multa enim

ta enim ex iis, quæ sunt natura, scientes etiam agimus & patimur: quorum nihil neque spontaneum est, neque inuitum: vt senescere, vel mori. Sed id quod per accidens fit, tam in iustis quam in iniustis simili modo contingit. nam sicut si quis inuitus & timore inductus reddiderit depositum, is neque iusta agere, neque iuste facere dicendus est, nisi per accidens: sic patri modo qui coactus & inuitus non reddiderit, per accidens iniuria afficere, & iniusta agere est dicendus. Ex spontaneis autem alia cum electione agimus, alia sine electione. cum electione ea agimus, quæ præconsultauimus: sine electione, quæ nulla præconsultatione adhibita facimus. Verum, quum tres sint læsiones, quæ in societatibus eueniunt: quæ cùm ignoratione fiunt, sunt peccata, cùm neque quem, neque quod, neque quo, neque cuius causa existimauerat quispiam, ea egerit: vel enim non esse percussurum, vel non hoc, vel non hunc, vel non huius causa putauit: sed accidit id, cuius causa minime putarat: verbi gratia, non vt vulneraret, sed vt stimularet: aut non quem, aut non sicut volebat. Quando igitur præter rationem euenerit læsio, infortunium est: quando vero non præter rationem, sed tamen vitio, peccatum, peccat enim quispiam cùm in se principium causæ habuerit: infortunate egit, cùm extrinsecus. At cùm cognoscens quidem, sed sine tamen præconsultatione agit quispiam, iniuste factum est: vt sunt, quæ ex ira fiunt, aliisque affectibus, qui necessarij, naturalésque hominibus accidunt. qui in his errant, lædunt, & peccant, iniuste quidem agunt, sunque hæc iniuste facta, nondum tamen iniusti

ob hæc

ob hæc, neque praui ipsi homines habentur: quippe cùm læsio ipsa ex prauitate minime eueneriit. Nam cùm ex electione læserit quispiam, tunc demum iniustus ac prauus est. Quocirca recte ea quæ ex ira fiunt, non esse ex prouidentia iudicantur: non enim principium affert, qui iratus facit, sed qui ad iram prouocauit. Præterea neque hic factum sit nécne, sed iurène an iniuria factum sit controuersia est: ita siquidem apparens iniustitia est. non enim sicut in commerciis factúmne sit, contendunt, vbi necesse est alterum prauum omnino esse, nisi ex oblitione id faciant: sed de facto consentientes, iurène an iniuria id factum sit, altercantur: quod qui insidiosè fecit, minime ignorat. quare alter iniuria se esse affectum putat, alter minime. Si autem ex electione læserit, iniuste agit: & ex his iam iniuste factis iniustus est, qui iniuriam facit: cùm vel præter proportionem fuerint, aut æquè. simili modo etiam iustus est vnusquisque, cùm ex electione iuste egerit. iuste agit autem, si tantummodo sponte agat. At ex iis, quæ inuiti agimus, alia ignoscenda sunt, alia minime. nam quæ non modo ignorantes, sed ex ignoratione committimus, sunt ignoscenda: quæ vero non ex ignoratione, sed ignorantes facimus, ex affectu tamen neque naturali neque humano, venia digna minime sunt.

De eo, quod est pati iniuriam.

CAP. IX.

DVbitare autem quispiam posset, an satis de facienda patientisque iniuria definitum sit. Ac primum an sit id quod Euripides dixit absurde inquiens,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quomodo parentem occiderim exponam breui: Videm volentem, vel nolentem non volens.

Vtrum re vera fieri possit, vt sponte quispiam iniuria afficiatur, necne, an omne id inuitum sit? quemadmodum iniuria afficere quoq; spontaneum totum est an spontaneum aliud, aliud sit inuitum? Et simili modo de iustificando iustè agere enim spontaneum totum est: vt meritò vtroque modo opponi debeat, & iniuria affici & iustificari: vt vel spontaneum vel inuitum vtrunque esse affirmemus. Absurdum autem videretur, si iustificari spontaneum esse totum diceremus: quippe cùm nonnulli sint, qui non sponte iustificentur. Nam etiam de eo dubitatur quispiam, vtrum vnusquisq; qui iniustum aliquid passus est, iniuria quoq; afficiatur an secus: in agendo, ita in patiendo quoque res sese habeat. fieri enim potest, vt in vtrisq; ex accidenti iusta consequamur. idem autè in iniustis quoq; euenire manifestum est: quippe cùm non idem sit iniusta agere & iniuste agere, id est iniuria afficere: neque iniusta pati, & iniuria affici. Similiter quoque iuste agere quempiam & iustificari dicendum est. non enim potest quispiam iniuria affici, nisi aliquis sit, qui iniuria afficiat: neque iustificari, nisi iuste quispiam agat, atque afficiat. Verùm si absolute iniuria afficere est sponte lædere, sponte autem lædere, est scientem quem, & † quod, & quomodo: intemperans vero sponte seipsum lædit: sponte is iniuria afficeretur: possétque fieri, vt ipse seipsum quispiam iniuria afficeret. at hoc vnum ex his est, quæ in dubium veniunt, vtrum iniuria afficere seipsum quispiam possit. Adde quòd sponte etiam ob intemperantiam aliquis ab alio volente iniuria afficeretur: vt hoc modo quispiam sponte affici iniuria queat. An fortasse non recta definitio est: sed, cùm dicimus lædere esse scientem & quem, & † quod, & quomodo, addendum est, præter illius voluntatem qui lædit. lædit igitur sponte aliquis, atque iniusta patitur: nullus tamen est qui iniuria sponte afficiatur, quippe cum id velit nemo: ne incontinens quidem: sed præter voluntatem agat. nemo enim vult id, quod non esse bonum existimat, at incontinens quod non esse agendum putat, id agit. qui enim sua ipsius dat, sicut Homerus inquit Glaucum dedisse Diomedi,

Aurea pro ferreis, æra pro centum nouenis.

nulla afficitur iniuria: quippe cum in ipsius potestate sit dare, iniuria vero affici, minime in ipsius est: sed esse aliquem oportet, qui iniuria afficiat. Atque iniuria affici quidem non esse spontaneum manifestum est. Duo præterea ex iis quæ proposuimus, supersunt dicenda. verum is, qui plus præter dignitatem distribuit, iniuriam affert, an is qui id habet, fieri ne item possit, vt se ipsum quispiã iniuria afficiat. Nam si fieri potest id, quod prius dictum est: & qui distribuit iniuria afficit, non qui habet plus: si quis alteri quàm sibi plus distribuit sponte & sciens, is se ipse iniuria afficit: id quod facere modesti homines consueuerunt. modestus enim eiusmodi est, vt imminui sua non difficulter patiatur. An neque hoc simplex est: ex alio enim bono, si ita inciderit, plus vsurpauit: vt ex gloria, aut eo quod absolute honestum est. Sed soluitur etiam ex iniuria afficiẽdi definitione. nihil enim præter suam patitur voluntatem, vt propterea affici iniuria minime possit, sed lædatur tan-

† ad. quo.

† ad. quo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum: si modo pati ipsum quippiam dicendum est. Perspicuum quoque est, cum qui distribuit, iniuria afficere, non eum semper qui plus habet, non enim cui iniustum inest, is iniuriam facit, sed cui inest id vt sponte hoc faciat: id autem est, vnde principium actionis proficiscitur: quod sanè in distribuente, non in accipiente consistit. Adde quòd, cùm facere multis modis dicatur: & quodammodo inanimata interficiant, & manus, & seruus, cùm mandauerit aliquis: hæc sanè non iniuste faciunt, sed iniusta tamen committunt. Accedit quòd, si ignauus iudicauit quispiam, non iniuria afficit, quatenus ad legitimum ius attinet, neque iniustum iudicium est: sed quodammodo tamen iniustum. aliud enim legitimum, aliud primum ius est. At si sciens iudicauit iniuste, plus sibi vsurpat. & ipse vel gratiæ vel vindictæ perinde quisquis iniuste facti quoque ipse partem acceperit: & ille etiam, qui ob hæc iniuste iudicauit, plus habet. Etenim in illis qui agrum adiudicauit, is non agrum, sed argentum accepit. Homines autem in sua potestate sitam existimant, vt iniuria afficiant. propterea etiam ius ipsum potant facile esse: quod tamen non est. rem habere enim cum vxore vicini, & percutere proximum & manu porrigere pecuniam & facile est, & in ipsis: sed ita tamen se habentes hæc facere, neq; facile, neq; in ipsis est. Simili modo quoque cognoscere iusta & iniusta nullam sapientiam esse existimant: propterea quòd difficile minime est ea intelligere, de quibus leges præscribunt. Verum iusta non hæc sunt nisi per accidens: sed ea sunt iusta, quæ quodammodo aguntur, & quodammodo distribuuntur. Id autem difficillimum

est quàm salubria cognoscere: nam illic mel, vinum, veratrum, adustionem item & incisionem noscere facilius est: quomodo autem ad sanitatem afferendam, cui, & quando adhibenda hæc sint, iam est sanè difficile cognoscere, quàm medicum esse. Ob id autem ipsum etiam iusti homines esse existimant nihilo minus iniuste agere: quoniam nihilo minus iustus, imo etiam magis facere vnumquodque ex his potest. nam & rem habere cum muliere, & percutere: & vir fortis scutum ablicere, & in fugam versus in vtram partem velit, currere potest. Sed ignaue agere, & iniuste non est hæc facere, nisi per accidens. nam hæc facere est, cùm aliquis ita se habens agit. Quemadmodum etiam mederi & sanare non est incidere, aut non incidere, vel medicamenta adhibere, aut non adhibere: sed quodammodo vtraque hæc facere. Iura autem inter eos sunt, qui bonorum simpliciter sunt participes: in quibus & excessum habent & defectum. quibusdam enim horum non est excessus, vt fortasse Diis: quibusdam nulla pars vtilis est, vt incurabilibus & malis, sed nocent omnia: at quibusdam quadamtenus: atque hoc propterea humanum est.

De æquitate, æquo, & bono.
CAP. X.

SEquitur, vt de æquitate & æquo & bono, quomodo se illicet illa ad iustitiam, hoc ad ius respiciat, differamus. Neque enim si quis recte consideret, vt idem absolute spectare, neque vt diuersum prorsus genere videtur. & interdum æquum & bonum, hominémque ipsum eiusmodi laudamus, ita vt ad alia quoq; trans-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ferre hoc nomen laudando consueuerimus æquum hominem probum appellantes: tamen dum, dum rationem sequimur, absurdum videtur æquum & bonum, si præter ius quiddam est, esse laudabile, vel enim ius non est honestum vel æquum & bonum non est ius, si diuersum quid est: vel si vtrunque est honestum, idem vtraq; sunt. Ac dubitatio quidem circa æquum & bonum ferè ex his contingit: in qua omnia quodammodo recte sese habent, nihilque est quod sibi aduersetur ac repugnet. nam circa æquum & bonum iuris cuiusdam æquum est, melius ius quoddam est: neque tamen quasi diuersum aliquod genus est iure ipso melius. Est igitur & æquum & bonum idem est. cùm enim vtraque honesta sint, æquum & bonum honestius, melíúsque est. Dubitatio autem hæc oritur, quia æquum & bonum ius est non tamen dum legem, sed legitimi iuris correctio. Cuius rei causa est, quòd lex in vniuersum omnia statuit: nec fieri potest, vt recte de quibusdam vniuersum definiatur. in quibus enim necesse est, vt in vniuersum dicatur, recte autem id fieri potest: lex id sumit quod vt plurimum fit, non ignorans sanè quod peccatur, & nihilo minus tamen recte sese habet: quippe cùm peccatum in lege minime sit, neque in legislatore, sed rei ipsius natura consistat, statim enim res agendarum materia eiusmodi est. Quando igitur lex in vniuersum dixerit, & præter vniuersale postea quippiam contigerit: tunc recte habet, si qua legislator omisit, absolutéque & simpliciter loquendo peccauit, corrigens hoc ipso quod legislator etiam ipse si adesset, corrigeret & si sciuisset, ita præscribentem legem statuisset. Iccirco ius quidem est & melius quodam iure, non eo tamen quod absolute est & simpliciter, sed eo quod ex absoluta loquendo peccat. estque ea æqui & boni natura, vt legis quæ parte deficit, ob vniuersale, emendatio sit. id enim est in causa, vt etiam non omnia secundum legem sint, propterea quòd vt de quibusdã lex sanciatur, fieri nullo modo potest. quapropter decreto opus est: indefiniti enim indefinita etiam esse regula debet. sicut ædificationis Lesbiæ plumbea norma, quæ ad lapidis figuram transmutatur, neque immobilis manet: sic decretum ad res ipsas accommodatur. Quidnam igitur sit æquum & bonum, & quid ius, & quo iure melius id sit, perspicuum iam est. Ex quo etiam patet quisnam æquus & bonus vir sit: qui enim talia eligit, atque agit, neque est exactus iuris exequutor in peiorem partem, sed immitis: magis potius, etiam si legem ad id adiutricem habeat, æquus & bonus est. habitúsque ipse æqui tas, quæ quidem iustitia quædam, nec diuersus ab ea habitus est.

De eo quod est facere iniuriam sibiipsi.

CAP. XI.

EX his quæ diximus, manifestum etiam fit, an fieri possit, vt quis iniuria seipsum afficiat, nè ne. Nonnulla enim sunt iura, quæ ad vniuersam virtutem spectantia à legibus sunt instituta: exempli causa, lex non iubet se ipsum quempiam occidere: quæ autem non iubet, vetat. Præterea cùm quis præter legem lædit non referens læsionem, sponte iniuriam facit: qui autem sponte facit, is sciens & quem, & quo modo, facit. at qui ob iram seipsum iugulat,

sponte præter rectam legem id agit, quod sibi non permittit: iniuriam igitur facit. sed cui facultati nimirum, non sibi quippe cùm sponte patiatur: nemo vero sponte iniuria afficiatur. Vnde etiam ipsum ciuitas mulctat: eique, qui se ipsum necauit, quasi ciuitatem iniuria afficerit, ignominia quædam irrogatur. Adde quòd nequit eo modo potest quispiam se ipsum iniuria afficere, quo iniustus ille est, qui solummodo iniuste agit, & non omnino est prauus: id quod diuersum ab illo est, est enim quodammodo iniustus ita prauus, vt ignauus: non vt totam in se habeat iniustitatem. Quare neque secundum hanc sibi facit iniuriam quispiam: simul enim idem auferri, ac detrahi eidem posset: quod omnino nequit: sed semper inter plures esse hanc & iniuriam necesse est. Nec non spontaneum, & ex electione, & prius, nã qui propterea quod passus est, idem vicissim facit: iniuriam facere minime videtur. ipse autem seipsum iisdem simul & afficit, & afficitur. Præterea fieri posset vt sponte quispiam iniuria afficeretur. Ad hæc vero sine particularibus iniuste factis iniuriam facit nemo. at nemo vel cum sua vxore adulterium committit, vel parietem suum perfodit, vel suas ipsius opes furatur. Ac demum quòd iniuria se ipsum quispiam afficiat, definitione ea soluitur, qua iniuria affici vnumquémque constitutum est. Perspicuum autem est vtrum sit iniuria affici, quàm afficere, esse malum: alterum enim est minus, alterum amplius habere, quàm sit mediocre. Quemadmodum in medicina salubris, in exercitatoria eius rei, quæ ad bonum habitum facit. peius tamen est iniuria afficere: quippe cùm id cum vitio sit, & vituperabile:

bile: & cum vitio quidem vel perfecto, & absolute, vel prope. Non enim omne quod spontaneum est, est cum iniustitia. at iniuria affici sine vitio & iniustitia est: iniuria igitur affici per se minus malum est. Nihil tamen vetat, quin ex accidenti esse malus malum possit. sed ars tamen id nihil curat: quippe quæ inquit lateris dolorem maiorem esse morbum quàm cæspitationem. licet ex accidenti alterum interdum eueniste queat: si contingat, vt ex cæspitatione alicuis occiderit, atque ita ab hostibus captus fuerit, atque interfectus. At vero per translationem & similitudinẽ est ius non sibi ad se ipsum, sed sibi cum quibusdam ex suis: quanquam non omne ius, sed herile tantum vel familiare. In his enim rationibus pars animæ nostræ rationis particeps ab ea quæ est expers, distat, ad quæ cùm spectamus, esse iniustitia quædam ad se ipsum videtur: quoniam scilicet fieri potest, vt in his aliquo modo præter suas appetitiones quispiam afficiatur. Sicut igitur principi & subdito, ita his quoque inter se esse ius quoddam videtur. Ac de iustitia quidem, cæteris que moralibus virtutibus in hunc modum definitum sit.

ARISTOTELIS MORALIVM NICOMACHIORVM LIBER SEXTVS.

SVMMAE LIBRI.

De principijs agendi. De intellectu habitibusq; scientia scilicet, arte, intellectu, sapientia, prudentia. De prudentia partibus, & his, quæ ad eam conspectantur. De sapientiæ, ac prudentiæ vtilitate. De naturali virtute, ac virtutum & prudentiæ connexione.

De recta ratione, duplici virtute, & partibus animæ.

CAP. I.

QVoniam priùs diximus & medium esse eligendum, excessum neque defectum, & medium esse sicut ratio recta præscribit, hoc iã distinguamus. In omnibus enim antedictis habitibus, quemadmodum in aliis, est quidã scopus ac finis, in quem respiciens is qui habet rationem, intendit, ac remittit. Estque quidam mediocritatum terminus, quas inter excessum & defectum esse dicimus, cùm secundum rectam rationem extiterint. Ac si ita dicamus, verum quidem est, non tamen perspicuum: quippe cùm in omnibus aliis studiis, circa quæ est scientia,

scientia, verum sit dicere, neque amplius neque minus esse elaborandum, neque ociandum, sed mediocriter, atque vt recta ratio præscribit. nam qui solum hoc habet, nihil amplius cognoscet: verbi causa qualia corpori exhibenda sint: si quis dixerit, ea quæ iubet medicina, & sicut is qui ea est præditus, statuit. Iccireo oportet etiam circa animi habitus non solum vere hoc dictum esse, sed etiam determinatum, quænam sit recta ratio, quæq; eius finitio sit. Cùm igitur virtutes animi diuideremus, alias morum, alias mentis esse diximus. Ac de moralibus quidem iam disseruimus: de reliquis nunc dicamus, si priùs tamen de anima nonnulla exposuerimus. Superius enim duas esse animæ partes dictum est, alteram rationis capacem, alteram expertem. nunc vero eodem modo rationis capax diuidenda est. statuantúrque duæ esse ratione præditæ partes: vna, quæ eiusmodi res contemplamur, quarum principia aliter sese habere non possunt: altera, qua ea consideramus, quæ esse aliter possunt. Ad ea enim quæ genere sunt diuersa, cognoscenda, ex animæ quoque partibus diuersa genere ea est, quæ ad vtrumque cognoscendum est apta. siquidem ex similitudine quadam atque affinitate cognitio ipsis contingit. Quarum altera sciendi, altera ratiocinandi facultas dicatur. consultare enim & ratiocinari idem est. at de iis quæ non possunt aliter sese habere, consultat nemo. Quare ratiocinatrix vna quædam pars est eius animæ partis, quæ rationis est capax. Quis igitur vtrarunque harum optimus habitus sit, statuendum est: is enim est vtriusque virtus: at virtus ad opus proprium spectat.

Deiis, quæ non possunt aliter se habere, consultat nemo.

De

De principio agendi.

CAP. II.

TRia autem sunt, quæ in anima actionis ac veritatis dominium habent: sensus, intellectus, & appetitus. Sed ex his sensus nullius principium actionis est, id quod perspicuum est ex eo, quòd bestiæ sensum cum habeant, actionis participes minime sunt. Quod vero in cogitatione affirmatio & negatio est, idem in appetitu persequutio est, & fuga. Quare cum moralis virtus habitus electivus sit, electio vero consultatrix appetitio: propterea oportet si modo electio proba est, vt & ratio sit vera, & appetitus rectus: & eadem & illa dicat, & hic persequatur. Atque hæc cogitatio seu mens & veritas actiua est. Contemplatiuæ autem cogitationis & non actiuæ neque effectiuæ bene & male esse, est verum & falsum. Hoc enim totius cogitatiuæ opus est, sed actiuæ & cogitatiuæ veritas est, quæ appetitui rectæ consentanea sit. Electio igitur actionis principium est, vnde est motus, non cuius causa. electionis vero appetitus, & ratio quæ alicuius causa est. Vnde neque sine intellectu & cogitatione, neque sine morali habitu electio est, bona etenim actio, & quod item contrarium in actione est, sine intellectu & cogitatione, & moribus non existit. Cogitatio vero ipsa nihil mouet, sed ea quę causa alicuius est, & actiua. hæc etiã enim effectiuæ dominatur: quippe cùm causa alicuius faciat, vnusquisque quod facit: neque finis absolute, sed ad aliquid & alicuius sit, id quod fit, non tamen id quod agitur. bona enim actio finis est: finis vero ipsius est appetitus. Iccirco vel appetitiuus intellectus, vel intellectiuus appetitus electio est. Tale autẽ principium est homo. Nihil autem est eligibile, quod tactum est, vetbi causa, Ilium expugnasse eligit nemo, non enim consultat quispiam, de eo quod tactum est, sed de eo quod futurum est, efficique aliter potest. quod autem factũ est, quin factum sit, fieri nullo modo potest. Iccirco recte Agatho inquit:

Id namque sola hæc ipse priuatur Deus.
Vt facta nunquam infecta posse reddere.

Vtrarumque igitur intellectiuarum partiũ opus veritas est. Quocirca secundum quos habitus vtraque maxime verum dicet, ij vtrarunq; virtutes erunt.

Contemplatiua, & actiua mentis opera.

Quæ sola privatur Deus.

Habituum intellectualium enumeratio: quod scientia obiectum, & quæ proprietates.

CAP. III.

SVmpto igitur altius principio rursus de ipsis dicamus. Sint autem ea, quibus anima affirmando aut negando verũ dicit, numero quinque, hæc vero sunt ars, scientia, prudentia, sapientia, intellectus. nam existimatione & opinione fieri potest, vt mentiamur. Scientia igitur quid sit, inde manifestum est: si exquisite tractare, & nõ sequi similitudines opus est. Omnes enim id quod scimus, non posse aliter sese habere existimamus: quæ autẽ aliter esse possunt, cùm extra contemplationem fuerint, an sint, nõne latent, scibile igitur necessario est: ergo æternum. quæ enim necessario sunt, absolute omnia sunt æterna: quæ autem sunt æterna, generationi, & corruptioni minime subiacent. Omnis præterea scientia eiusmodi est, vt docetur: scibile

Vide principium primi libri Post.

scibile vero, vt disci posse videatur, ex præcognitis autem fit omnis doctrina vt in Resolutoriis etiam diximus. nam altera ea inductione fit altera ratiocinatione, atque inductio quidem principium est vniuersalis, ratiocinatio ex vniuersalibus. Sunt igitur principia, ex quibus constat ratiocinatio, quorum non est ratiocinatio: ergo inductio. Efficitur igitur, vt scientia quæ demonstratibus sit habitus: & quæcunque alia in Resolutoriis definiuimus. Quàdo enim quodq; modo credit, & nota ipsi sunt principia: alioquin Nam si non magis quàm cõclusio, ea nota fiet scientiam ex accidenti habebit. Ac de scientia quidem in hunc modum definitum sit.

De arte.

CAP. IIII.

Reliquum autem quod esse aliter potest, aliud est faciendum, aliud agendum est. Effectio autem & actio diuersum quid est, de ipsis autem his, extratijs etiã sermonibus credimus. Quare etiam habitus actiuus cum ratione ab effectiuo habitu cum ratione diuersum quid est, neque ipse se mutuo continentur, neque enim actio effectio, neque effectio actio est. Quoniam autem ædificatoria, ars quædam est, atque id quod habitus quidam cum ratione effectiuus, neq; vlla ars est, quæ non sit habitus cum ratione effectiuus: neque vllus huiusmodi habitus, qui non sit ars: efficitur, vt & ars, & habitus cũ ratione vera effectiuus idem sit. Ars autem omnis circa generationem versatur, comminiscitúrq; & contemplatur, vt eorum aliquid fiat, quæ & esse & non esse possunt: quorúmque principium est in eo qui facit, non in eo quod efficitur. Neq; enim

eorum est ars, quæ ex necessitate vel sunt vel fiunt, neque eorum, quæ sunt secundum naturam, in se enim hæc principium habẽt. Quia autem effectio & actio diuersum quid est, non actionis, sed effectionis esse artem necesse est: & quodammodo circa eadem versatur & ars & fortuna, sicut etiam Agatho inquit:

Fortunam amat ars, artem ipsa fortuna inuenit.

Ars igitur, sicut dictum est, habitus quidam est cum ratione vera effectiuus: inertia autem contrario, habitus cum ratione falsa effectiuus, circa id quod aliter esse atque aliter potest. *Quid sit artisque inertia.*

De prudentia.

CAP. V.

De prudentia vero ita statuere possemus, si considerauerimus quósnam esse prudentes dicamus. Videtur igitur prudentis viri esse propria, posse recte consulere de iis quæ sibi ipsi bona sunt, atque vtilia, non ex parte, vt quænam ad sanitatem & robur conferat, sed quæ ad bene viuendum in † vniuersum. Cui rei argumento illud est, quòd eos etiam, qui circa aliquid consultant, prudentes appellamus, cùm ad finẽ aliquem bonum de iis quorum non est ars, recte ratiocinantur. Quare in vniuersum quoque is erit prudens, qui est consultatorius. De iis vero, quæ aut esse aliter non possunt, aut nequeũt sub actionem ipsius cadere, consultat nemo. Quapropter si modo scientia est cum demõstratione: & eorum quorum principia possunt aliter se habere, nulla est demonstratio. omnia enim possunt aliter se habere: de necessariis autem non licet consulere: prudentia neque scientia, neq; ars esse vllo modo poterit, scientia quidem, propter *al. omnium sum.*

propterea quia id, quod in actionem venit, esse aliter potest aut, quoniã aliud actionis, & aliud effectionis genus est. Restat igitur vt prudentia habitus sit vera cum ratione actiuus circa quæ & bona & mala homini sunt. Nam effectionis finis diuersum quid ab ea est actionis vero non semper. ipsa enim bona actij finis est. Propterea Periclem atque huiusmodi viros prudentes esse existimamus, quia & quæ sibi & quæ hominibus sunt bona, possunt contemplari eos autem esse tales putamus, qui familiares & ciuiles sunt. Inde etiam est quòd temperantiam σωφροσύνην appellamus, vtpote prudentiam conseruantem. talem enim existimationē conseruat quippe cùm iucundum & molestum non omnem existimationem corrumpat, & peruertat, verbi causa triangulum tres angulos duobus rectis æquales habere, vel non habere ideas tantum quæ ad agendas res spectant. Principia enim agendarum rerũ sunt id cuius causa res aguntur, illi autem qui aut voluptate aut dolore corruptus est, principium statim nõ apparebit, neque eius causa, atque ob id omnia eligi, atque agi oportere. vitium enim eiusmodi est, vt principium corrumpat. Quamobrem necesse est prudentiam habitum esse cum ratione vera actiuum circa ea quæ humana bona sunt. Iam vero artis est virtus, prudentiæ autem nemine. Atque in arte quidem qui sponte peccat magis eligendus est, minus, qui in prudentia non facit, sicut etiam circa virtutes. Igitur prudentiam non artem, sed virtutem quandam esse manifestum est. Cùm autem duæ sint animæ partes, quæ rationis capaces sunt, prudẽtia alterius virtus esse videretur, id est opinatiuæ nam ciuis id quod

Prudentiæ definitio.

id quod aliter se habere potest & opinio & prudentia versatur. Adde quòd neque habitus est duntaxat cum ratione, cuius rei indicium est, quòd eiusmodi habitus esse obliuio potest, prudentiæ non potest.

De intellectu.

CAP. VI.

QVoniam vero scientia de vniuersalibus ac necessariis existimatio est, rerum autem demonstrabilium, scientiæque omnis principia sunt cum ratione enim est scientia efficitur, vt principij rei scibilis neque scientia, neque ars, neque prudentia esse possit. Quòd enim est scibile, demonstrabile est, huiusmodi autem circa ea versantur, quæ esse aliter possunt. Sed neque vero sapientia horum est. sapientis enim est, de nonnullis habere demonstrationē. Si igitur ea quibus verum, & nunquam falsum dicimus circa ea quæ vel possunt, vel non possunt aliter euenire, sunt scientia & sapientia & prudentia, & intellectus: ex tribus autem horum esse nihil potest, tria dico, prudentiam, sapientiam, & scientiam, restat intellectum esse principiorum.

De sapientia.

CAP. VII.

SApientiam autem in artibus attribuere illis consueuimus, qui absolutissimi in ipsis sunt vnde Phidiam sapientem marmorarium, Polycletum statuarium sapientem dicimus, nihil aliud hic sapientiæ nomine quàm artis ipsius virtutem significantes. Ceterum esse alios quosdam omnino, non ex parte sapientes existimamus, neque alia aliqua in re sapientes: quem-

admodum inquit Homerus in Margite.

Is vir fossor erat, aes erat volutus arator.
Aut alia re aliqua sapiens sic numina diuûm
Conciebat.

Quapropter exactissimam scientiarum esse sapientiam manifestum est. Sapientem igitur non solum ea quæ ex principiis sunt cognoscere, sed etiam circa principia ipsa verum dicere oportet. Quare sapientia erit intellectus & scientia: ac quasi habens caput scientia rerum præstantissimarum. Absurdum enim est, si quis politicam ciuilem, aut prudentiam honestissimam esse existimauerit, si scilicet homo sit optimum omnium quæ in mundo sunt. Nam si salubre & bonum hominibus ac piscibus diuersum est, album autem & rectum idem, sapiens quoq; idem, prudens diuersum esse omnes assentirent, id enim singula quod circa seipsum quod bene se habet, consideret, prudens esse dicerentur, eique seipsa committerent. Vnde etiam bestias nonnullas prudentes esse inquiunt, quæcunq; in vita traducenda prouidendi habere vim videntur. Perspicuum autem est ciuilem & sapientiam eandem esse nullo modo posse: nam si eam quæ circa sibiipsis vtilia versatur, sapientiam dicent, multæ erunt sapientiæ. Non enim vna est quæ omnium animalium bona considerat, sed singulorum diuersa, nisi fortasse vna quoq; sit medicina circa omnia quæ sunt. Quòd si hominem exterorum animalium optimum esse dixerint, id nihil refert: quandoquidem homine alia natura sunt longe diuiniores, vt ea quæ sunt manifestissima, ex quibus modus constitutus est. Constat igitur ex iis quæ dicta sunt, sapientiam esse rerum præstantissimarum naturæ scientiam & intellectũ. Vnde Anaxagoram & Thalem atq; huiusmodi homines, cum ignorare ea quæ sibi vtilia sunt, viderint, non prudentes, sed sapientes esse dicunt: ac supernaturalem quidem, & admiranda, & difficilia, & diuina cognoscere ipsius asserunt, sed inutilia tamen: propterea quòd non humana bona inquirunt, prudentia autem circa humana bona versatur, atque ea quæ in cõsultationem cadũt. Prudentis enim id maxime opus esse dicimus, vt recte consulteret: de illis autem cõsultat nemo, quæ euenire aliter nequeunt: neque de iis quorum finis aliquis non est, atque is eiusmodi, vt agendum bonum sit. Bonus autem cõsultor absolute ille est, qui quod optimũ homini ex agendis rebus est, coniectura assequi ratiocinando potest. Adde quòd neque vniuersalium tantum prudentia est, sed opus est, vt singula etiam cognoscat. est enim actiua, at actio circa particularia versatur. Hinc fit, vt nonnulli etiã nescientes nonnullis scientibus actuosiores sint: & in reliquis illi qui sunt periti. nam si quis leues quidem carnes cognouerit, faciles concoctu esse, & salubres, quæ tamen leues sint, ignoretis profecto sanitatem nõ efficiet, sed ille efficiet magis, qui animum carnes esse leues & salubres sciuerit. Prudentia vero actiua est. Quare vel vtraq;, vel hanc potius habere oportet. Esset autem quædã etiam hic architectonica ac princeps.

Vide consimile in primo Metaphys.

De partibus prudentiæ.

CAP. VIII.

Atque est quidem & ciuilis prudẽtia idem habitus: essentia tamen ipsis eadem nõ est. Eius autem prudentiæ, quæ circa ciuitatem ver-

Universidad de Deusto
Biblioteca

satur, altera est vt architectonica ac præstantior est legislatrix, altera vt particularis, quæ communi nomine ciuilis appellatur, atque hæc activa est consultatiua. decretum enim vtpote extremum agẽda res est. Iccirco ciuitatem administrare hi tantummodo dicuntur. hi enim deinde ac manuales artifices soli agunt. At vero prudentia etiam maxime ea esse videretur, quæ circa seipsum & vnũ quispiam vertitur, atq; hæc communi nomine prudentia appellatur, illarum autem alia familiaris, alia legislatrix, alia ciuilis dicitur: atque huius altera consultatiua, altera iudicialis. Species igitur †cognitionis quædã esset, sibiipsi prospiceret: sed differentiam magnã tamen habet, videturque ille qui sua cognoscit, in hisce versari, prudens, ciuiles autem † negocioſi. Vnde etiam Eurípides:

†a. *prudẽtia.*

†*al. curioſi.*

Quo namque pacto valeo prudens dicier?
Cui sic licebat inter alios militẽ
Nequem esse sine vlle. & aquam sumere
Partem bonorum cæteris cum exercitu?
Nam curioſi, atque agentes plurima
Odĩre diui.

Quærunt enim quod sibi bonum est: sed quæ agendum esse existimãt. Ex hac igitur opinione euenit, vt prudẽtes hi sint tametsi fortasse vtilitatis cuiusque bonum sine familiari & ciuili nõ est. Præterea vero quomodo propriũ vniuscuiusq; bonum administrare oporteat, obscurum est, atque idcirco considerandum. Huiusce autem rei iudicium quoque illud est, quòd iuuenes fieri geometrici & mathematici, atque in eiusmodi rebus sapientes euadant: prudentes tamen euadere non videntur. Causa autem ea est, quod particularium est prudentia, quæ ex experientia

Pueri mathematici euadũt. prudentes minime.

tia † nobis innotescit, iuuenis autem expertus non est. experientiã enim temporis affert longitudo. Nam illud etiam consideratione dignũ videtur: quid sit, quòd puer fieri mathematicus potest, sapiens, aut naturalis nõ potest. An quia illa per abstractionem sunt, horum autem principia ab experientia sumuntur? & hæc non credant qui dum iuuenes sed dicõ: illorum vnumquodque quid sit, obscurum non est. Præterea error in consultando, vel circa vniuersale, vel circa singulare cõtingit. vel enim omnes aquas ponderosas esse prauas, vel hanc esse ponderosam: ignorat quispiam. Prudentiam autem non esse scientiam perspicuum est. est enim vltimi, sicut diximus: quippe cum eiusmodi sit id quod in actionem cadit. Vnde etiã intellectui opposita est. Ille enim est terminorum, quorum nulla ratio est: hæc vltimi, cuius non est scientia, sed sensus, neq; is proprior sed eiusmodi, quo sentimus, in mathematicis trigulum esse vltimũ. sisteret enim etiam illic, sed hic fanè sensus magis est qui est prudentia. Ille species altera est.

† *ad. prudenter efficiuntur.*

Experientiã temporis afferet longitudo.

De bona consultatione.

CAP. IX.

IAm vero quærere & consultare inter se differunt, consultare enim quærere aliquid est. Oportet autem de bona cõsultatione, quidnam sit statuere: vtrum scientia aliqua, an opinio, an bona coniectatio, an aliquod aliud genus. Scientia quidem non est. non enim de iis quæ sciunt inquirunt, bona autem consultatio, consultatio quædam est: qui vero consultat quærit. & ratiocinatur. Sed neq; bona coniectatio est: quippe cum & absque ratione, & citum quid bona

coniectatio sit longo autem tempore consilium. Vnde aiunt, cito agenda esse quę consultauerit: tarde vero ac diu consultandū. Adde quòd solertia & bona consultatio diuersa inter se sunt. Solertia vero bona quædā cōiectatio est. Neq; vero bona consultatio opinio vlla est, sed quoniam errat, qui male consultat: qui bene, recte id facit. bonam consultationem esse rectitudinem quandam perspicuum est: quæ tamen neque scientia est, neq; opinionis. scientiæ siquidē neq; rectitudo vlla est, neq; error opinionis autē veritas rectitudo est. Accedit, quòd definitum iam omne id est, cuius est opinio. Quinetiam neq; sine ratione, bona consultatio est cogitatione igitur est inferior: quippe cùm nondum sit enunciatio. nam opinio non inquisitio, sed enuntiatio iam est. qui autem consultat, siue bene, siue male id faciat, quærit aliquid, ac ratiocinatur. Sed bona consultatio consultationis rectitudo quædam est. iccirco primum quid sit, & circa quid versetur consultatio, est quærendum. Quoniam vero rectitudo pluribus modis dicitur: non omnem rectitudinem esse bonam consultationem perspicuum est. incontinens enim & prauus quod proponit sibi ratiocinando videtur, assequetur: vt ita recte quidē consultauerit: magnum tamen malum sibi comparārit. At bene consultasse esse bonum quoddam videtur. talis enim rectitudo consultationis bona cōsultatio est, quæ ad bonum assequendō spectat. Sed fieri tamen potest, vt falsa ratiocinatione id assequamur, quodque oportet facere assequamur, per quod tamen oportet, non assequamur: sed medius terminus falsus sit. quare neq; eadem est bona consultatio, qua quod oportet quidem assequ-

assequetur quispiam, non tamē per quod oportet, Præterea fieri potest, vt multo tempore aliquis, aliquis vero cito consultans quippiam assequatur. ergo neque illa adhuc bona consultatio est sed ea rectitudo, quæ secundum vtilitatem & id † quòd oportet, & sicut, & quando, existit. Fieri item potest, vt & absolute bene cōsultet quispiam, & ad quendam finem. Bona itaque consultatio absolute ea est, quæ ad finē absolute: quædam vero bona consultatio, quæ ad quendā finem spectans perficitur. Si igitur prudentium est bene consultare, bona consultatio rectitudo ea esse videretur, quæ secundum vtilitatem ad quendam finem spectat, cuius prudentia vera existimatio est.

† a.l. quo est opus.

De perspicacia.
CAP. X.

IAm vero perspicacia quoq; est & hebetudo, quibus homines perspicaces atq; hebetes dicimus. neq; omnino idem cum scientia vel opinione hæc est: omnes enim essent perspicaces. neq; est vna aliqua ex singulis scientiis: verbi causā neq; medicina: de salubribus enim esset. neq; geometria: nam circa magnitudines versatur. neq; enim de iis quæ semper sunt, & mota carent, perspicacia est, neq; de iis quæ quomodolibet fiunt: sed de quibus dubitaret quispiam, atq; consultaret. Ideo circa eadem quidem, circa quæ prudentia, versatur: idem tamen prudentia & perspicacia non est. prudentia enim præceptiua est: quid enim agendum aut nō agendum sit, finis est ipsius: perspicacia vero iudicatiua tantummodo. idem namq; est perspicacia & bona perspicacia: perspicaces siquidē

etiam bene perspicaces sunt. Neq; vero habentes neq; acquirere prudentiâ per spicacia est. sed hoc ipsum perspicere dicitur discere, cum scientia quadam vtimur ad ea iudicanda, de quibus prudentia est, alio dicente de iudicanda quidé recte: bene enim & recte iudicare est: & inde nomen hoc venit perspicacia, quia bene perspicaces homines sunt, ex ea scientia, quæ in discendo consistit. discere enim sæpenumero, perspicere dicimus.

De sententia.

CAP. XI.

IAm quę vocatur sententia, qua bene sentientes, & habere sententiam quosdam dicimus, est æqui & boni viri iudicium rectũ. Cui rei id argumentũ est, quòd æquum & bonum virum maxime esse ad consentiendũ, id est ignoscendum idoneum dicimus: æquitatem vero esse, habere consensionem & veniam circa † singula. consentio autem sententia est iudicatiua rectæ æqui & boni virtutis recta ea est, quę est veracis. Sunt autem omnes habitus consentaneé ad id tendentes: nam & sententiam, & perspicaciam, & prudentiam, & intellectum ad eosdem referentes dicimus: dum & sententiam, & intellectũ iam habere, & prudentes, & perspicaces appellamus. omnes enim facultates hæ vltimæ sunt & particulariũ. Atqui in eo quidé quòd ad iudicandũ idoneus quispiam est, de iis quę agit prudens, perspicax & bene sentiens, seu consentiens erit: nam æquâ cõmunia bonis omnibus sunt, in eo quòd ad alium spectant. Agendæ autem res ex iis sunt, quæ particularia & vltima omnium sunt. nam & prudentem oportet ea cognos-

† a. l. aliquã.

cognoscere: & perspicacia & sententia circa agenda versatur. at hæc vltima sunt. Intellectus quoque vltimorum est in vtranq; partem. primorũ enim & vltimorum terminorum intellectus est, non ratio. ille quidem, qui in demonstrationibus versatur, immobilium terminorum, & primorum: alter qui in actuũ consistit, vltimi, & eius quod euenire aliter ac aliter potest, & alterius propositionis. Hæ enim eius cuius causa aliquid est, principia sunt: quippe cùm ex singularibus vniuersalia existant, quorum sanè habere sensum oportet: is autem sensus intellectus est. Quocirca esse etiam hęc naturalia videntur ac sapiens quidem natura nemo est, sed sententiam habet, & perspicaciam, & intellectum. Indicium cuius illud est, quòd hæc sequi etiam ætates existimamus: talisque ætas intellectu & sententia prædita est, quasi causa ex natura ipsa sit. Ideo & principium & finis intellectus est. ex his enim, & de his demonstrationes fiunt. Quare peritorum hominum & seniorum seu prudentem pronunciationibus & opinionibus absque demonstratione, non minus quàm demonstrationibus attendendum est, quia nanque ex ipsa experientia visum habent, principia inuentur. Quid igitur sapientia & prudentia sit: & circa quæ vtraque versetur, & alterius alteram animæ portionis virtutem esse, dictum iam est.

De vtilitate sapientiæ & prudentiæ.

CAP. XII.

DVbitaret autem quispiam de ipsis his habitibus quæ in re vtiles sint. sapiẽtia enim nihil contemplatur quo fieri homo felix possit: quippe cum nullius sit generationis: at pruden-

tia hoc quidem habet, sed cuius causa opus ipsa
est? siquidem prudentia est, quæ circa ea versa-
tur, quæ iusta, & honesta, & bona hominí sunt.
ea autem sunt huiusmodi, quæ agere viri boni
est. at nihilo magis ad agẽdum idoneos eo quòd
cognoscimus ipsa hæc, sumus, si quidé habitus
virtutes sunt: quemadmodum neq; salubria, ne-
que bonæ habitudini conuenientia, quæ non ea
quòd faciunt, sed quia ex habitu existunt, ita di-
cuntur. nihilo enim ad agendum idonei magis
ex eo sumus, quòd medicinã aut exercitationem
habemus. Quòd si non horum causa prudentia
statuẽda est, sed vt probi fiant: iis qui probi
sunt, nihil erit vtilis: quin etiam neq; iis qui ea
habent: quippe cùm nihil referat, habeãt ne ali-
quis, an habentibus aliis obediat: satisque esse
sit: quemadmodum & in sanitate. nam quamuis
sani esse velimus, medicinam tamen non discã-
mus. Accedit ad hæc quòd absurdum esse vide-
retur, si principalior & præstantior quàm sapi-
tia ea esset, quæ ipsa esset deterior: quæ etiam
cit, circa singula dominatur, atq; imperat. De
his igitur dicendum est: nunc enim de ipsis eo
tum dubitationem exposuimus. Primum itaq;
vtrasq; per se necessario esse expetendas dici-
mus, cùm vtriusque animæ portionis virtutes
sint, licet neutra ex ipsis quicquã efficiat. Deinde
etiam efficiunt quidem, nõ tamen vt medicina
sanitatẽ: sed vt sanitas bonæ habitudinis opera-
tiones, sic sapientia felicitatẽ. cum enim totius
virtutis pars sit, dum habetur, atq; operatur, fe-
licem facit. Præterea opus & ex prudentia & ex
morali virtute perficitur. virtus enim propo-
tõ scopum: prudentia quæ ad ipsum rectum re
cta efficit. Quarũ autem animæ partis, id est al-

tricis, nulla talis virtus est: quippe cũ in ea age-
re aut nõ agere situm minime sit. At vero de eo,
quòd ex prudentia ad agẽda vel honesta vel iu-
sta nihilo aptiores sint homines, paulo altius
inciptẽdum est, hoc sumpto initio: quemadmo-
dum iusta agentes nonnullos nondum esse iu-
stos dicimus, vt eos qui ea quæ à legibus præci-
piuntur, vel inuiti faciunt, vel ex ignoratione,
vel ob aliquid aliud, & non ob ipsa, cum tamen
ea agant, quæ oportet, quæq; bonum virum de-
cenita licet, vt quodam modo se habens quis-
piam singula agat, vt bonus sit id est ex electio-
ne, & ipsorum eorum causa quæ aguntur. Elec-
tionem igitur rectam virtus facit: quæcunque
autem natura comparatum est, vt illius causa
agatur, non virtutis, sed alterius facultatis sunt.
Attendendum autem est, ac de his manifestius
dicendum. Est itaq; facultas quædam quam cal-
liditatem vocant: ea est talis, vt quæ ad suppo-
situm scopum conducunt, agere possit, atq; assé-
qui: atq; hæc quidem si propositum honestum
sit, est laudabilis: si prauum, versutia est. Vnde
etiam prudentes callidos, & versutos esse dici-
mus. Prudentia vero hæc facultas non est: non
sine tamen facultate hac existit: sed habitus ocu
lo huic animæ non absque virtute acquiritur,
sicut diximus, & perspicuum est. Ratiocinatio-
nes enim agendarum rerum principium habẽt.
quandoquidem eiusmodi est finis, & quod opti
mum est: quodcunq; illud fuerit. Sit enim verbi
causã, quod incidere nihil nisi bono viro non ap-
pareat: propterea quòd distorquet prauitas, fa-
cilisq; vt circa actiua principia fallamur. Quare
non posse quempiam prudentem esse nisi bo-
nus sit, manifestum est.

De

De naturali virtute, & de virtutum & prudentiæ connexione.

CAP. XIII.

SEd considerandum rursus etiam de virtute estimili modo quoq; virtus sese habet, sicut prudentia cũ calliditate: non idem quidem, sed simile tamen: quid est: ita virtus naturalis cum ea, quæ proprie virtus dicitur. Omnibus enim singuli ex moribus esse quodã modo natura videntur, nam & iusti & temperantes & fortes sumus, & cætera statim ab ipso ortu habemus. Sed aliud tamen est quod quærimus, sed proprie bonum sit, & talia alio modo adsint. Etenim pueris & bestiis naturales insunt habitus, sed sine intellectu, & mente esse noxij apparent. Cæterum tantum inspici videntur: quod quemadmodum in corpore valido quidem sine visu moueatur, contingit, vt vehementer errent propterea quòd visu careant: ita quoq; hic euenit. † Si intellectum acceperit, in agendo differunt- † ad. sivero.
que habitus licet similis sit, proprie tamen virtus tunc erit. Quare quemadmodũ in opinatiua parte duæ species sunt, calliditas, & prudentia: ita in morali duæ quoq; sunt: quarum altera virtus naturalis, altera proprie virtus est: quarũ ea quæ proprie virtus est, non sine prudentia existit. Vnde etiã omnes virtutes prudentias esse in quibus & Socrates partim recte quærebat, partim errabat, quòd enim prudẽtias esse omnes virtutes opinabatur, errabat: recte dicebat quòd nõ sine prudẽtia esse eas asserebat. Signũ autẽ illud est, quòd nunc omnes cũ definiũt virtutẽ, vbi habitũ eam esse dixerunt, & ad quem est, adiungũt secundũ rectam rationẽ. recta autem

tem ratio est, quæ secundũ prudentiã existit. Videntur igitur veteres nari quodam modo omnes talem esse habitum virtutem, qui secundũ prudentiam existit. Paululum tamen transeundum est. virtus enim non tam secundũ rectam rationem, quàm cum recta ratione habitus est: aut recta de huiusmodi ratio est prudentia. Ac Socrates quidem rationes virtutes esse existimabat: scientias enim eas esse omnes dicebat: nos cum ratione esse arbitramur. Ex his igitur quæ dicta sunt, constat neq; proprie bonum esse sine prudentia, neq; prudentẽ sine morali virtute quemquam posse. Quin etiam ratio illa hinc solui potest, qua separatas esse inter se virtutes disseret aliquis: eo quòd idem ad omnes aptissimus minime sit, atque iccirco alias iam, alias nondum acquisierit. hoc siquidem in naturalibus virtutibus licerit: iis vero quibus absolute bonus vocatur quispiam, non licet. simul enim cum prudentia, quæ vna est, omnes existent. Perspicuum autem est & prudentia esse opus: etiam si non esset actiua, propterea quòd partis animæ virtus est: & sine prudẽtia & virtute esse electionem rectam non posse: eo quòd hæc finem: illa quæ ad finem tendunt vt agamus, facit. At vero neq; præsidet sapientiæ neq; melioris quàm ipsa partis est, quemadmodum neque sanitati medicina: neq; enim ipsa vtitur, sed vt fiat prouidet. quocirca illius causa præcipit, non autem illi. Simile præterea illud est, si quis ciuilem, propterea quòd de omnibus præcipit, quæ in ciuitate sunt: Diis præesse ac dominari etiam diceret.

ARIST

ARISTOTELIS MORALIVM NICOMACHIORVM,

LIBER SEPTIMVS.

SVMMÆ LIBRI.

De herica virtute. De continentia. & earum oppositis. De continente & incontinente. De voluptate, & ipsius speciebus, ac de dolore.

De herica virtute, continentia, & earum oppositis.

CAP. I.

POst hæc alio sumpto initio dicendum est, rerui circa mores fugiẽdarum tres species esse, vitium, incontinentiam & ferit atem: quarũ duabus quæ sint contraria, manifestum est: alterum enim virtutem, alterum continentiam vocamus, feritati autẽ maxime conuenire quispiam diceret virtutem, quæ supra nos est, heroicam quandam, ac diuinam, quemadmodum Homerus Priamum de Hectore dicentem facit, eò quòd valde erat bonus,

– Non hominis mortalis filius ille
Esse videbatur, sed magnæ è stirpe deorum.

Quòd si ex hominibus, sicut dicunt, ob virtutem excellentiam diuini efficiuntur: huiusmodi

dam scilicet esset habitus, qui feritati opponitur. Nam sicut bestiæ neque vitium est, neque virtus, ita neque Dei: sed hæc præstantius quid virtute, illa diuersum quoddam à vitio genus est. Quoniam vero rarum est, vt vir diuinus sit: quemadmodum Lacones, cùm aliquem valde admirantur, diuinus, inquiunt, vir est: sic & ferinus natura inter homines rarus aliquis est: maxime tamen inter Barbaros reperitur. sunt vero nonnulla etiam ex morbis, & læsionibus. quin etiam eos homines, qui vitiis exuperant, ita infamamus. Sed de tali quidem affectione posterius mentio quædam facienda est. de vitio autem dictum est prius. De incontinentia vero & mollitie, & deliciis nunc est differendum: de continentia item & tolerantia. neque enim quasi iidem cum virtute & prauitate habitus sint, neque vt diuersum genus, vtraque harum existimanda est. Oportet autem, sicut in aliis fecimus, ponere ea quæ apparent, & prius dubitare, deinde ita demonstrare. ac maxime quidem omnia illustria & probabilia circa hos affectus: sin minus, pleraq; & præcipua producere debemus. nam si soluantur ea, quæ difficultatem habent, illustria vero & probabilia relinquantur: satis erit demonstratum. Videtur igitur continentia & tolerãtia ex bonis & laudabilibus: incontinentia vero & mollities est prauis & vituperatione dignis rebus esse. Idem quoque esse continens & perstans in consilio rationis, idem incontinens & è rationis consilio excedens, atque incontinẽs quidem cognoscens prauа esse ea non agit, ob affectum tamen agit: at continens cùm prauas sciat esse cupiditates, ob rationem eas non sequitur. Temperantem quoque continentem

tinentem & tolerâtem esse dicunt. atq; eum qui eiusmodi sit, alij omnem esse temperanté affirmant, alij minimè: & intemperanté incontinentem & incontinenté intemperantem confutè. alios uersos esse aiunt. At prudenté interdum negant esse posse incontinentem: interdum nonnulli qui sint prudentes & calliditi. esse incontinentes affirmant. adde quòd incontinentes & intemperantes honoris, & lucri etiam dicuntur. Atque ea quidem quæ dicuntur, huiusmodi sunt.

De continente & incontinente.

CAP. II.

DVbitaret autem quispiam quo modo recte existimans aliquis agat incontinens. Nam vt sciens quispiam agat, aiunt nonnulli fieri nullo modo posse. absurdum enim esse dicunt si scientia, vt existimabat Socrates, aliud quid dominari, ac quasi mancipium hominem trahere. Socrates enim aduersus rationem omnino pugnabat, quasi nulla esset incontinentia. neminem siquidem aiebat existimantem præter id quod optimum est, agere, sed ex ignoratione. quæ sanè oratio iis aduersatur quæ euidenter apparent. quærendum q; est circa affectus ex ignoratione agit quispiam, quis ignorationis modus sit. nam non existimare qui incontinenter agit agenda esse ea quæ agit, antequam in affectu sit constitutus, manifestum est. Sunt autè nonnulli, qui alia concedunt, alia non. scientia enim nihil esse potentius concedũt. illud dant, præter id quod visum fuerit melius, agere neminem. ac propterea inquiunt incontinentem non scientiam, sed opinionem habere à voluptatibus superari. Veruntamen si opinio, non scientia, neque valida existimatio est, quæ resistit, sed remissa, qualis est in ambigentibus: venia danda est quòd non in his persistat quispiam aduersus vehementes cupiditates, ac prauitati, aut alicui ex aliis vituperatione dignis rebus venia non datur. Prudentia igitur resistente id fit: validissima enim res ea est. sed est absurdum. fiet enim vt idem simul & prudens sit & incontinens. at facere sponte prauissima quæque prudentis esse nemo diceret. Præterea ad agendum idoneum esse prudentem superius demõstratum est: quippe qui vltimorum quidam sit, & virtutes reliquas habeat. Adde quòd si continens ex eo est quòd vehementes & prauas habet cupiditates: neque temperans erit continens, neq; continens temperans: propterea quòd neque quod nimium est, neq; prauas habere cupiditates est temperantis: sed tamen oportet. Nam si bonæ sint cupiditates, habitus qui prohibet, ne eas sequamur, prauus est: quare effectum fieret vt non omnis continentia honesta sit. si imbecillæ vero sint & non prauæ, nihil egregium erit: si prauæ & imbecillæ, nihil magnum. Præterea, si continentia facit, vt in omni opinione perfistamus etiam in falsa, prava est: si item ab omni opinione exturbat incontinentia, aliqua incontinentia reperietur, quæ honesta sit: vt Sophoclis Neoptolemus in Philoctete laude dignus enim est, cùm in iis quæ ipsi Vlysses suaserat, quia mentiri ægre ferebat, non persistet. Quin etiam captiosa ratio mentiens, dubitatio est. dum enim volunt incredibilia convincere, vt si assequuti fuerint, arguti esse videantur: facta ratiocinatio dubitatio euadit. vincta enim mens est, dum stare quidem non vult,

Universidad de Deusto
Biblioteca

propterea quòd non placet quod concluditur: est quia tamen quomodo soluat rationem non habet, progredi non potest. Fuenit autem ex quadam ratione, vt imprudentia cum incontinentia virtus sit. contraria enim agit ob incontinentiam quàm existimet mala autem esse bona, nonnesèque agenda existimat: quare bona & non mala ager. Accedit quòd qui ex eo quod persuasus est, & ex electione iucunda & agit & sectatur, melior esse eo videretur, qui non ex consilio, sed ex incontinentia eadé agit. apposite enim est, vt curetur: quippe qui admittere persuasionem possit. at incontinens ei proverbio est obnoxius, quo dicimus, Quando aqua iucunda strangulat, quid amplius bibere opus est? nam si non persuasus esset ea quæ agit, si dissuaderetur, desisteret: nunc autem persuasus, nihilominus alia agit. Insuper si circa omnia incontinentia & continentia versatur, quis absolute incontinens erit? nam omnes incontinentias qui habeat, est nemo. quosdam autem absolutè esse dicimus. Ac rales quidem dubitationes incidunt. ex his autem alia tollenda sunt, alia relinquenda: quippe cùm dubitationis solutio nihil aliud quàm inuentio sit.

Dubitationis solutio nihil aliud quàm inuentio est.

Quoniam pacto incontinentes agant.
CAP. XIV.

PRimum igitur consyderandum est, vtrum cognoscentes nécne, agant, & quomodo cognoscentes. deinde circa quæ incontinens & continens, hoc est vtrum circa omnes voluptates & ægritudines, an circa definitas aliquas dicendus sit. tum vtrum continens & tolerans idem sit, an diuersus. & simili modo de cæteris quæ cognata cõtemplationi huic sunt. Initium autem consyderationis est, vtrum continens & incontinens in eo quòd circa quædam, an in eo quòd quodammodo versantur, habeant differentiam. id autem quod dico tale est: vtrum incontinens ex eo quòd circa talia versatur tantummodo, sit incontinens, an ex eo quòd quodammodo versatur, an non, sed ex vtrisque. Deinde an incontinentia & continentia circa omnia versetur, nécne. qui enim absolute est incontinens, non circa omnia versatur, sed circa quæ intemperans: neque absolute ad ea sese habet. idem enim cum intemperantia esse: sed eò quòd hoc modo habet. ille enim ex electione ducitur præsentem voluptatẽ semper esse persequendam existimans: incontinens vero cùm non existimet, persequitur. Nam si vera opinio, & non scientia sit, ex qua incontinenter agunt homines, nihil ad rationem id refert. cùm nonnulli ex iis qui opinantur, non ambigant, sed certo se scire existiment. Si igitur opinantes propterea quia leuiter credunt, magis quàm scientes præter existimationem suam agent: scientia ab opinione nihil differet. nonnulli enim sunt, qui nihilo minorem iis quæ opinantur, quàm aliis iis quæ sciunt, fidem adhibeat. id Heraclitus ostendit. Sed quoniam duobus modis scire dicimus: etenim dicitur scire, qui habet scientiam & ea noa vtitur, quàm qui vtitur: differentia erit, si quis agat ea quę non debet, dum habet quidem scientiam, sed non cõtemplatur, & dum habet & contemplatur: hoc enim videtur absurdum. sed non, dum non contemplatur. Præterea cùm duo propositionum modi sint, nihil vetat, quo minus qui vtrasq; habet, præter scientiam

agat, dum vniuersali vtitur, & non particulari: particularia enim ea sunt, quæ in actionem veniunt. Diuersum autem est vniuersale: alterum enim in ipso, alterum in re est: vt omni hominis sicca conferre: & ipsum esse hominem: vel hoc eum esse quod huiusmodi est: an vero hoc huiusmodi sit, aut non habet, aut non operatur. Ex his igitur modis incredibile est quanta differentia futura sit: vt si ita cognoscat quispiam, nihil absurdum: sin aliter, mirandum videatur. Ad hæc habere scientiam alio modo contingit hominibus, quàm dictum sit. nam dum habet quis, & ea non vtitur, diuersum esse habitum videmus: vt & habere quodammodo & non habere videatur: cuiusmodi est qui dormit, qui furit, qui vino oppressus est. ita autē affecti sunt etiam illi qui in perturbationibus sunt constituti. nam enim & venereorum cupiditates, nonnullaque huiusmodi corpus etiam manifeste immutant, quosdāmq; in furores inducunt. vt pateat similiter modo affectos incōtinētes dici oportere. Quòd autem verba ex scientia dicant, id argumento nullum est. qui enim sunt in his affectibus constituti, demonstrationes, & carmina Empedoclis dicunt: qui item primum didicerunt, connectunt quidem verba, nondum tamen sciunt. cognatum enim, ac coalitū esse oportet. ad quod tempore opus est. Quocirca eos, qui incontinenter agunt, ita dicere existimandum est. vt illi dicunt, qui histrionis munere funguntur. Adeò ita quoq; naturali quadam ratione inesse causam quispiā posset. altera enim vniuersalis opinio est. altera de particularibus rebus quibus præsidet sensus. quanto autem ex ipsa vna euaserit: alibi quidem enunciet anima, in

effectiuis vero, agat statim, necesse est: vt, si omne dulce gustandum est, hoc autem est dulce, vtpote vnum quoddam ex particularibus: necesse est vt qui potest, & non prohibetur, simul hoc quoq; agat. Quando igitur vniuersalis opinio inest, quę prohibeat gustare: altera vero, quę omne dulce suaue esse dicat: hoc autē est dulce, atq; hæc est, quæ operatur: forte vero adest cupiditas: illa quidem fugiendum esse ait, cupiditas ducit: quippe cùm mouere vnumquodq; ex mē bris queat. Quare fit vt ex ratione quodāmodo & opinione incontinenter quispiam agat: quæ quidem opinio non per se, sed ex accidenti contraria sit. cupiditas enim, non opinio rectæ rationi contraria est. Vnde etiam bestiæ incontinentes propterea non sunt, quia particularium imaginationem & memoriam habent, non vniuersalium existimationem. Quomodo vero soluatur ignorantia, & incontinens rursus efficiatur sciens: eadem ratio est, quæ & de temulento & dormiente, non propria huius affectionis. quę quidem à naturæ indagatoribus audienda est. Quoniam autem vltima propositio est expositę sensui rei opinio, actionúmq; domina est: hanc vel non habet, qui in affectu est constitutus vel ita habet, vt non tamen eo quòd habet, eam liceat scire, sed dicere duntaxat, nō secus ac vino oppressus Empedoclis carmina. propterea item quòd vltimus terminus nō est vniuersalis, neq; ita vt vniuersalis sciētiam efficere videtur. Atq; id quod quærebat Socrates, videtur contingere. non enim affectus existit præsente ea, quæ videtur † proprie esse scientia, quippe quæ neq. ipsa ex affectu distrahatur: sed præsente ea quæ sensua est. Vtrum igitur cognoscens nécne, & quo-

† al. dominatur.

modo cognoscens agere incontinenter quispiam possit, hactenus dictum sit.

Circa quæ continens, & incontinens versetur.

CAP. IIII.

IAm vero vtrum aliquis absolute incontinens sit, an omnes ex parte: etsi sit, circa quæ versetur, dicendum deinceps est. Circa voluptates quidem & dolores continentes & tolerantes, necnon incontinentes & molles versari perspicuum est. Quoniam vero ex iis, quæ voluptatem afferunt, alia necessaria sunt, alia eligenda quidem per se, sed eiusmodi tamen vt excessum etiam habeant: necessaria quæ ad corpus spectant, cuiusmodi sunt alimentum, veneris vsus, ac cætera huiusmodi corporalia, circa quæ temperantiam & intemperantiam constituimus: non necessaria, sed per se eligenda, victoria, honor, diuitiæ, ac reliqua talia, quæ bona sunt & iucunda: eos qui in his præter rectam rationem quæ in ipsis est, absolute quidem incontinentes non dicimus: sed addentes pecuniarum, lucri, honoris, itæ incontinentes appellamus, & non absolute: vtpote diuersos, & qui ex similitudine dicantur. Non secus atque ille homo dicebatur qui in Olympiis vicit, illius enim communis ratio à propria parum distabat: sed diuersa omen erat. Cui rei id signum est, quòd incontinentia, non vt error tantum, sed vt vitium quoddam quod aut absolute, aut ex parte aliqua sit, vituperatur. horum autem nemo. sed illorum qui circa corporales fruitiones versantur, circa quas temperantem & intemperantem existere dicimus, qui non ex electione, sed præter electionem & consilium excessus & iucundorum delectatur,

delectatur, & molestorũ fugit, famis videlicet, sitis, caloris, frigoris, cæterorumq; omnium, quæ ad tactum gustatũmq; spectant: is non cum additione, quòd circa hæc scilicet sit, verbi causa ire, sed absolute tantummodo incontinens dicitur. Indicio illud est. nam intemperantes circa has, non circa aliquã ex illis dicuntur. & propterea incontinentem & intemperantem, continẽtem item & temperantem non ex illis quempiam in eodem constituimus, propterea quòd circa easdem quodammodo voluptates, doloresque eosdem versantur. quanquãm hi circa eadem quidem vtiq; versantur, non tamen eodem modo: illi enim eligunt: hi non eligũt. Vnde magis intemperantem eum diceremus, qui vel nihil, vel leuiter cupiens & excessus fœtatur, & dolores mediocres fugit: quàm hũc qui propterea idem facit, quia vehemente cupiditate afficitur. quid enim faceret ille, si aut valida aliqua cupiditas, aut in necessariarum rerum inopia vehemens dolor incesseret. Quoniam vero ex cupiditatibus & voluptatibus aliæ sunt ex iis, quæ genere sunt honesta ac proba: nam iucundorum nonnulla natura sunt expetenda, alia his contraria, alia media, sicut prius diuisum à nobis est: vt pecuniæ, lucrum, victoria, & honor: in omnibus porrò & talibus, & mediis, non quia afficiuntur, & cupiunt, & amant, vituperantur homines: sed quia quodammodo, afficiuntur, & excedunt. Iccirco quicunq; præter rationem vel superantur, vel aliquid ex iis quæ natura sunt honesta & bona, persequuntur. vt illi qui circa honorem magis quàm oporteat, student, vel circa filios & parentes: bona enim hæc sunt, & qui circa ea student, laudari consueuerunt. sed in his tamen

excessus etiam quidam est, siquis quemadmodum Niobe aduersus Deos pugnaret: aut ergà patrem ita esset affectus, vt Satyrus qui particola appellabatur. valde enim insanire videbatur. Nulla igitur circa hæc prauitas existit ob id quod dictum est: propterea quòd vnumquodq; per se est ex iis quæ natura sunt experendaque: qui tamen & fugiendi excessus ipsorum sunt. Simili modo quoq; neq; incontinentia, quippe cùm Incontinentia non modo fugienda, verùm etiam ex iis sit, quæ vituperatione digna habentur. ex affectus tamen similitudine incontinentiæ adiungentes circa vnumquodq; dicunt. vt malum medicum, malum histrionem, quem absolute malum nullo modo vocarent. Quemadmodum itaq; neque hic propterea quòd vnum quodque ipsorum non vitium, sed proportione simile est: ita videlicet etiam illic existimandum est incontinentiam & continentiam eam duntaxat esse, quæ circa eadem, circa quæ temperantia versatur, & intemperantia. nam circa iram per similitudinem dicimus: vnde etiã addêtes iræ incontinêtem, sicut honoris, & lucri appellamus.

Circa iucunda præter naturam non esse incontinentiam, eiusque duas esse species.

CAP. V.

CVm autem nonnulla iucunda natura sint, atq; ex his alia absolute ac simpliciter, alia pro generibus animalium atq; hominum: nonnulla vero non natura, sed partim ex læsionibus, partim ex consuetudine, partim etiam ob naturas prauas huiusmodi sint: circa quoq; horum singula inspicere similes habitus possumus. Dico autem ferinos: cuiusmodi erat ea mulier quam

quam grauidarum ventres rescindere, atq; inde fœtus comedere consueuisse inquiunt: vel ea, quibus aiunt quasdam efferatas circa Pontum nationes oblectari, alios enim crudis, alios humanis carnibus vesci, alios sibi inuicem infantes ad epulandum mutuare prohibent, vel quod de Phalaride dicitur. Atq; hi quidem ferini habitus sunt. alij vero nonnullis ex morbo & insania contingunt: vt illi, qui matrem mactauit, & in cibum sumpsit: qui item consertui iecur comedit. alij item morbosi sunt, vel ex consuetudine: vt pilorum euulsiones, vnguium rosiones, carbonum etiam & terræ comestiones: præterea venereorum vsus cum maribus: id quod tum natura, tum consuetudine euenit, quemadmodum illis qui à pueritia consueuerunt. Quibuscunq; igitur in causa est natura, eos incontinentes appellare nemo: sicut neque formicas, quòd non subagitent, sed subagitentur: simili modo neq; eos qui ex consuetudine morbosè sese habent. Ac cùm habet quidem vnumquodq; horũ quispiam, vitij terminos excedit, perinde atque inhumanitas ac feritas: cùm habet tamen & vel superat, vel superatur, ea neq; continentia absolute, neq; incontinentia est, sed ex similitudine. sicut etiam ille qui circa iram affectus est, non incontinens, sed hoc modo affectionis incontinens dicendus est. Omne enim excedés vitium & imprudentia, & timiditas, & intemperantia, & acerbitas partim ferinum est, partim morbosum. Qui nãq; talis natura est vt omnia timeat, etiam si mus obstrepuerit, ferina is timiditate timidus est. quidam etiam felem ex morbo timebat. ex imprudentibus itẽ qui irrationabiles sunt, & sensu tantummodo viuunt, ferini habenIL 5

tur: cuiusmodi nonnulli longinquorum Barbarorum nationes sunt. Qui autem ex morbo aut comitiali, aut insania idē faciunt, morbosi sunt. Fieri vero potest vt ex his aliqua interdum quispiam habeat tantum, & non superetur. quemadmodum si Phalaris cupiens infantem edere, ab eo cohibuisset: vel ad venereorum nefariam voluptatem incitatus, quispiam. fit etiam, vt non habeat hęc aliquis, verum etiam superetur. Quemadmodum igitur prauitas, quæ hominem continet, absolute prauitas dicitur: quæ vero cum additione appellatur, non absolute, sed ferina, vel morbosa prauitas vocatur. eodē modo etiā incontinentiam patet aliam ferinam, aliam morbosam: absolute vero solam eam, quæ intemperantiæ humanæ correspondet. Incontinentiam iraq; & continentiam circa ea tantum versari, circa quæ intemperantia & temperantia, circa alia vero aliam incontinentiæ speciem esse, quę non absolute, sed per translationem ita dicatur, perspicuum est.

De incontinentia ira, & voluptatum differentia, & vitio humano. CAP. VI.

IAm vero minus turpem esse incontinentiam iræ, quàm cupiditatū consyderemus. ira etenim audire quidem rationem videtur, sed non recte tamen percipere, quemadmodū festini minister faciunt, qui priusquā omnia quæ dicuntur, audierint, excurrunt: deinde † ab actione aberrant, & canes quoq; antequā inspexerint, an amicus sit quispiam, si strepitum tantummodo fecerit, latrant. ita ira ob feruorem, celeritatémq; naturæ, audiens quidem, sed non quid præcipiatur attendens, ad vindictam incitatur. nam sanè vbi ratio vel imaginatio contumeliam aut contemptum esse ostenderit, ipsa quasi ratiocinando colligerit bellum ei esse inferendum, indignatur. at cupiditas si tantum ratio aut sensus suaue esse aliquid dixerit, ad fruitionē eius incitatur. quare ira rationem quodāmodo sequitur: cupiditas non sequitur. turpior igitur cupiditas est. ira enim incontinens à ratione quodammodo vincitur: hic vero à cupiditate, non à ratione superatur. Præterea magis ignoscendum est, si quis naturales appetitiones sequatur: nam talibus etiam cupiditatibus quæ communes omnibus sunt, & quatenus sunt communes, venia magis dari consueuit. at iracundia & acerbitas naturalis magis est quàm cupiditates quæ excedunt, & necessariæ minime sunt. quemadmodū ille, qui se excusabat quòd patrem verberasset: nam hic, inquit, suum, & ille item suum verbera erat: & commonstrans infantem, hic etiā inquit, vbi vir euaserit, me ipsum verberabit: gentile enim nobis hoc est. ille quoq; qui trahebatur à filio, vbi ad ianuam deuentum est, desistere iubebat: nam se quoque eousq; patrem suum traxisse. Adde quòd qui insidiosius agunt, sunt iniustiores: iracundus vero minime est insidiosus, sed apertus, sicut etiam ira, at cupiditas huiusmodi est, qualem etiam Venerem dicunt.

Cypriam enim fraudes vocitauit, &
Zonam de pectore soluit, inquit Homerus,
Hæ fraus est, quæ vel prudentes decipit ipsos.

Quare si iniustior & turpior incontinentia hæc est, quàm ea quę circa iram versatur: & absolute incontinentia, & quodammodo vitium erit. Accedit quòd dolore affectus contumelia vtitur nemo. Qui autem ex ira quispiā facit cum dolore id facit:

† al. à mandato.

id facit:qui vero contumelia vtitur, cum voluptate.si igitur ea sunt iniustiora ob quæ iusti gnari maxime conuenit,incontinentia quoque cupiditatis eiusmodi erit:quippe cũ in ita contumelia minime sit,incontinentiam itaque cupiditatis ea quæ circa iram existit esse turpiorem:continentiam item & incontinentiam circa cupiditates & voluptates corporis verbis manifestum est. Harum autem ipsarum differentiæ sumendæ sunt,sicut enim à principio dictum fuit, aliæ tam genere quàm magnitudine humanæ sunt ac naturales:aliæ ferinæ:aliæ ex lesionibus & morbis euenientes, ac circa harum primas temperantia & intemperantia versatur. vnde bestias neque temperantes neque intemperantes dicimus, nisi per transiationem:& si quo alio modo omnino animaliũ genus aliud ab alio tum contumelia & salacitate,tum vtrocitate differt. Non enim electionem, neque rationem habent,sed è natura non secus ac furentes homines excesserunt, feritas autem minus quidem quàm vitium,sed horribilius tamẽ malum est,quippe cum non sit corrupta, quemadmodum in homine optima pars,sed delit,& ob habeat. Simile nanque est perinde ac si inanimatum ad animatum conferre velimus, vtrum peius sit. semper enim prauitas eius quod non habet principium : intellectus autem est principium:minus idonea ad nocendum est. Non secus igitur est ac si iniustitiam ad iniustum hominem quispiam conferat:vtrunque enim alio quo modo peius est.millies plura enim mala homo malus quàm bestia perpetratur.

De con

De continente,incontinente,tolerante,& molli.

CAP. VII.

AT vero circa tactus gustatúsque voluptates & dolores, cupiditates item & fugas, circa quas intemperantia & temperantia definita prius est, ita se habere quispiam potest,vt vel quibus plerique sunt superiores ab iis vincatur vel ea superet, quibus pleriq; succumbũt. Ex his autem qui circa voluptates versatur, alter incontinens,alter continens : qui circa dolores,alter mollis,tolerans alter dicitur, plurimorum vero habitus medij sunt,licet magis ad deteriores declinent. Sed quia nonnullæ voluptates necessariæ sunt,aliæ non necessariæ, & quadantenus:excessus vero & defectus necessarii minime sunt:& simili modo etiam circa cupiditates & dolores res sese habet:qui iucundarum rerum excessus vel cum excessu, vel ex electione & propter ipsas, nullámque aliam ob rem euenientem persequitur, intemperans est. Necesse enim est hunc nõ esse eiusmodi, vt cum pœniteat:quare est incurabilis:nam quem non pœnitet, incurabilis est, qui vero deficit, est huic oppositus,qui est medius,temperans.simili modo quoque qui corporis dolores,non quia sit inferior & vincatur, sed ex electione fugit. At eorum qui nõ eligunt,alter ob voluptatem, alter ob id quòd fugit doloré ex cupiditate euenientem, ducitur:quare inter se differunt.vnicuique enim peior esse videretur, siquis aut nihil,aut leuiter cupiens turpe aliquid perpetraret:quàm si vehementi cupiditate affectus idem faceret,item si non iratus,quàm si iratus verberaret quispiam. quid enim ageret, si in affectu esset

Universidad de Deusto
Biblioteca

esset constitutus: ideo intemperans inconcin-
deterior est. Ex iis vero quos diximus, alter a
mollitiæ specie magis est, alter est incontinens
incontinenti autem continens: molli tolerans
opponitur: tolerare enim in resistêdo constitit
continentia in continendo & cohibendo, diuer
sum autem est resistere & cohibere, non ferre
ac non superari, & vincere, vt hac causa con
nentia quàm tolerantia sit expetibilior. Qui ve
ro deficit in iis aduersus quæ plerique resistu
tur, & possunt: mollis est, & delicatus. delicu
enim mollitia quædam est, qui scilicet pallio
trahit, ne si ipsum tollat, dolorem sibi laborar
do creet: & dum ægrotantem imitatur, infir
esse non existimat, cùm misero similis sit. Eod
modo quoque circa continentiam & incontin
nentiâ res sese habet. non enim si quis vehemen
tibus & modum excedentibus aut voluptatibus
aut doloribus vincitur, id mirum est, quin si re
sistens vincitur, venia etiam dignum habeat
vt Theodecti Philoctetes à vipera morsus, aut
Carcini in Alope Cercyon: & sicut ij qui vix
cohibere risum nitantur, in profusum cachinn
erumpunt: id quod Xenophanto contigit, sed
ab iis vincitur, iisque nequit repugnare, quib
plerique possunt resistere: atque id non ex na
tura generis, aut morbo. Quemadmodum apud
Persarum reges mollities ex genere est: & fœ
fœmina à mari differat. Iocosus quoque esse in
perans videtur sed est mollis. iocus enim cu
sit requies, relaxatio est. Iocosus vero ex iis est
qui in hac excedunt. Incontinentia alia teme
tas, alia imbecillitas est. nam alij vbi consulu
runt, in iis quæ decreuerunt, ob affectum pers
non perstant: alij quia nõ cõsultarunt, ab affec
ducun

ducuntur. nonnulli enim, quemadmodum qui
se prius titillarint, non titillantur: ita quoque
ipsi cum præsenserint, ac præuiderint, séque
ipsos & rationem præexcitarint, siue luciddum,
siue molestum quippiam fuerit, ab affectu non
superantur, præcipue vero celeres, & atra bile
affecti: temeraria incontinentia sunt incontinẽ
tes. illi enim ob celeritatem, hi ob vehemẽtiam
rationem non expectant, propterea quòd pro
cliues ad sequendam imaginationem sunt.

Quæ incontinentia & intemperantia differentia sit.

CAP. VIII.

At intemperans, sicut dictum est, non est
eiusmodi, vt eum pœniteat. perstat enim
in proposito, sed incontinentem quodammodo
pœnitet, quo circa non sicut dubitauimus, ita
se res habet, sed hic facile potest sanari. ille in-
curabilis est: quippe cùm prauitas ex morbis
aquæ inter cutem & rabi, incontinentia comi-
tialibus perquàm similis sit. illa enim cõtinua,
hæc non continua improbitas est, atque omni-
no diuersum est incontinentiæ & vitij genus.
vitium enim latet, incontinentia non latet. Ex
iis autẽ ipsis illi qui exturbantur, meliores sunt,
quàm qui rationem habent, atque in ea nõ per-
sistunt. à minori enim affectu superantur: & non
ruconsulti, vt alteri sunt. nam similis incon-
nens est iis, qui & cito, & pauco vino, & paucio-
re etiam quàm plerique inebriantur. Incon-
nentiam igitur nõ esse vitium, manifestum est,
sed quadam ex parte fortasse. hæc enim præter
electionem, id ex electione, sed in actionibus ta-
men habet similitudinem, quemadmodum De-
modocus in Milesios dicebat: Milesij sanè non
sunt

sunt quidem imprudentes: sed ea tamen agunt quæ imprudentes solent: sic incontinentes illos iniusti non sint, iniuste tamen agunt. Quoniam vero alter talis est vt non ex eo quòd persuasus sit, voluptates corporis supra modum, & præter rectam rationem sequatur: alter autem persuasus est, quia est talis vt eas sequatur: illi difficulter facile potest: huic non potest. Virtus enim & prauitas principium altera corrumpit, altera conseruat: in actionibus autē principium illud est cuius causa res fit, sicut in mathematicis suppositiones. nam neque illic ratio est quæ doctrinam tradat principiorum: neque hic, sed virtus vel naturalis, vel assuetudine comparata recte opinandi circa principium præceptrix est. Ac temperans quidem huiusmodi est: huic vero contrarius intemperans, est etiam quidam qui ex affectu è recta ratione exturbatur, quem tamen superat affectus, vt ex recta ratiōe minime agat: non tamen ita superat, vt talis euadat, qui eiusmodi voluptates effusè sibi esse sectandas persuasum habeat: atque hic est incontinens, qui intemperante melior est, nec est absolute prauus: quippe cum in eo id quod optimum est, id est principium ipsum conseruetur, contrarius huic alius est qui persistit, neque ex affectu exturbatur. Hinc igitur alterum probum, alterum prauum esse habitum patet.

De continentia & pertinacia conuenientia & differentia.

CAP. IX.

VTrum igitur continens it est, qui in qualicunque ratione & qualicunque electione, an qui in recta tātum persistit: vtrū item incontinens,

tinens, qui in qualicunque & ratione & electione persistat, an qui in falsa ratione, & non recta electione permanet? nunquid ex accidenti in qualicunque, per se vero in vera ratione, & in recta electione persistit alter, alter non persistit? nā si quis illud ob hoc eligit & sectatur hoc per se: ipsum illud ex accidenti sectatur, atque eligit: per se autē simpliciter & absolute appellamus. Quare fit vt quodammodo in qualicunque opinione, absolute autem in vera alter perseueret, alter non perseueret. Sunt autem nonnulli in opinione perseuerantes, quos pertinaces vocāt, vt obstinati, & qui non facile dissuasionem admittunt: qui similitudinem quidem cum continente quandam habent, sicut prodigus cum liberali, audax cum forti, diuersi tamen in multis sunt. continens enim ex affectu & cupiditate nō immutatur: nam cùm inciderit, suasioni obtemperans est: ille non à ratione. cupiditates enim admittunt plerique, atque à voluptatibus ducuntur. Ac sunt quidem pertinaces qui suæ sunt sententiæ homines, & ineruditi, & rustici, atque hi quidem suæ sunt sententiæ, ex voluptate & dolore. gaudent enim cùm vincunt, si non dissuasi fuerint: dolent contra si sua, perinde ac sint decreta, irrita fuerint effecta, vt hac ratione incontinenti magis, quàm continenti similes sint. sed sunt etiam quidam qui in his quæ decreuerunt non perstant, neque tamen ob incontinentiam, vt in Philoctete Sophoclis Neoptolemus, atqui is ob voluptatem quidem, non persistit: sed honestum erat, verum enim dicere ipsi erat honestum, cùm ad mētiendum ab Vlysse fuisset persuasus. non enim omnis qui ob voluptatem quippiam agit, intemperans est, aut prauus, aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

incontinens: sed qui ob turpem voluptatem agit. Cùm autem sit quidem etiam talis, qui corporalibus minus quàm oporteat oblectetur, atque in ratione tamen persistat, inter hunc & incontinentem medius continès est. incontinens enim in ratione non persistit, quia magis quàm oportet hic, quia minus quàm oportet, quippe sectatur, at continens perstat, & ob neutrum immutatur. Si cõtinentia vero honesta est, vtrosq; hos contrarios habitus esse prauos, sicuti etiam videntur, necesse est: quia tamen alter ex his in paucis, & raro solet reperiri: fit, vt, quemadmodum temperantia intemperantiæ esse contraria tantum videtur, sic incontinentiæ continentia esse videtur. Cæterum quia multa dicuntur ex similitudine, consequitur, vt continentia temperantiæ quoq; per similitudinem sit. nam & continès eius modi est, vt nihil præter rectã rationẽ ob corporis voluptates faciat: & similiter temperans, sed ille tamen prauas habet cupiditates: hic non habet: atque hic est talis, vt præter rationem non oblectetur, ille vt oblectetur quidẽ, sed tamen non ducatur. Similes item incontinens & intemperans inter se sunt, qui quidem, cùm sint diuersi, vtrique corporis voluptates sequuntur: sed alter oportere existimans, alter non existimans id facit.

Prudentiam & incontinentiam simul in eodem non esse.

CAP. X.

SEd neque vt idem simul & prudens & incontinens sit, fieri vllo modo potest. qui enim prudens sit, eum simul & probum esse manifestum demonstratum est. Adde quòd non in eo solùm quòd cognoscit, est prudens quispiam, sed in eo quòd est actuosus, incontinens autem actuosus non est. Callidum tamen esse incontinentem, nihil vetat, vnde etiam prudentes esse nonnulli videntur, qui sint incontinentes: propterea quòd calliditas eo modo quo superius diximus à prudentia discrepat, est quæ quantum ad rationem spectat, proxima: quantum ad electionem, diuersa. Neque igitur vt cognoscens, & contemplans, sed vt dormiẽs, & vino oppressus, ac spõte quidem agit, quodam enim modo cognoscit & quid, & cuius causa faciat: prauus tamen non est: quippe cum electio eius proba sit, quare semiprauus est, & non iniustus. non enim est insidiosus. Alter enim ex ipsis in iis quæ consultauit, nõ perstat: alter qui ira bile est affectus, ne cõsultat quidem omnino. Ac similis quidẽ est incontinens ciuitati, quæ omnia quidem quæ fieri debent, decernat, legẽsque bonas habeat, sed eis tamen nõ vtatur: quemadmodum Anaxandrides cauillatus est: Nil iura curare consulebat ciuitas: prauus vero vtenti quidem legibus, sed malis, similis est. Versatur autem incontinentia & continentia circa id quod multitudinis habitum excedit. nam alter amplius, alter minus perstat, quàm multitudinis facultas sit. Atque ex incontinentiis sanabilior illa est, qua qui ira bile sunt præditi, vti consueuerunt, quàm ea quæ illorum est qui consultant, sed postea tamen in iis quæ consultarunt, non perstitunt, incontinentes item ex assuetudine, quàm ex natura sanari facilius possunt: quippe cùm consuetudinem quàm naturam immutare facilius sit. nam ob id quoq; consuetudinem mutare est difficile, quia naturæ perquam simi-

Consuetudinem quàm naturã immutare facilius est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lis est, quemadmodum etiam Euenus inquit:
Consuetudo quidem rerum tractatio longa est:
Quam precedentem naturam dicimus esse.

Quid igitur continen ia sit & incontinentia, quid tolerantia & mollities: quámque hi habitus inter se rationem habeant, dictum iam est.

De voluptate.
CAP. XI.

ATvero de voluptate & dolore cõtemplari eius est qui circa ciuilem facultatem philosophatur. is enim finis eius architectus est, ad quem spectantes vnumquodque tum malũ, tum bonum appellamus. Præterea de his cõsiderare necessarium etiam est: quippe cùm virtute moralem & vitiũ circa voluptates, & dolores constituerimus: & felicitatem pleriq. existere cum voluptate asserant: vnde etiam beatum à verbo χαίρειν, quod est gaudere, μακάριον nominarint. Quibusdam igitur nulla voluptas neque per se neque ex accidenti esse bonum videtur, non enim posse idem & bonum esse & voluptatem asserunt. alij nonnullas bonas, plerasq; prauas esse opinantur, tertia sententia præterea est, etiam si omnes sint bonæ, optimum tamen voluptatem esse nullo modo posse. Atque omnino quidem non esse bonum propterea dicũt, quòd omnis voluptas generatio est sensibilis in naturam: nulla enim generatio finibus est cognata verbi causa, nulla ædificatio domus est. Temperans præterea voluptates fugit: item prudens quod dolore vacat, persequitur, non quod iucundum est: voluptates etiã prudentiæ sunt impedimento. atq; eò magis, quò quis magis obtemperat, vt in venereorum voluptate concipi qua

qua constitutus nemo intelligere quippiam potest. Huc accedit, quòd voluptatis nulla ars est: cùm tamen bonum omne opus artis esse cẽseatur. Adde quòd pueri quoque & bestiæ voluptatem persequuntur. Quòd autem non omnes esse probas dicant, propterea est, quia turpes etiam nonnullæ, & probrosæ, & noxiæ quoque reperiuntur, quippe cùm morbosa sint quædam ex iis quæ voluptate afficiunt. At non optimũ esse voluptatem asserunt, ob id quia non finis, sed generatio est. Atque ea quidem quæ dicuntur, huiusmodi sunt.

Improbatio rationum de voluptate.
CAP. XII.

ATenim non efficiex his vt voluptas aut bonum aut optimum non sit, hinc perspicuum erit: primum, quia bonum dupliciter, alterum enim absolute, alterum alicui bonum dicitur: & naturæ & habitus id sequentur, quare sequentur quoque idem & motiones, & generationes. Quæ item esse prauæ videntur, absolutè aliæ sunt prauæ, non tamen alicui, sed eligendæ alicui sunt: aliæ ne huic quidem, nisi aliquando, & parũo tempore, & non sunt eligẽdæ: quædam verò ne voluptates quidem sunt, sed videntur: quæcũque cum dolore, & medicinæ causa existunt: cuiusmodi voluptates ægrotantium sunt. Præterea cùm bonum aliud operatio sit, aliud habitus: quæ in naturalem habitum cõstituunt, ex accidenti suaues ac iucundæ sunt, operatio autem est in cupiditatibus † subinde si habitus sit naturæ. Nam sine dolore etiam & cupiditate voluptates existunt, vt contẽplandi operationes, quæ minime indigentis naturæ sunt.

† al. desiderantis.

Argumento id est, quòd non eadem iucunditate oblectantur, dum repletur natura, & dum constituta est, sed dum est constituta, iis quæ absolute sunt iucunda, dum repletur, contrariis etiã gaudent, accidit siquidem, & amaris delectantur: quorum nihil neque natura, neque absolute iucundum est. quare neque ipsæ voluptates. Sicut enim iucunda inter se distant, ita quoque voluptates quæ ab ipsis eueniunt. Adde quòd non est necesse, vt aliud quid melius voluptas sit, quemadmodum nonnulli dicunt, sint ipsius generationis: generationes enim voluptates non sunt, neque cum generatione omnes existunt, sed operationes sunt & fines: neque ex iis quæ gignuntur, sed ex iis quibus vtimur, efficiuntur. finis item non omnium diuersum quid est, sed earum quæ ad naturæ perfectionem deducuntur. Vnde sensibilem generationem voluptatem esse dicere, non recte se habet, sed potius dicendum est, operationem esse eam habitus qui secundum naturam est, & potius quàm sensibilem, impedimento vacantem. Videtur autem et eo generatio esse, quia proprie bonum est operationem enim generationem esse existimant, cùm tamen diuersa sit. Nam quòd aiunt prauas eas esse, quia morbosa nonnulla sunt iucunda. Idem de salubribus dicendum esset, quædam enim ex ipsis ad rem pecuniariam prauæ sunt, vt hoc modo prauæ ambo essent, at in hoc non sunt prauæ: quippe cùm contemplari quo quantum ad sanitatem attinet, nocumentum interdum afferat. Neque prudentiæ vero, neque alicui habitui impedimento est ea quæ ab ea quoque procedit voluptas, sed alienæ. nam quæ à contemplando & discendo proueniunt, magis

vt contemplemur, ac discamus, efficiunt. Nullam vero voluptatẽ artis vllius esse opus, probabiliter contingit: quippe cum neque alterius operationis vllius ars sit, sed facultatis. tametsi & vnguentaria ars, & opsonatoria esse voluptatis videtur. Quòd autem temperans fugiat, & prudens dolore carentem vitam persequatur, persequantur item tam pueri, quàm bestiæ, omnia eodem modo soluuntur. Nam quia diximus est quo modo bonæ absolute, & quo modo non bonæ voluptates omnes sint: tales pueri & bestiæ persequuntur: harũmque indolentiam prudens sectatur, quæ cum cupiditate & dolore existunt, & corporis sunt: huiusmodi enim sunt hæ: harum item excessus secundum quos intemperans intemperans est. propterea temperans has fugit: nam etiam temperantis voluptates sunt.

De voluptatum specibus.
CAP. XIII.

CÆterum dolor quoq; esse malum & fugiẽdum conceditur: atq; alius absolute malũ, alius, eò quòd quodam modo impedimẽto est. fugiendæ autem rei, quatenus est fugienda & mala, bonum cõtrarium est: bonũ igitur quoddam esse voluptatem necesse est. Nam quemadmodum soluebat Speusippus, non competit solutio. sicut maius minori & æquali, ita contrarium hic esse. non enim idem quod malum aliquod voluptatem esse quispiam dixerit. Iam vero si nonnullæ voluptates sunt prauæ, nihil vetat aliquam esse optimum: sicut scientiam aliquam, licet prauæ quędam sint. fortasse vero etiam necessarium est, siquidem vniuscuiusque

habitus operationes sine impedimento sutet, & ue omnium operatio sit felicitas, sine alicuius ipsorum,si impedimento vacet, eam esse maxime expetendam:hoc autem est voluptas. Quare efficitur,vt quædam voluptas optimum sit,licet multæ voluptates forte absolutè prauæ sint. ac propterea omnes felicem vitam iucundam esse existimãt: voluptatémq; felicitati consentaneam annectunt:quippe cùm nulla operatio quæ impeditur, perfecta sit, felicitas vero sit ex perfectis. Ideo fit, vt ex corporis & externis bonis, fortunáq; ipsa insuper indigeat felix,ne hæc impediant.Nam qui eum qui rota torquetur,& calamitatibus magnis opprimitur,si bonus sit,felicem esse dicunt:vel inuiti, vel sponte nihil dicunt. Quia vero insuper fortuna indiget felix idem esse nonnullis fortunæ prosperitas,& felicitas videtur:cum tamen non sit nam ipsa quoque cùm excedit, impedimento est. ac fortasse non amplius fortunæ prosperitas appellari iure potest:quippe cum eius definitio ad felicitatem spectet. Quòd item omnes & bestiæ & homines voluptatem sequuntur,id ipsam esse quodam modo optimum indicat.

Non prorsus famæ illa perit,quam multa per orbem
Turba hominum celebrat.

Sed quia neq; eadem natura,neq; idem habitus optimus aut est, aut videtur:neque voluptatem eandem omnes, voluptatem tamen omnes sequuntur.fortasse etiam non eam sequuntur, quã putant,neq; quam dicerent,sed eandem. omnia enim natura diuinum quid habent. Sed corporis voluptates nominis huius hæreditatem consequutæ ex eo sunt,quòd sæpe in ipsas incidimus homines,omnésq; earum sunt participes. Vtpote

quia solæ notæ sunt, solas has esse opinantur. Perspicuum etiam est. nisi voluptas sit bonum & operatio,fieri non posse,vt iucunde felix vitam traducat. Cuius enim causa indigeret ipsa, si non est bonum:sed etiam molestè viuere poterit.nam neq; malum néq; bonum est dolor, si neq; voluptas. Quare cur fugeret?neque igitur probi viri vita erit iucundior,nisi etiam operationes ipsius sint.

De corporis voluptatibus.
CAP. XIIII.

AT vero de corporis voluptatibus cõsyderandum illis est,qui nonnullas voluptates valde eligendas esse dicunt, illas videlicet quæ honestæ sunt, sed non corporales, & eas circa quas versatur intemperans. Qui fit igitur,vt cõtrarij dolores praui sint ? malo etenim bonum contrarium est. An ita bonæ sunt illæ quæ sunt necessariæ, propterea quòd quod non est malum, bonum est? An aliquatenus bonæ sunt? Habituum enim & motuum, quorum melioris excessus, non est:neque voluptatis est excessus:quorum autem est, est etiam voluptatis. at corporis bonorum est excessus,& prauus prosequendo excessum,& non necessarias voluptates prauus est:omnes siquidem & opsoniis & vinis & venereis quodam modo oblectantur,sed non vt debent. Contra in dolore. non enim excessum fugit quispiam, sed omnino fugit:quippe cùm excessui dolor contrarius minime sit, sed ei qui excessum persequitur.Quoniam autẽ non tantum opus est, vt verum dicamus, sed etiam oportet, vt falsi causam explicemus : hoc etiam ad fidem faciendam conducit, nam cùm

rationi consentanea visa fuerit causa, cur vera appareat esse, quod verum non est: facit, vt vera magis fidem adhibeamus: iccirco dicendum est, qui fiat, vt corporis voluptates expetibiliores esse videantur. Primum igitur, quia expellit dolorem atq; ob doloris excessum excedentem voluptatem, quasi medela quædam sit, atq; omnino corporis voluptatem persequuntur, medelæ autem vehementes fiunt: vnde eas etiam persequuntur, quia circa contrarium videntur, atq; ob duo hæc bonum non esse voluptas videtur, sicut dictum est: quoniam aliæ prauæ naturæ actiones sunt, siue ab ortu, vt bestiarum, siue ex consuetudine, vt prauorum hominū: aliæ sunt medelæ, quia sunt indigentis: meliúsq; est habere quàm fieri: aliæ accidunt, dum perficitur, ex accidenti igitur probæ sunt. Adde quòd, quia vehementes sunt, illi eas persequuntur, qui lætari aliis nequeunt, ipsi siquidem sitis quærunt sibi præparant. quando igitur innoxiæ sunt, increpatione vacat: quando noxiæ, prauum est. neq; enim habent alia quibus lætentur, & contrum habere plerisq; molestum est ob naturam. Semper enim laborat anima: quemadmodum etiam naturales disputationes testantur, quòd videre & audire esse molestum asserunt. sed vt fueri iam sumus, vt inquiunt. similiter etiam in iuuentute ob auctionem perinde ac temulenti afficiuntur: & iuuentus iucundum quid est. Amabile vero affecti natura semper medela indiget. corpus enim eorū ex temperatura semper mouetur: sempérq; appetitu vehementi incitamur. voluptas autem & contraria & quæuis, modò sit vehemēs, dolorem expellit. ac propterea qui temperantes ac praui euadunt. Quæ autem [illegible] dolere

dolore sunt voluptates, excessum non habent. atq; hæ natura, non ex accidenti iucūdarum rerum sunt. Ex accidenti autem iucunda appello quæ medicinam afferunt: nam quia accidit, vt medicinam consequamur, dum id quod suum subsitat, agit aliquid: propterea esse iucundum videtur. natura vero iucunda, quæ talis naturæ actionem efficiunt. Nulla autem res propterea est, quæ eadem semper suauis sit, quia simplex natura nostra minime est, sed insitum diuersum quid etiam habet, quo est corruptibilis: vt si alterum quid agat, id alteri naturæ sit præter naturam. cum vero adæquantur, neque molestum, neque iucundum id quod agitur esse videatur. Nam si alicuius natura simplex sit, ei semper eadem actio erit iucundissima. atq; iccirco Deus semper vna ac simplici gaudet voluptate, neque enim motionis tantum, sed immobilitatis etiam operatio est: magisq; in quiete quàm in motu voluptas consistit. At vero mutatio omnium res suauissima est, vt poëta inquit, ob prauitatem quandam. sicut enim homo prauus mutabilis est: ita etiam natura, quæ mutatione indigeat non enim est simplex, neque proba. Ac de continentia quidem & incontinentia, & de voluptate & dolore: quidque vnumquodque horum, & quo modo alia ex ipsis sunt bona, alia mala, dictū iam est. posthac vero de amicitia dicemus,

Deus semper vna ac simpliciter gaudet voluptate.

Voluptas in quiete magis quàm in motu consistit.

ARIST

ARISTOTELIS MORALIVM NICOMACHIORVM,

LIBER OCTAVVS.

SVMMÆ LIBRI.

De amicitia, & eius speciebus. De amicitiae de multis, quæ circa amicitiam & amicos sunt considerauda.

De amicitia.
CAP. I.

Absq; amicis nemo vivere eligeret nam.

POst hæc sequitur, vt de amicitia differamus: quippe quæ aut virtus quædã, aut cum virtute est. Resq; est ad vitam maxime necessaria. absq; amicis enim viuere, licet cætera bona omnia supperterent, eligeret nemo. nam & diuites, & principatus, potestatesq; habentes maxime indigere amicis videtur. Quid enim prodest eiusmodi prosperitas, si beneficia tollatur, quod erga amicos & præcipue sit, & maxime laudatur? aut quomodo sine amicis custodiri, conseruariq; possent? quanto enim amplior, tanto etiam periculosior est. In paupertate etiam & reliquis infortuniis amicos esse vnicum refugium putant. Iuuenibus item conducit ad

cit ad id vt non peccent: & senioribus ad obsequium & ad defectum actionum, ad quas ob imbecillitatem auxilio indigent: & iis qui in statu sunt constituti, ad honestas res capessendas. Si bini simul ire parent, nam & ad intelligendum & agendum magis idonei sunt. Ineſſe etiam natura ei videtur quod genuit, erga id quod genitum est. Rei item quod genitum est, erga id quod genuit: atq; id non tam in hominibus quàm in auibus, & plerisq; aliis animalibus cõtingit: & iis item quæ eiusdem nationis sunt, & hominibus præcipue: vnde humanos, id est hominum amatores laudamus. Quàm familiaris etiam atque amica res sit homini vnusquisque homo, in erroribus quoq; conspicere licet. Videtur etiam ciuitates continere amicitia, & legislatores magis ipsi quàm iustitiæ studere: concordia enim esse simile quid amicitiæ videtur, quam illi maxime affectant: seditionem vero, quæ inimicitia est, maxime expellũt. nam si sint amici, iustitia opus non est: sin autem sint iusti, amicitia indigent. Adde quòd id quod maxime ius est, esse amicabile videtur. neq; solum necessarium est, verum etiam honestum. amico enim amatores laudamus. multorúmq; amicitia vna quædã esse ex honestis rebus videtur. Præterea nonnulli eosdẽ & bonos viros & amicos esse opinantur. Controuersia autem de ipsa non parua est. nam alij similitudinem quãdam eam esse statuunt, & similes amicos. vnde simile inquiunt ad similem ire, & graculũ ad graculum, & cætera huiusmodi. alij e contrario figulos omnes tales esse inter se dicũtiae de ipsis altius, & naturalius inuestigant. Euripides quidem inquiens:

Humen

Humentem amare pluuiam cum terra eſt arida
Cæumq; ſacrum cum grauatum eſt imbribus
Telluru arentis cadere in ſinum appetere.

Et Heraclitus aduerſarium eſſe conſerent. ex differentibus pulcherrimam coaptationem fieri: & omnia ex lite oriri. contraria vero bona aſſerunt cùm alij, tum Empedocles: ſimile enim ſimile appetere ait. Sed naturales dubitationes miſſas faciamus: quippe quæ præſenti conſiderationi minime ſint accommodatæ. quæ autem humanæ ſunt, & ad mores affectúsque pertinent, inſpiciamus: vtrum videlicet inter omnes homines amicitia contingat, an fieri non poſſit, vt praui amici ſint: vtrum item vna ſpecies amicitiæ an plures reperiantur. Qui enim vnam eſſe ſpeciem, ex eo opinantur, quod magis & minus admittit: non idoneo argumento nituntur. nam ea etiam, quæ diuerſa ſunt ſpecie magis & minus admittere conſueuerunt, de quibus antea iam dictum eſt.

De amabili.

CAP. II.

FOrtaſſe vero de his conſtabit ſi amabile ipſum cognitũ fuerit. quippe cùm non quod libet amari videatur, ſed quod amabile eſt: id autem aut bonum, aut iucundum, aut vtile. Vtile autem id eſſe videri poteſt, per quod bonum aliquod aut voluptas efficitur: ita vt bonum & iucundum amabilia ſint, vt fines. Vtrum igitur bonum amant, an quod ipſis bonum eſt? diſcrepant enim interdum hæc. ſimiliter quoq; circa ipſum iucundum. Videtur autem quod ipſi bonum eſt, amare vnuſquiſque: & eſſe quidem quod abſolute bonum eſt, amabile: cui vero, quod cuiq. eſt. at amat vnuſquiſq; non quod ipſi eſt bonum, ſed quod apparet: ſed id nihil refert. nam amabile apparens erit. Cum tria vero ſint, propter quæ amant homines, de inanimatorum amore amicitia minime dicitur: quippe cùm neq; redamatio, neq; voluntas boni illorũ vlla ſit. ridiculum enim eſſet fortaſſe, ſi vino quiſpiam bona velle: nam ſi modo aliquid eſt, ſaltem eſſe illud vult aliquis, vt ipſe habeat. Amico autem inquiunt bona velle oportere illius cauſa: eósque qui ita bona volunt, ſi non idem ab illo exiſtat, beneuolos dicunt. beneuolentiam enim in mutua affectione amicitiam eſſe. An addendum eſt non latentem? nam multi beneuoli ſunt iis etiam quos non viderunt: quos ſcilicet putant modeſtos eſſe, vel viles. quo etiam modo illorum quiſpiam erga hos affici poſſet: ac beneuoli quidem eſſe inter ſe hi videntur, amicos autem eos qui quo modo inter ſe affecti ſint, ignorant, appellare quis poſſet? Oportet igitur, vt beneuoli mutuo inter ſe ſint, velintq; bona ob vnum aliquid ex iis, quæ dicta ſunt.

De ſpeciebus amicitiæ.

CAP. III.

EAs vero inter ſe ſpecie differunt: ergo dilectiones quoq; & amicitiæ. tres enim æquales numero amabilibus amicitiæ ſpecies ſunt: quippe cùm in vnoquoque ſit redamatio non latens. qui autẽ mutuo ſe amant, volunt ſibi mutuo bona eatenus, quatenus amant. Qui quidem ob vtilitatem amant, ſe mutuo non per ſe amant: ſed quatenus bonum aliquod à ſe mutuo

tuo percipiunt. Simili modo qui ob voluptatem amici sunt:non enim vrbanos amant, quæ qualitate quadam sunt affecti, sed quia iucundi ipsis sunt. ita & qui ob vtilitatem, & qui ob voluptatem amant: illi ob suum bonum, hi ob suam voluptatem diligunt,non quatenus est ille qui amatur,sed quatenus est vtilis, vel iucundus. Ex accidenti igitur amicitiæ hæ sunt. non enim quatenus est ille qui amatur, quicunque is sit,eatenus amatur: sed quatenus bonum aliquid alter,alter voluptatem affert. Huiusmodi autem amicitię dissolui facile possunt,cùm simules ipsi non permaneant. nam si non amplius iucundi, aut vtiles fuerint, amare desistunt. at vtile non permanet, sed aliàs aliud euadit quis fit,vt dissoluto eo, ob quod amici erant, amicitia quoq; ipsa dissoluatur, quippe quæ propter illud erat. Maxime vero inter senes huiusmodi amicitia videtur existere: non enim qui hac ætate sunt, iucundum persequuntur, sed vtile. quicunq; item ex iuuenibus in statúq; constitutis hominibus vtilitatem sectátur. Tales autem neq; viuere simul consueuerunt: quandoq; etiá neq; sunt iucundi:neque tali consuetudine indigent,nisi vtiles sint. eatenus enim sunt iucundi, quatenus bonum alíquod sperant. inter hæc hospitalem etiam reponunt. At iuuenum amicitia esse ob voluptatem videtur: quippe cùm ex affectu vitam traducant: & maxime quod ipsi iucundum est,quódq; est præsens sectentur. mutata autè ætate iucunda,ipsa etiam diuersa euadunt: vnde cito amici & fiunt, & esse desinunt, quia amicitia vnà cum iucunditate mutatur,ea lis vero voluptatis velox mutatio est. Iuuenes etiam amatorij sunt:quippe cùm ex perna-

bationis affectu & voluptate multa illa amatoriæ affectionis vis oriatur,ideo fit vt & ament, & cito desistant,sæpe eodem die sententiam mutantes:simúlq; toto die versari, & conuiuere velint,ita enim id quod ex amicitia requirũt,ipsis euenit. Honorum vero & eorum qui in virtute sunt similes,amicitia perfecta demũ est.hi enim mutuo sibi bona similiter volunt,quatenus sunt boni:boni autem sunt per se.at qui amicis bona volunt ipsorum causa,maxime amici sunt:quippe cùm per se, ita sese habeant, & non ex accidenti. vnde horum amicitia præcipue permanet,quoad boni fuerint: virtus vero stabilis res est. Estq; vterq; & absolute bonus & amico, nã boni & absolute, & sibi mutuo boni sunt. vtiles item,& iucundi similiter. boni enim sunt & absolute, & sibi mutuo iucundi.singulis siquidem propriæ actiones, & tales voluptatem afferunt: bonorum autem actiones tales,vel similes sunt. Vnde fit vt talis amicitia stabilis merito sit.in ipsa enim omnia quæ amicis esse debent, conueniuntur.nam cum omnis amicitia ob bonum sit,aut ob voluptatem,vel absolute, vel amanti, & per similitudinem quandam:huic omnia ascripta per se insunt.† huic enim similes etiam reliquæ sunt.& absolute bonum, absolutéq; iucundum inest.hæc autẽ maxime amabilia sunt: & amare etiam & quæ maxime est amicitia atque optima in his est. Par autem est, vt raræ tales amicitiæ sint: quippe cum pauci huiusmodi reperiantur. adde quod tempore & consuetudine indiget. nam, vt est in prouerbio, fieri nequit,vt mutuo homines sese cognoscãt priusquam salem qui dicitur, consumpserint: neque prius sese admittant,sintq; inter se amici, quam

† a.Hæc ratione enim similes etiã in reliquis sunt.

alter alteri amabilis & videatur esse, & creda-
tur. Qui autem cito sese gerunt amice inter se,
volunt illi quidem esse amici: sed non sunt ta-
men, nisi quoque & amabiles sint, & se esse non
ignorent, ac voluntas quidem amicitiæ velox
est, amicitia minime. hæc igitur & tempore &
reliquis perfecta est ex omnibúsque his existit:
similisque vtrique ab vtroq; est, id quod inesse
amicis necesse est.

Honestam amicitiam proprie dici amicitiam, alias vero ex accidenti.

CAP. IIII.

AT vero quæ ob iucundum existit amici-
tia, huius similitudinem habentem boni
iucundi inter se sunt: simili modo quoque qui
ob vtilitatem amant: quippe cùm boni quoque
tales erga se mutuo sint. Maxime autem inter
hos etiam amicitiæ tunc perdurant, cùm æqua-
litas ab vtrisque mutuo exhibetur, vt voluptas,
neque tantummodo ita, verum etiam ab eodem,
vt vrbanis: sed non vt amatori & amato. hi enim
non iisdem oblectantur: sed alter amore illius,
alter obsequiis amatoris gaudet. quo fit, vt defi-
ciente ætatis flore, quandoque etiam amicitia
ipsa desinat: quippe cùm alteri facies non am-
plius iucunda sit, alteri obsequium non præste-
tur. Multi autem permanent, si pares mores
cùm sint, ex consuetudine mores dilexerunt.
at qui non iucunditatem in amatoriis relatu,
sed vtilitatem compensant, ij minus & amanti
& perseuerant. Qui vero ob vtilitatem sunt ami-
ci, vna cum vtilitate dissoluuntur: nam non sui
mutuo erant amici, sed vtilitatis. Atque ob vo-
luptatem quidem & vtilitatem & praui inter se
& boni

& boni erga prauos, & neuter erga qualem-
cumque esse amicus potest: at per seipsos non
nisi bonos esse manifestum est. praui enim, nisi
vtilitas aliqua intercedat, mutua consuetudine
non oblectantur. solúsque est bonorum amici-
tia, in qua nullus calumniæ locus pateat, non
enim facile cuipiam de eo credunt, qui longo
tempore ab ipsis fuerit probatus. & credere in
his est, & nulla iniuria se mutuo afficere: & quic
quid demum in vera amicitia esse censetur. In
aliis vero societatibus nihil vetat, quo minus
talia existant. nam cùm homines eos quoque
amicos vocent, qui ob vtilitatem sunt amici, vt
ciuitates: confœderationes enim inter ciuitates
fieri vtilitatis causa videntur: & eos qui ob vo-
luptatem se mutuo diligunt, vt pueri: fortasse
tales homines dicere amicos nos quoque de-
bemus: speciésque amicitiæ esse plures: ac pri-
mo quidem & proprie cum quæ bonorum est
hominum, quatenus sunt boni: reliqua vero per
similitudinem: quatenus enim bonum quid, &
simile inter ipsos est, eatenus sunt amici. iucun-
dum siquidem voluptuosis hominibus bonum
quid est. sed non admodum hæ coniunguntur:
neque iidem & ob vtilitatem & ob iucundita-
tem fiunt amici. quæ enim ex accidenti sunt,
non admodum copulantur. Cum vero in has
species amicitia distributa sit: praui ob vtilita-
tem vel voluptatem, qua in re sunt similes: boni
ob seipsos sunt amici. in eo enim quòd bo-
ni sunt, sese mutuo amant. atque hi
absolute amici. illi ex acciden-
ti sunt, & quia cùm his
habent similitu-
dinem.

Qui dicendi amici, & quo ad amicitiam apti.

CAP. V.

QVemadmodum autem in virtutibus alij ex habitu, alij ex operatione boni dicuntur, ita quoque in amicitia est. nam qui in conuictu degunt, mutua consuetudine oblectantur, & bona sibi mutuo suppeditant: qui vero dormiunt vel locis diuisi sunt, non operantur illi quidem, sed ita tamen affecti sunt, vt amicæ operationem dissoluunt. Sique diuturna absentia fuerit, amicitiæ quoque videtur obliuionem adducere. vnde dictum est: multas iam amicitias dissoluit inaffabilitas. Senes autem aut austeri ad amicitiam idonei non videntur: quippe cum parum voluptatis in ipsis insit: cum molestum autem, aut non suaui versari possit natura enim quod molestum est, fugere: quod iucundum, appetere videtur. Sed qui se mutuo admittunt, non tamen simul viuunt: benemeretur potius, quàm amicis similes sunt. nam nihil ita amicorum, vt simul viuere. præsidium enim indigi appetunt: simul autem diem traducere etiam beati: quippe cum solitarijs his esse minime conueniat. simul vero degere non licet, nisi iucundi sint, iisdémq; oblectentur. id quod habere sodalitia amicitia videtur. Ac mox quidem amicitia, sicut sæpius iam diximus, bonorum est. quod enim absolute bonum, & iucundum est, amabile est, atque eligibile: vnicuique vero, quod vnicuique est tale. bonum autem hono ob vtraque hæc. Cæterum dilectio affectui, amicitia habitui similis est. Dilectio enim nihilominus est erga inanimata, cum ei-

tione vero redamant: at electio ab habitu est: & bona volunt iis quos amant, illorum causa non ex affectu, sed ex habitu: & amantes amicum, quod sibiipsis bonum est, amant. bonus enim vir amicus effectus bonum ei fit, cui est amicus. vterque igitur & quod sibi bonum est, amat: & æqualem vicem voluntati & iucunditati refert. æqualitas enim amicitia dicitur. At hæc in bonorum amicitia maxime insunt. In austeris vero & senibus eo minus amicitia fit, quo sunt morosiores, minúsque consuetudinibus gaudent: hæc enim maxime videntur esse amica, amicitiæq; effectricia. atque iccirco iuuenes cito amici efficiuntur. senes non ita: quippe cum non fiant amici illis, quibus non oblectantur. Simili modo quoque austeri. sed hi beneuoli quidem inter se sunt, quia bona volunt, & ad indigentias subueniunt: amici tamen non admodum sunt, propterea quòd non simul diem traducunt, neque mutua consuetudine delectantur, quæ ad amicitiam pertinere maxime videntur.

In qua amicitia plures possint esse amici.

CAP. VI.

AT vero vt multis quispiam sit amicus amicitia perfecta, fieri non potest. quemadmodum neq; vt amore multorum simul aliquis capiatur. existimationi enim simile hoc est, quod autem est huiusmodi, ad vnum spectare natura consueuit. Multos vero eidem simul vehementer placere, non facile est: fortasse etiam neque bonum esse. opus præterea est & experimento capere, & consuetudine vti: id quod perquàm difficile est. Ob vtilitatem tamen & iucundita-

tem fieri potest, vt multis quis placeat multi enim tales sunt: & in breui tempore minutiones fiunt. Magisq; ex his ea similis est amicitiæ quæ ex iucunditate existit, cum eadem ab vtrisque exhibentur: & sese mutuo, vel videntur oblectantur: cuiusmodi iuuenum amicitiæ sunt magisque in his quod liberale est, conspicitur. Quæ vero est ob vtilitatem, vulgarium hominum est. Et beati vtilibus minime indigent, sed iucundis. volunt enim simul cum aliquibus viuere, & molestiam paruo tempore tolerare. Nam assidue sustineret nemo: quin ne bonum quidem ipsum, si molestum ipsi esset. iccirco amicos iucundos quærunt. forsasse vero oportet vt etiam bonos, cum tales ipsi sint: & sibi ipsis ité bona ita enim ipsis inerunt ea, quæ amicis inesse debent. At qui in potestatibus constituti sunt, multiplicitis amicis vti videntur: alij enim ipsis vtiles, alij iucundi sunt. vt autem vtraq; idem contingat, non admodum contingit: quippe cũ iucundos cum virtute, neque vtiles ad honesta res quærantised alios vrbanos voluptatis causa, alios idoneos ad agenda ea quæ mandata fuerint. hæc autem in eodem non admodum sunt probum quidem virum esse simul & iucundum & vtilem, dictum iam est. Sed ei qui excellit huiusmodi amicus fieri non solet, nisi etiam virtute excellatur: sin minus, non adæquatur ea rata portione superatus. Cæterum non adeo dum tales esse consueuerunt. Atque hæ quidem amicitiæ in æqualitate consistunt. eadem enim ab vtrisq; exhibentur, volúntque sibi mutuo alterum pro altero recompensant, vt voluptatem pro vtilitate. has autẽ minus esse amicitias minúsque permanere dictum iam est. Sed & ob

similitudinem & ob dissimilitudinẽ eiusdem & esse & non esse amicitiæ videntur. ex similitudine enim quam habent cum ea quæ est ex virtute, videntur amicitiæ: quippe cum altera iucunditatem, altera vtilitatem in se habeat, quæ vtraque illi etiam insunt: in eo vero quòd illa calumnia vacat, stabilissque est, hæc cito immutantur, aliisque multis differunt ex illius dissimilitudine amicitiæ non videntur.

De amicitia in supereminentia.
CAP. VII.

ALtera est amicitiæ species ex supereminentia: vt patri erga filium, & denique seniori erga iuniorem, & viro erga vxorem, & principi omni erga subditos. Sed hæ inter se etiam differunt. non enim eadem est parentibus erga liberos, & principibus erga subditos: verum neque patri erga filium, & filio erga patrem: neq; viro erga vxorem, & vxori erga virum. diuersa enim vnicuiq; horum virtus, diuersumq; opus est: diuersa item ea ob quæ amãt: diuersi igitur etiam amores, & amicitiæ erunt. atq; eadem quidem vtriq; ab altero neq; exhibentur, neque sunt requirenda: sed cum parentibus liberi ea tribuũt, quæ debentur iis qui genuerunt, & parentes filiis ea quæ filiis exhiberi debent. stabilis talium, ac bona amicitia est. In omnibus autem amicitiis, quæ per supereminentiam existunt, amor etiam proportione esse debet. vt meliorẽ amari magis, quàm amare, & vtiliorem, & aliorum vnumquenq; similiter. cùm enim pro dignitate amor extiterit: tunc quodammodo æqualitas fit, id quod esse amicitiæ videtur. At vero æquale in iustis & amicitia esse nõ similiter videtur.

nam in iustis primo est quod est pro dignitate secundo quod in quantitate estiun amicitia vero quod est in quantitate primo, secundo vero pro dignitate est. id autem perspicuum est, si multa virtutis & vitij, affluentiæ, aut alicuius alterius distantia fuerit:non enim amplius sunt amici.sed ne esse quidem se dignum putat. Hæc autem in Diis clarissime patet, qui plerimum omnibus bonis præstant.item in regibus:neque enim his plerique esse amicos se dignum dicunt,cum inferiores longe sint: neque optimi & sapientissimis,illi qui nihili sunt.In his tamen exacta præfinitio non est, quousque sint amici: multis enim ablatis adhuc manet.si vero longe separatus aliquis sit,vt Deus, non amplius manet.Vnde etiam in dubitationem venit:nunquid amici amicis maxima ex bonis velint, vt Deo esse:non enim amplius ipsis erunt amici:neque etiam erunt bona:amici enim bona sunt. Si igitur recte dictum est, amicum amico velle bona eius ipsius causa:eum ipsum qualiscunque esse manere oporteret: homini autem permanenti maxima bona adesse volet,& fortasse non omnia:sibi ipsi enim maxime bona vnusquisq; vult.

Amicitiam magis consistere in eo vt amet, quàm vt ametur.

CAP. VIII.

PLerique autem ob ambitionem amari magis videntur velle,quàm amare:vnde amatores adulatorum plerique sunt. adulator enim amicus est qui excellitur,aut se esse talem, magisque amare, quàm amari se simulat.amari autem & honorari, quod videlicet plerique appetunt, prope accedere inter se videntur.sed non per se tamen honorem eligere videntur,sed ex accidenti. gaudent enim plerique, cum ab iis, qui in potestate constituti sunt, honorantur,ob spem:quippe cùm si aliqua re indiguerint, eam ab ipsis consequuturos se esse existiment:atque ita honore quasi signo quodam beneficij accipiendi lætari consueuerint. Qui vero à probis virtutis & scientibus honorem affectant,ij propriã opinionem de se ipsis confirmare cupiunt:gaudentque quòd boni sint, eorum iudicio qui id dicunt, credentes, at amari per se gaudent, quo circa id melius esse,quàm honorari.& amicitia expetenda per se esse videretur. Sed in eo quòd amat aliquis magis, quàm in eo quòd amatur, consistere videtur. Argumento sunt matres,quæ amando gaudent.nonnullę enim filios suos educandos tradunt, amántque scientes, redamari non curant,si verum non potest:sed satis ipsis videtur,si liberos suos bene agentes inspiciant. amántque ipsos, etiam si ob ignorationem illi quæ matri debentur,tribuere nequeant.Cùm vero amicitia magis in amando consistat,& amatores amicorum laudentur:amare esse amicorũ virtus videtur.quare inter quos hoc pro dignitate fit,ij stabiles amici sunt: amicitiaq; eorum permanet.at hoc modo illi etiam qui inæquales sunt,amici maxime essent: eò quòd adæquari possunt. æqualitas vero & similitudo amicitia est.& præcipue ea quę est ex virtute similitudo. cum enim stabiles per se ipsi sint:etiam inter se mutuo permanent: & neque indigent prauis, neq; talia subministrant:sed vt ita dicam,etiam prohibent.bonorum siquidem est neque ipsos peccare,neque amicis permittere. Praui autem similitatem quidem nullam habent,neque enim

sibilipsi similes permanent. sed ad paruum tempus tamen amici fiunt, prauitate inter se mutuo oblectati. qui vero sunt vtiles, & iucundi, diutius durant: permanent enim quoad voluptates & vtilitates sibi mutuo exhibuerint. Ex contrario autem maxime videtur fieri amicitia, quæ ob vtilitatem existit. vt pauper diuiti, imperito sciens amicus fit. quod enim consequitur aliquis indigus, illud appetens aliud quid recompensat. Huc trahere etiam quispiam posset amatorem & amatum, pulchrum item & turpem. Vnde amatores ridiculi interdum videntur, dum sicut amant, ita se esse amandos censent. si simili modo sanè essent amabiles, fortasse decere ita deberent: cum nihil vero huiusmodi habeant, ridiculum est. Sed forsitan neque contrarium per se contrarium appetit, sed ex accidente. timedij autem appetitio est, quod bonum est. verbi causa, sicco bonum est non si humidus euadat, sed si ad medium perueniat. calido item & aliis, simili modo. Verum hæc cum paulo à proposito alieni ora sint, in præsentia omittendæ

De ciuili amicitia.

CAP. IX.

VIdetur autem, quemadmodum in principio dictum est, circa eadem, & in iisdem & amicitia esse, & ius. in omni enim societate esse quoddã ius videtur, & amicitiæ quoque. nauectores enim & commilitones tanquã amicos appellant: pari modo etiam qui in aliis societatibus versantur. quatenus autem inter se commercium habent, eatenus amicitia inter ipsos est: nam & ius, & prouerbium communes res amicorum esse inquit, recte sanè. in communitate siquidem amicitia est, fratribus autẽ & sodalibus communia omnia sunt: reliquis definita, atque aliquibus plura, quibusdam pauciora, quippe cum amicitiæ quoque aliæ magis sint, aliæ minus. Differunt autem & iura ipsa. non enim eadem sunt parentibus erga filios, & fratribus inter se: neque sodalibus eadem, & ciuibus, simili modo etiam in reliquis amicitiis, diuersæ igitur etiam iniuriæ ad vnumquemque horum sunt, incrementúmque accipiunt, quo magis erga amicos fiunt, vt pecuniis sodalem priuare grauius est, quàm ciuem, & non opem ferre fratri quàm alieno, patrem item percutere quàm quemlibet alium. Augeri etiam simul cũ amicitia ius ipsum natura consueuit: vtpote cũ iisdem consistant, & æqualiter pertingant. At vero societates omnes partibus ciuilis similes sunt. nam ob vtile aliquod conueniunt homines, aliquid que eorum comparantes quæ ad vitam pertinent: & ciuilis societas vtilitatis gratia videtur, & à principio constitisse, & perseuerare. id enim & legumlatores coniectant, & ius esse inquiunt, quod communiter conducit. Reliquæ igitur societates particulatim vtilitatẽ appetunt, exempli causa, nauigatores eam quæ ex nauigatione euenit, vel ad pecuniarum comparationem, vel tale aliquid spectantem: commilitones eam quæ ex bello acquiritur, siue pecuniam, siue victoriam, siue vrbem appetant, similiter quoque tribules, & curiales. Nonnullæ vero societates fieri ob voluptatem videntur, choreas scilicet sodalium, & contributorum: quæ sacrificij, & conuictus causa conficiũtur. Atque hæ quidem omnes sub ciuili cõstitutæ sunt, non enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim præsentem vtilitatem ciuilis appetit, sed ad omnem vitam spectat. Et qui sacrificia faciunt, circa eáque conuentus, honores Diis exhibentes & sibiipsis cum voluptate requiem comparant. prisca enim sacrificia & conuentus videntur post fructuum collectiones quasi primitiæ quædam fieri consueuisse. in his enim maxime temporibus ocio vacabant, omnes igitur societates partes esse ciuilis videntur, tales autem amicitiæ tales societates consequentur.

De speciebus ciuilitatis.

CAP. X.

Ciuilitatis vero tres species sunt, totidemq; transgressiones, quasi corruptiones quædam illarum. Ac ciuilitates quidem, regnum, & optimi potentia, & tertia quæ à censibus existit, quæ censipotentiam vocare accommodatum videtur, sed plerique rempublicam eam appellare consueuerunt, harum optima regnum, pessima censipotentia est. Ac regni quidem transgressio tyrannis est. ambo enim vnius imperio constant, plurimum tamen differunt. Tyrannus enim sua, rex subditorum vtilitatem spectat. non enim est rex nisi ex se ipse sufficiat, omnibúsque bonis excellat. at qui talis est, nulla re indiget, quocirca vtilitatem non sibi, sed subditis procurabit. nam qui eiusmodi non est, sortitus potius est, quàm rex. Tyrannis vero econtrario huic, suum ipsius bonum persequitur, clariúsque eam esse pessimam, manifestum est. id enim est pessimum quod optimo est contrarium. è regno autem in tyrannidem transitus fit. tyrannis enim principatus vnius prauitas est, & prauus rex, tyrannus euadit. Ex optimipotentia autem in paucipotentiam

Tyrannus suam, rex subditorum vtilitatem spectat.

tentiam fit mutatio, vitio principum qui præter dignitatem res ciuitatis distribuunt, & omnia, aut pleraque bona sibiipsis reseruant, & magistratus semper iisdem demandant, diuitias pluris facientes, vnde pauci atque iidem praui loco optimorum dominantur. Sed ex censipotentia in populi potentiam. hæ enim finitimæ inter se sunt. multitudinis enim & censipotentia esse consueuit, & æquales omnes qui in cēsu sunt. At populipotentia, quippe cum paulum Reipublicæ speciem trāsgrediatur, minime praua est. Ac respubliceæ quidem seu ciuilitates in hanc maxime modum immutātur. ita enim ad minimum & facillime transeunt. Quarum similitudines & quasi exempla sumere etiam in familiis quispiam posset. patris enim erga filios societas figuram regni habet quippe cum patri cura filiorum sit, vnde etiam Homerus Iouem patrem appellat. eò quòd regnum patemū imperium esse debet. At apud Persas patris Imperium tyrannicum est, qui vt seruis filiis suis vtūtur. Tyrannicum item est heri erga seruos. in eo enim id quod hero vtile est, agitur. Sed hoc esse rectum videtur. Persicum illud prauum, atq; erratum. eorum enim qui sunt diuersi, diuersa quoq; imperia sunt. Viri & vxoris optimatum potestati simile apparet, pro dignitate siquidem imperat vir, ac circa ea circa quæ virum decet quæ autem vxori conueniunt, ea illi attribuit. nam ti omnium dominus esse velit vir, in paucipotentiam delabitur. præter dignitatem enim id facit, & nō quatenus est melior. Interdum vero vxores quoque, quibus patrimonium omne obeigit, dominantur. vnde non ex virtute sed ex diuitiis & potentia, sicut in paucorum potentatu imperia

tia fiunt. Fratrum autem societas censipotentiæ similis est sunt enim æquales, nisi quatenus ætatibus distant, vnde si longe ætatibus diuersi sint, fraterna inter ipsos amicitia non amplius est. Populipotentia autem in iis maxime cohabitationibus apparet, quæ sine domino sunt. Ibi enim æquales omnes, in iis item, vbi cum princeps imbellis sit, potestatem agendi quidlibet vnusquisque habet.

De amicitia regia, paterna, familiari & fraterna.

CAP. XI.

IN vnaquaque autem ciuilitate eatenus amicitia apparet, quatenus & ius. Regi sanè erga subditos in beneficij supereminentia. bene facit enim iis qui sub regno suo sunt: siquidem bonus cùm sit, ipsorum curam habet, vt bene agant, nō secus atque ouium pastor, vnde Homerus Agamemnonem pastorem populorum dixit. Talis autem paterna etiam est, etsi magnitudine beneficiorum præstat. autor enim eius est quod videtur esse maximum, vt videlicet sint filij, eorúmq; educationis, & institutionis, id quod maioribus quoque attribuitur. Nam & pater filiorum, & maiores nepotum, & rex à se rectorum natura imperium obtinet. Atq; amicitiæ hæc iis supereminentia sunt, atque iccirco honorandi parentes, ac ius inter hos non idem est, sed pro dignitate, sic enim & amicitia. Viri item & vxoris eadem amicitia est, atque in optimi potentia constituta: quippe cum secundum virtutem & præstantiori amplius bonum sit, & vnicuique quod conuenit, ita quoq; etiam ius. At vero fratrum amicitia sodalitiæ est similis: æquales siquidem sunt & coætanei, atq; huiusmodi similium morum, similiúmque † affectuum plerúq; sunt. huic similis reipublicæ illius amicitia est, quæ ex censu constat: quippe cùm in ea æquales inter se esse ciues debeant, ac probi: per virosque, & ex æquo principatus fiat, simili modo amicitia. In transgressionibus autem sicut iuris, ita amicitiæ etiam parum admodum est, & minimum omnium in pessima, in tyrannide siquidem amicitiæ reperitur aut nihil, aut parum. in quibus enim principi & subdito commune est nihil, in iis neque amicitia est: quippe cùm neq; ius aliquod sit, sed tale quippiam, quod artifici erga instrumentum, animæ erga corpus, hero erga seruum: nam hæc vtilitatem ab iis consequuntur, qui ipsis vti consueuerunt. Sed erga inanimata neque amicitia vlla est, neque ius, neq; erga equum, aut bouem, neq; erga seruum, quatenus seruus est. nihil enim habent commune. nam sicut seruus animatum est instrumentum, ita instrumentum inanimatus seruus est, quocirca in eo quòd est seruus, erga ipsum amicitia non est: in eo quòd homo, est: quippe cum vnicuique homini ius quoddam esse videatur erga vnumquemque, qui cum ipso legis, ac fœderis esse particeps potest, & amicitia igitur erit, quatenus homo est. Atque in tyrannidibus quidem & amicitiæ, & iuris parum admodum est, in populi administrationibus plurimum. cùm enim sint æquales, multa inter se habent communia.

† *al. dissimilium.*

De amicitia sodalitia, & filiali.

CAP. XII.

IN cōmunione igitur & societate omnis amicitia consistit, sicut dictum est, cōsanguineam tamen & sodalitiam segregaret quispiam nam

ciui

ciuiles,& tribules,& nauticæ,& quæ sunt huiusmodi, socialibus magis similes sunt. esse enim quasi ex pactione quadam videntur, inter hæc vero ali quis etiam hospitalitiã reponeret. Consanguinea autem esse multiformis videtur,& tota ex paterna dependere. parentes enim amant liberos, quasi ex se quiddam sint: liberi autem parentes, quasi ex illis quippiam sint. magisque sciunt parentes qui ex se orti sint liberi, quàm nati ex illis se esse genitos, maiorem item id à quo aliquid est, cum genito habet necessitudinis connexionem: quàm quod factum est, eum eo qui fecit. proptiũ enim ei à quo oritur quippiam, est id quod ex ipso oritur: vt deus, vt cuipillus. & quodlibet ei qui id habet, illorum aut nulli id à quo oritur, vel minus. accedit etiã longinquitas temporis, hi siquidem liberos statim vbi nati sunt, amant: illi progressu temporis parentes, vbi intelligentiã, aut sensum adepti sunt. Atque hinc cur matres magis diligant, etiã patet. Parentes igitur filios vt seipsos amant. quod enim ex ipsis oriũtur, sunt quasi alteri ipsi, dum separati sunt, filii autem parẽtes, vt ab illis producti. At fratres se mutuo diligunt ex eo, quod ex iisdem nati sunt. eadem enim quàm cum illis habent, natura ipsos inter se esse idem fere vnde inquiunt eundem sanguinem, eandemque radicem, atque huiusmodi, sunt itaque idẽ quodammodo etiam in distinctis. Multum etiam ad amicitiam facit & coeducatio,& ætas. æqualem enim æqualis delectat. & consuetudines sodales sunt, vnde fraterna hæc amicitia dalitia est persimilis. Patrueles item,& reliqui cognati ex his coniunctionem habent, eò quòd videlicet ab iisdem sunt: sùntque alij propin-

quiores, alij alieniores, quòd vel proprius, vel longius autor generis absit. Estque amicitia filiis erga parentes,& hominibus erga Deos tanquã erga bonum quoddam, atque excellens. beneficia enim maxima contulere, quippe cum sint incausa vt & sint,& enutriti atq; educati fuerint, postquam in lucem venerunt, habẽtque huiusmodi amicitia iucunditatem atque vtilitatẽ eo magis quàm alienæ, quo etiam communior vita inter ipsos est. Sunt item in fraterna, ea quę in sodalitia,& magis inter probos, & omnino similes: quo coniunctiores etiam ab ortu se mutuo diligunt, quoque moribus sunt similiores, qui ex iisdem nati sunt, simúlque nutriti, atque instituti similiter. Temporis præterea comprobatio plurima, ac firmissima est. Atque in cæteris cognatis ita amicitiæ ratio pro portione seruatur. Viro item & vxori amicitia esse naturalis videtur. homo enim coniugale magis, quàm ciuile animal est: quanto prior magísque necessaria est familia quàm ciuitas,& filiorum quoque procreatio animalibus communior. Sed aliis quidem animalibus eatenus communicatio est: at homines non sobolis procreandæ tantummodo, sed rerum etiam quæ ad vitam spectant, comparãdarum causa cohabitant. officia enim continuo diuisa inter ipsos sunt, alia viri,& alia vxoris. sibique mutuo opitulantur, quæ propria sunt, in commune constituentes, atque ob id & vtilitas & iucunditas esse in hac amicitia videtur. esse etiam posset ob virtutem. si probi essent: est siquidem virtusque virtus: atque ciusmodi re laudarent. Vinculum autem ipsorum esse filij videntur, vnde citius qui liberis carent, dissolui consueuerunt, quippe cùm filij commune bonũ

ambobus sit, quod autem commune est, constat. At vero cùm quæritur quomodo viro cum vxore sit conuiuendum, & demum amico cùm amico, nihil aliud quæri videtur, quàm quo pacto ius est. neque enim amico erga amicũ, nec erga alienum, & sodalem, & condiscipulũ idem ius esse constat.

De duplici iure, & de compensanda amicitia.

CAP. XIII.

CVm tres sint amicitiæ, quemadmodum in principio dictum est, & in vnaquaque alij in æqualitate, alij in excellentia sint amici: similiter enim boni sunt amici, & melior peiori: similiter etiam iucundi, & ob vtilitatem, vel æquales in adiumentis exhibendis, vel differentes: eos qui in æqualitate consistunt, & amando & reliquis adæquari oportet: eos vero qui sunt inæquales, reddere quod proportione superemínétiæ requiritur. Expostulationes autem & querelæ in ea amicitia fieri consueuerunt, quæ ex vtilitate est, vel sola, vel maxime: atque id non iniuria. qui enim ob virtutem amici sunt, ad beneficia sibi mutuo conferenda sunt prompti, quod virtutis & amicitiæ proprium est. eorum vero qui in hoc certant, expostulationes nullæ, neque pugnæ esse possunt: quippe cùm erga eum qui amat & benefecit, indignetur nemo, sed si gratus sit, beneficiendo etiam ipse respondeat: quique beneficiendo exuperat, cùm consequatur id quod cupit, accusare nullo modo amicum possit. omnes vterque bonum appetit. Neque in iis admodum quæ ex voluptate consistunt, contingere accusatio consuevit. simul enim vtrisque id fit quod cupiunt, cupiunt, si conuictu mutuo oblectantur. ridiculus enim videretur, qui non oblectantem accusaret, cum liceat non simul degere. At ea est expostulatrix amicitia quæ ex vtilitate contrahitur. nam cùm ob commodum proprium mutua consuetudine vtantur, pluris semper indigent, minúsque se habere existimant, quàm consequi: accusántque quòd quantum indigent, tantum etiam non consequuntur, cùm digni sint. qui vero beneficiunt, tantum exhibere nequeunt, quantum indigent illi qui accipiunt. Videtur autem sicut iur est duplex, alterum non scriptum, alterum legitimum: sic amicitia, quæ ex vtilitate sit, moralis altera esse, altera legitima. querelæ igitur tunc præcipue oriuntur, cum non ex eadem contractus fiunt ac dissolutio. Ac legitima quidem in conditis consistit, altera omnino vulgaris è manu in manum liberalior altera in tempus, ex pacto tamen quid pro quo reddendum sit, in qua manifestum quidem est & non ambiguum quod debetur: sed amica dilatio conceditur, vnde inter nonnullos ex his iudicia minime fiunt, sed acquiescendum putant, cum fide inter se contraxerint. sed moralis non in conditis versatur, sed tanquam amico donat, aut quodcunque aliud alteri exhibet: deinde aut æquale aut amplius sibi esse recipiendum censet, quasi non dederit, sed mutuarit, cùm autem non sicut contraxit, etiam dissoluat: alterum accusabit, hoc vero contingit, propterea quòd volunt quidem honesta omnes, aut plerique, sed vtilia tamen eligunt, honestum enim est beneficium conferre, non vt vicissim recipiamus, vtile autem beneficio affici est. Siquis igitur potest, retribuere debet

dignas gratias iis quæ accepit, atque id sponte. Inuitus enim amicus faciendus non est: igitur eò quòd aberrauerit in principio, ab eõque acceperit beneficium, à quo non oportebat. Non enim ab amico accepit, atque eo qui proponebat ipsum id facere: perinde ac si ex conditione beneficio affectus sit, ita dissoluendum. Perfidiosus siquidem qui potest, se esse redditurum: & cum qui non potest, neque ille qui dedit, dignum censuisset qui acciperet, quare si potest, reddendum est, in principio autem est considerandum, à quo & qua conditione beneficio afficiatur quispiam, vt his acquiescat, vel minime. Dubitationem autem hæc res habet, vtrum vtilitate eius qui accepit, an beneficio eius qui contulit, metiendum sit id quod retribuere debemus. qui enim acceperunt, exenuantes rem talia se accepisse à benemeritis dicunt, quæ scilicet illis parua erant, ita ipsi accipere ab aliis postulantibus vero contra, quæ maxima erant apud se, & ab aliis non licebat, & in periculis, ac necessitatibus huiusmodi se dedisse aiunt, numquid igitur quia ob vtilitatem est amicitia eius qui beneficio est affectus vtilitas mensura est: hic enim est is qui indiget: & ille huic opitulatur, quasi æquam gratiam recepturus. tanta igitur fuit opitulatio, quantum adiutus est vnde tantum est illi reddendum, quantum consequutus vel etiam amplius, id quod honestius est. In amicitiis autem quæ ex virtute existunt, criminationes nullæ sunt, sed eius electio qui beneficium contulit, mensuræ similis est. quippe cum virtutis, ac morum præcipua vis in electione consistat.

De que-

De querelis in amicitia per supereminentiam, & de abdicatione.

CAP. XIIII.

IN illis vero quæ ex supereminétia fiunt, dissensiones quoq; accidere consueuerit. vterq; enim plus sibi esse habendum censet, quod quãdo fit, amicitia dissoluitur. nam qui melior est, conuenire sibi existimat, vt plus habeat. bono enim amplius esse tribuendum. similiter etiam qui est vtilior: inutilem enim aiunt non oportere æqualem partem habere: alioqui ministrationem futuram non amicitiam, nisi pro dignitate operum fiant ea, quæ in amicitia aguntur, putant. siquidem sicut in pecuniarum communicatione plura accipiunt, qui plura contulerunt: ita in amicitia quoque esse faciendam. At indigus & pejor econtrario: boni enim amici esse opem ferre indigentibus. quid enim iuuabit, prodest, si probo viro aut potenti quispiam sit amicus, si nullam vtilitatem ex eo sit consequuturus? videtur autem vterq; recte censere, oportétque vtrique ex amicitia amplius quidem tribui, non eiusdem tamen rei amplius: sed ei qui excellit, honoris: ei qui indiget, lucri. virtutis enim & beneficij præmium honor, indigentiæ subsidium lucrum est. Hoc ita se habere in rebus publicis apparet. non enim honore afficitur, qui nullum bonum reip. affert: quippe cum id quod publicum est, ei detur, qui de republica bene meretur, publicum autem quoddam est honor. nõ enim fieri potest, vt & lucretur quispiam ex republica, & honoretur: cùm in omnibus minus habere sustineat nemo. ei igitur qui in pecuniis est inferior, honorem: ei qui

munera non accepit, pecunias tribuunt, quod
evim pro dignitate fit, amicitiam, sicut dictum
est, & adæquat, & conseruat. Ita igitur etiam ei
inæqualibus versandum est. ab eo, qui aut in
pecuniis aut in virtute est adiutus, retribuendus
honor est: atq; id, quatenus facultas ipsius fert.
quod enim fieri potest, non quod pro dignitate
fit, amicitia exigit. Neque enim quod pro di-
gnitate fit, in omnibus est: sicut in honoribus
qui Diis, aut parentibus exhibentur: nemo enim
referre his dignam gratiam posset: sed qui pro
viribus colit, is esse probus videtur. Atq; ideo
non licere filio patrem abdicare, patri autem
filium licere videretur. reddere enim oportere
eum qui debet. at quicquid fecerit filius, nullum
dignum collatis beneficiis fecit. quare semper
debet. quibus autem debetur, iis dimittendi
facultas: igitur patri quoque erit. Adde quod
nemo fortasse vnquam abscessurus ab eo vide-
retur, nisi prauitate exuperaret. nam præter na-
turalem amicitiam subsidium non detrectare
humanum est, ei vero fugiendum est, aut mo
studendum opem ferre, si sit prauus. be-
neficio enim affici volunt plerique,
facere autem vt inutile fuge-
re consueuerunt. Ac de
his quidem hacte-
nus dictum
sit.

ARIST

ARISTOTELIS MORALIVM NICOMACHIORVM

LIBER NONVS.

SVMMÆ LIBRI.

De amicitiæ conseruatione, ac ipsius operibus. De benevolentia, & cordia, beneficentia, amore sui. De amicis fictis, amicorum numero, in qua fortuna sint habendi, & ipsorum præcipuo munere.

Qua conseruent amicitiam.

CAP. I.

IN omnibus amicitiis, quæ dissimiles specie sunt, id quod proportione respondet, sicut dictum est, amicitiam conseruat. quemadmodum & in ciuili, sutori pro calceis pro dignitate commutatio fit; textori item, & reliquis. Atque hic communis mensura nummus comparatus est, ad quem omnia referuntur, quòq; mensurantur omnia. In amatoria autem amator interdum criminatur, quòd cùm supra modum amet, non redametur, cùm nihil ipse, si ita inciderit, amabile in se habeat: sæpe item amatus, quòd cùm ille prius promiserit omnia,

nihil postea præstet. Huiusmodi autem querimoniæ contingunt, cùm alter voluptatis causâ amatum amat, alter amatorem ob vtilitatem: & hæc ambobus non adsunt. nam cùm horum causa amicitia cõstet, cum ea non fiunt ob quæ amabãt, amicitiæ dissolutio efficitur. non enim se mutuo amabant: sed ea quæ vtrisq; aderant, quæ stabilia non sunt, quocirca huiusmodi etiã sunt amicitiæ. At morum amicitia per se cõstat, permanet, sicut dictum est. Dissentiunt aut etiam cum alia fiunt ipsis, & non ea quæ appetunt. perinde enim est ac si nihil fiat, cùm id non consequantur quispiam quod cupit. quemadmodum citharœdo ille qui quãto melius caneret, tanto plura pollicitus fuerat: cùm repeteret mane quod fuerat ipsi promissum, voluptatem pro voluptate reddidisse se dixit. si igitur vterque id volebat, satis habuisset finis: alter oblectationem, alter lucrum, & ille habet, hic minime mendacio. id quod ad societatem spectat, inter hos etiã quibus enim indiget quispiam, iis & studet, atque illius causa † hæc dabit. Sed dignitatem rei statuere vtrius est? eiusne qui prius contulit, an eius qui prius accepit? ille enim qui consentire videtur permittere. id quod aiunt etiam Protagoram facere consueuisse, cùm enim qualiscunque docuisset: ei qui didicerat iubebat æstimare, quanti videretur esse digna ea quæ scirebat. & tantum accipiebat. in talibus autem † satis est nonnullis illud: Ast homini merces. At qui cùm pecuniam præceperint, nihil postea faciunt ex iis quæ dixerunt. ob nimios promissionum excessus merito in accusationes incidunt. non enim præstant ea, quæ pepigerunt. Atque hoc fortasse sophistæ cogantur facere propterea quòd nemo eis daret argẽtum ob ea quæ sciunt. hi igitur cùm non faciant ea, ob quæ mercedem acceperunt, merito accusantur. Vbi vero nulla submin istrationis pactio fit illos qui per se prius dant, absq; crimine vllo esse dictum est. eiusmodi enim amicitia est, quæ ex vtilitate conflatur. retributióq; est ex electione faciendã. ea enim amici, & virtutis est. Ita etiam conuenit iis qui philosophiæ causa inter se habent societatem. non enim pecuniis dignitas æstimatur: neque honor æquiparabilis exhiberi possit. fortasse satis est, sicut etiã erga Deos, & parentes, id quod fieri potest. Quòd si datio eiusmodi non fuerit, sed ob aliquod maxime quidem fortasse ea facienda est retributio, quæ vtrisque pro dignitate esse videatur: sin id non contingit, non modo necessarium videbitur, vt is qui prius habet, ipse statuat, verum etiam iustum: quantam enim is vtilitatem consequutus fuerit, aut pro quanto voluptatem elegerit, si tantum ille receperit: dignam remunerationẽ habebit. nam etiam in venalibus rebus ita fieri apparet. Quibusdam etiam in locis leges sunt, ne de voluntariis commerciis iudicia fiant: eò quòd oporteat cum eo cui credidit, ita dissolvere, quemadmodum societatem iniit. Iustius enim esse putat, vt cui permissum est, is statuat, quam qui permisit. Nam plerunque non æqui æstimant qui habent, & qui habere volunt. sua enim singulis & quæ dant, digna multo precio videntur, sed retributio tamen tanta fit, quantam statuerint illi qui acceperunt. Oportet autem fortasse non tanti æstimare, quanti apparet alicui cum habet: sed quanti æstimabat, antequam haberet.

† a. l. cadit dat.

† a. l. placet

Nota philosophiæ dignitatem.

Singula pro dignitate beneficia esse rependenda.

CAP. II.

AT vero huiusmodi res dubitationem admittunt, vtrum videlicet patri omnia tribuenda sint, & parendum in omnibus: an ægrotant debeat medico obtemperare? & qui eligit imperatorem, bellicæ rei peritum hominem eligere. Simili modo amicone magis, an probo viro inseruiendum? & bene merito reddendane magis gratia sit, quàm sodali dandum, si vtrique non liceat? Nunquid autem omnia huiusmodi exactè definire facile non est? multas enim ob omnigenas & magnitudine & paruitate, & honestate, & necessitate habent differentias. Illud tamen obscurum non est non omnia eidem esse reddenda. Et beneficia retribuenda, vt plurimum magis sunt, quàm sodali inseruiendum: & sicut mutuum cui debet quispiam, restituendum magis, quàm sodali dandum. Sed fortasse neq; hoc semper: vt si quis redemptus à latronibus fuerit, vtrum is viri illius redimere eum debet, qui liberarit, quicunq; ille sit, an non capto quidem, sed repetendi reddere, an patrem redimere? redimere enim patrem magis etiam quàm seipsum debere videretur. Quod igitur dictum est, in vniuersum debitum est reddendum: sed si datæ honestate, aut necessitate superexcedat, ad hæc est declinandum. Interdum enim neque æquum est, vt quod prius alter contulit beneficium, rependamus: cùm ille probum virum esse sciens benefeceritab hoc vero fiat retributio ei qui pranum esse existimat. nam neque ei, qui mutuatus est, remutuandum est, ille enim cùm putaret se recepturum esse, probo viro mutuatus

hic autem à prauo recepturum se quippiam nõ sperat. sine igitur se vera ira res se habet, æqualis dignitas minime est. sive non ita quidem est, sed opinantur, non absurde facere videntur. Veruntamen id quod sæpe dictum à nobis est, disputationes de affectibus & actionibus ita definitæ ac certæ sunt, sicut ea, circa quæ versantur. Non omnia igitur omnibus esse retribuenda, neque patri omnia: quemadmodum neque Ioui omnia sacrificatur: obscurum minime est. quia vero aliâ parentibus, & fratribus, & sodalibus, & benemeritis reddenda sunt: singulis propria & accommodata sunt attribuenda. Ira vero etiam facere videntur, ad nuptias enim cognatos inuitant: his enim commune genus est. atque iccirco actiones quoque quæ circa id sunt, communes sunt ob eandem causam quoque ad sponsalia conuenire debere cognatos maxime existimant. Parentibus autem alimenta præcipue suppeditanda esse videntur, vtpote cùm debeamus: cùmque illis qui in causa fuere, vt sumus, honestius sit, quàm nobis ipsis in suis opem ferre. honor quoq; parentibus quemadmodum Diis, exhibendus est: non omnis tamen parentibus. neque enim idem patri & matri: neque is qui conuenit sapienti, aut duci, sed paternus: & simili modo maternus. Omni item seniori honor pro ætate reddendus est, assurgendo, & sessione cedendo, atque huiusmodi cæteris. sodalibus autem & fratribus loquutio libera, omniúmque communitas exhibenda est. Cognatis itaque & tribulibus & ciuibus, & reliquis omnibus enitendum est, vt semper quod accommodatũ est, tribuamus, quæque vnicuique insunt quantum ad coniunctionem,

& vitæ

& viuere amicum ipsius causa. id quod matres erga filios faciunt: & amici, inter quos offensio aliqua incidit. Alij eum qui simul degit, & eadem eligit: aut qui condolet & congaudet cum amico. maxime vero etiam hoc maribus contingit. At aliquo ex his amicitiam quoq; deliniunt, quorum vnumquodque probo viro erga seipsum inest: exteris vero, quatenus tale se esse existimant. Videtur enim, quemadmodum dictum est, virtus, & probus vir vnicuiq; esse mensura. is enim secum consentit, & eadem tota anima appetit. Et vult etiam sibi ipsi bona, & quæ apparent, atque agit, boni enim est sui quoque causa bonum elaborare: intellectiuæ siquidem partis gratia, quæ esse vnusquisque nostrum videtur. Vult quoque viuere se, & saluum esse, & maxime id, quo sapit. Probo enim viro esse bonum est. Vnusquisque autem sibi ipsi vult bona effectus vero alius illud quod euasit, omnia habere eligit nemo. habet enim etiam nunc Deus bonum, sed cùm sit ipse id quodcunque est. Vnusquisque vero id quod intelligit, esse videtur, vel præcipue, quicq; est huiusmodi, secum degere vult. iucunde enim id facit: quippe cum & factorum obtestabiles recordationes, & futurorum spes bonæ sint: tales autem sint iucundæ. Contemplationibus præterea abundat cogitationes: condolétque & collætatur secum maxime idem prorsus, & molestum est, & iucundum, & non aliàs aliud. pœnitentia siquidem vacat, vt ita dicam. Eo quòd igitur probo viro erga seipsum vnumquodq; horum ineſt, ſic erga amicum, perinde atq; erga seipsum sese gerit: est enim amicus alter ipse: amicitia quoque esse horum aliquid videtur, & amici illi quibus

Amicus est alter ipse.

hæc insunt. Nam virum erga seipsum amicitia sit, necne, in præsentia omittamus. videretur autem eatenus esse amicitia, quatenus † est duo vel plura ex iis quæ dicta sunt: & quia excessus amicitiæ similis est ei quæ erga seipsum est. At antedicta ineſſe videntur etiam plerisq; quamuis prauis sint. nunquid tamen quatenus sibi placent, probósque se esse existimant, eatenus partici pes eorum sunt. Nam ex iis qui vehementer sunt prauis & facinorosi, nemini hæc insunt: quin ne videntur quidem. ferè autem neque prauis. dissentiunt enim inter se, dum alia cupiunt, alia volunt. vt incontinentes, qui loco eorum quæ sibi esse bona videntur, iucunda quidem eligunt, sed noxia. alij autem ob ignauiam & segnitiem ab agendis iis desistunt, quæ sibi esse optima existimant. At qui multa & grauia scelera perpetrarunt: & ob prauitatem odio habentur, & vitam fugiunt, seque ipsos interficiunt. Ac quæruntquidem improbi huiusmodi alios, quibus cum diem traducant, & sese ipsos fugiunt: propterea quòd quando secum sunt, multorum & grauium scelerum recordantur, atque alia huiusmodi sperant, quorum quando cum aliis versantur, obliuiscuntur: cùmque nihil in se amabile habeant, amice erga seipsos nullo modo afficiuntur. Neque igitur collætantur, neque condolent huiusmodi hominesecum. seditione enim animi secum agi tantur. pars enim vna ob prauitatem dolet, cùm aliquibus abstinet, altera lætatur, & quasi distrahentes illa huc, hæc illuc trahit. & licet fieri nequeat vt simul doleat & lætetur quispiam, sed paulo post tamen dolet, quia lætatus est: mollétque ex sibi iucunda exticisse. pœnitentia enim

† *a.l.nõ am plus duo sunt eadem*

prau

praui pleni sunt. Prauus ergo cùm nihil in se habeat amabile: neque erga seipsum amice est affectus videtur. Quòd si ita se habere valde miserum est, enixe fugienda prauitas est, dandaque opera vt nequiquam, vt probus euadat: sic enim fiet vt & erga seipsum amice esse affectus, & alterum esse amicus possit.

De benevolentia.

CAP. V.

IAm vero benevolentia est quidem similis amicitiæ, amicitiæ tamen non est: quippe cum benevolentia erga ignotos quoq;, & latens esse possit: amicitia non possit. Et prius etiam dicta hæc sunt. Sed neq; amatio est: neq; enim intentionem, neq. appetitionem, habet quæ amationem consequuntur. atq; amatio quidé cum consuetudine benevolentia de recenti etiam fit. Id quod etiam erga certatores cõtingit. benevoli siquidem eis fiunt, simúlq; cum eis voluntatibus tamen cooperarentur, sicut enim diximus, de recenti benevoli fiunt, & leuiter diligunt. Videtur igitur principium amicitiæ esse, non secus atq; amoris ea voluptas quæ ex aspectu percipitur. nemo enim amore capitur, nisi prius specie fuerit oblectatus. qui vero forma oblectatur, nihilo magis amore capitur: sed cùm & absentem desiderat, & præsentes cupit. Ita vero etiam amici esse non possunt, nisi benevoli prius fuerint, benevoli autem nihilo magis diligunt. volunt enim tantum bona iis quibus sunt benevoli, nihil tamen cooperarentur, nullámq; pro ipsis molestiam susciperent. Quocirca translatione vtens aliquis esse ipsam † principiũ amicitiæ diceret: quæ cùm inueterata fuerit, & in consue-

† *a. l. ociosam amicitiam.*

consuetudinem deuenerit, amicitia euadat: non ea quidem quæ ex vtilitate, aut voluptate consiliatur neq; enim ob hæc benevolentia existit. Nam qui beneficio est affectus, pro iis quæ accepit, benevolentiam retribuit, iuste se gerens. Qui vero aliquem prospere agere vult spe vtilitatis consequendæ ex ea re: non illi, sed sibi potius benevolus est: quemadmodum neque amicus, si commodi alicuius causa illi obsequitur. Omnino autem benevolentia ob virtutem & probitatem quandam existit, cùm pulcher aliquis, aut fortis, aut tale aliquid visus cuipiam fuerit, sicut de certatoribus iam diximus.

De concordia.

CAP. VI.

COncordia præterea spectare quoq; ad amicitiam videtur: vnde opinionis consensio minime est: hoc enim iis etiam qui mutuo sese ignorant, posset inesse. neque eos qui qualibet de re consentiunt, concordes esse inquiũt: verbi causa, si de cœlestibus consentiant: concordes enim de his esse ad amicitiam non attinet. sed ciuitates concordes esse dicunt, cùm de illis quę conferunt, consentiunt, & eadé eligunt, agúntq; ea quæ publice visa fuerint. Circa agenda igitur concordes sunt, atque ea quæ in magnitudine consistunt, & vtrisque, vel omnibus inesse possunt, vt ciuitates cum omnibus visum fuerit magistratus electione esse creandos: vel ineundam cum Lacedæmoniis societatem: vel regnare Pittacum, quando etiã ipse voluerit. At cum vterq; seipsum vult, vt in Phœnissis, in seditione sunt. Concordes autem esse non est, si idem vterque animo concipit, quodcunq; illud sit: sed si quod

in eodem est. vt cùm & populus & probi vbi optimos regnare consentiunt. ita enim omnibus contingit id quod appetunt. Concordia vero ciuilis esse amicitia videtur: quemadmodum etiam dicitur, circa conducentia enim versatur, atque ea quæ ad vitam attinent. estq; huiusmodi concordia inter probos viros: hi enim & secum, & inter se sunt concordes, cùm in idem, vt ita dicam, sint. huiusmodi siquidem hominum voluntates permanent, neq; transfluunt, sicut Euripus: volúntque ea quæ & iusta sunt, & conducunt: atque hæc communiter appetunt. At vt praui concordes sint, nisi parumper, sicut etiam vt sint amici, fieri non potest: cùm in vtilibus rebus ampliorem partem apperant: in laboribus contra & ministrationibus deficiant. cùm enim vnusquisque sibi hæc velit, alterum ad examen reuocat, & prohibet. nam quod commune est, perit, cùm ab his non seruetur: atque inde euenit, vt cùm alij necessitatem inferant, ipsi vero quæ iusta sunt facere nolint: seditione agitentur.

De beneficentia.

CAP. VII.

AT vero benefici amare magis videntur eos quos beneficiis affecerunt, quàm affecti illos à quibus acceperunt. id quod quasi ratione dissentaneum quæri consuevit. Plerisq; igitur id contingere propterea videtur, quia hi debent, illis debetur. sicut ergo in mutuis illi qui debent, eos non esse, volunt quibus debent: qui vero mutuarunt de salute debitorum curam etiam habent: sic & eos aiunt qui beneficia contulerunt, vtpote gratias recepturos, velle illos esse quibus contulerunt: illis autem non esse curæ, vt quippiam retribuant. Atq; Epicharmus quidem fortasse diceret ipsos hæc ex prauo spectantes dicere. Sed esse hæc humana res videtur. immemores enim sunt plerique, magisq; beneficium accipere quàm conferre appetunt. Videretur autem huiusce rei magis naturalis causa esse, neq; similis ei quæ de mutuantibus relata est. non enim est dilectio circa illos, sed voluntas vt salui sint, recipiendi causa. at qui beneficium contulerunt eos qui acceperunt, diligunt, atque amant, etiam si nulla in re ipsis vtiles vel in præsentia sint, vel in posterum sint futuri. Id quod etiam in artificibus contingit: vnusquisque enim opus proprium magis amat, quàm ab opere amaretur, si animatum fieret. Maxime vero fortasse circa poëtas idem euenit, qui poëmata propria perinde ac filios supra modum amant. Huic rei simile est, quod ad bene merentios attinet. nam beneficio affectus opus ipsorum est: id igitur amant magis, quàm opus eum qui effecit. Huiusce rei illud in causa est, quòd esse est expetibile, atque amabile omnibus sumus autem operatione & actu: viuendo enim atque agendo sumus. qui fecit igitur, operatione opus ipsum quodammodo est. quocirca amat opus, propterea quòd esse appetit. at hoc naturale est. quod enim potestate est, id operatione opus ipsum indicat. Adde quòd ei qui beneficium contulit, honestum illud est quod actione est perfectum: quare gaudet eo in quo illud est. qui vero affectus est, nihil honesti habet in illo qui affecit. sed si modo quicquam habet, id est quod conducit. at id minus iucundum, atq; amabile est. Præsentis siquidem operatio, futuri

Vide idem supra lib. 4. cap. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

spes, facti memoria iucunda est. at iucundissimum est quod operatione consistit, atq; amabile simili modo. ei igitur qui affecit, opus permanet: honestum enim est diuturnum. ei vero qui est affectus, præterit vtilitas. Ac memoria quidem honestarum rerum iucunda est: vtilium non admodum, vel minus. expectatio vero vtilia habere contrario modo videtur. Atque amare fanè effectionis: amari affectioni simile est. amare igitur, atque ea quæ ad amicitiam pertinent eos consequuntur, qui in actione excellunt. Propterea omnes ea, quæ laboriosè facta sunt, magis amant: vt qui pecunias acquisiuerunt, magis quàm qui ab aliis acceperunt. at beneficio affici labore vacare: benefacere laboriosum videtur. Propterea etiam matres liberorum sunt amatiores: laboriosior siquidem generatio est, magisque suos esse filios sciunt. id autem beneficium quoque esse proprium videtur.

Matres liberorum sunt amantiores.

De amore sui.

CAP. VIII.

An tenim dubitatur, vtrum amare seipsum maxime, an aliquem alium oporteat, arguuntque enim eos qui seipsos maxime amant, & quasi in dedecus sui amatores appellant. videturque prauus sui causa omnia agere, ac tanto magis, quanto improbior fuerit, vni de ipsis crimini dant, quòd ab seipso nihil agat. Probus autem ob honestatem: atque id eo magis, quo melior est: amicisque causa: sui autem causa agere omittit. Ab orationibus tamen his opera ipsa discrepant: atque id non absurde. dicunt enim eum maxime amandum esse, qui maxime sit amicus: maxime vero est amicus, qui vult bona ei cui maxime vult, illius causa, etiam si id scitutus sit nemo. at hæc vnicuiq; erga seipsum, & cætera etiam omnia quibus amicus definitur, maxime insunt. dictum siquidé est omnia quæ ad amicitiam attinent, à seipso ad alios quoque deuenire. prouerbia item omnia consentiunt, vt Vna anima: &, Cómunia omnia amicorum: &, Æqualitas amicitia: &, Tibiæ genu æpinquius. omnia enim hæc vnicuiq; erga seipsum maxime insunt: quippe cùm amicus maxime sibi ipsi sit. Amare igitur etiam seipsum maxime oportet. Cùm igitur vtriq; probabilitatem afferant, non iniuria in dubium venit, vtros sequi magis deberemus. Quocirca fortasse huiusmodi orationes quorsum vtræq; & quatenus veræ sint, diuidendum est ac distinguendum. Si itaq. statuerimus quo pacto vtriq; sui amatorem appellant, forsitan hoc constabit. Qui igitur hoc in opprobrium inducunt, eos sui amatores vocãt, qui sibi in pecuniis honoribus, & voluptatibus corporis amplius vendicant. pleriq; enim hæc appetunt: hisq;, perinde atq; optima sint, omni studio incumbunt. vnde etiam decertabiles res ipsæ euasérunt. Qui ergo in his plus sibi vsurpãt, cupiditatibus, atq; omnino affectibus, irrationalibq; animæ partibus obtemperant. huiusmodi autem pleriq; è vulgo sunt. atque iccirco à pleriſq; qui pessimi sunt, imposita appellatio est. Merito igitur his qui ita sui sunt amatores, opprobrio dabitur. Eos autem qui huiusmodi res sibi attribuũt, fugere à pleriſque sui amatores vocari dubium non est. nam siquis semper vel iusta agere, vel temperantia, vel qualiacunq; alia ex virtute maxime omnium agere studeat, sempérq; quod honestum est, sibi vendicet: eum sui amatorem ap-

Proverbia in amicitia.

pellabit nemo, neque vituperabit. quanquam is magis esse sui amator videretur: cùm ea quæ maxime & honesta, & bona sint, sibi attribuat, suíque præstantissimæ parti obsequatur, et que omnibus obtemperet. Sicut autē & ciuitas cui maxime id videtur quod in ipsa præstantissimum est, & omnis alia cōgregatio: ita & homo. & sui amator igitur est, qui id amat, et q obsequitur, continens item & incontinens ex eo dicitur, quòd mens contineat reliqua & vincat aut minime: quasi id vnusquisq. sit videlicet egisse ipsi, & sponte, ea quæ cum ratione maxime egerunt. Id igitur præcipue esse vnumquemq probissimque virum præcipue id amare, obsequi rum non est. vnde etiam sui amator maxime esset, diuersa quidem specie ab eo qui vituperatur: qui sanè tanto differt, quanto vita cum ratione illi præstat quæ ex perturbatione traducitur. & appetitio vel honesti, vel eius quod conferre videatur. Eos itaque qui circa honestas actiones præcipue student, omnes admittunt et laudant. si omnes autem ad honesta conseque da certarent, honestissimáque agere conarentur & publice omnibus opportuna, & priuatim singulis maxima bona euenirent. si quidem virtus tale quid est. Quocirca bonus vir esse sui amator debet: nam honesta agendo, & sibi & aliis proderit. prauus non debet: cò quòd pravos affectus sequens, & sibi & aliis nocebit. Nam prauo quidem homini quæ agere debet, & quæ agit, inter se discrepant. at probus quæ debet etiam agit. mens enim omnis quod sibi optimum est, eligit: probus vero menti obtemperat. Verum autem est quod de probo viro dictum est, ejus amicorum causa & patriæ multa agere etiam

etiam si pro ipsis mors fuerit oppetenda. nam & pecunias & honores proiiciet, & demum ea bona, quæ in certamen apud homines veniunt, dum quod honestum est, sibi ipsi vendicat. Breui enim tempore lætari vehementer magis eligeret, quàm lōgo leuiter: & viuere honeste vno anno, quàm multis quomodolibet: vnam item actionem honestam & magnam quàm multas & paruas. Hoc autem iis fortasse euenit qui pro aliis mortem obire consueuerunt. eligunt enim magnum quoddam honestum sibi ipsis, pecuniásque profunderent, quo amici plures accipiant. pecuniæ enim amico, ipsi honestum comparatur. quod autem maius bonum est, sibi attribuit. In honoribus etiam & magistratibus idem modus est: omnia enim hæc amico concedet. honestum siquidem hoc ipsi est, ac laudabile, vt merito probus esse videatur, cùm honestatem omnibus anteponat. Fieri item potest, vt actiones amico permittat: sitque ipsi honestius, quòd causa amico fuerit vt eas egerit: quàm si ipse egisset. In omnibus igitur laude dignis rebus honestatis amplius sibi attribuere vir probus videtur. Atq. ita quidem sui amatorem esse oportet, sicut dictū est. vt pleriq. autem sunt, minime.

De amicis felicis, & quibus indigeat.

CAP. IX.

IAm vero de felice ipso quoq. dubium est, indigeáne amicis, nēcne? nihil enim beatis ex sese sufficientibus opus esse amicis inquiunt: adsint enim ipsis bona vt cùm ex se sufficiant, nulla re amplius indigeant. amicum autē cùm sit alter ipse, suppedicare ea, quæ per se quispiam nequit, vnde, fortuna cum dat bene, quidnam

amicis est opus? Sed absurdum videtur, cùm bona omnia felici attribuamus, amicos non tribuere: quod ex bonis externis esse maximum videtur. Nam si amici magis est beneficium conferre, quàm accipere: boni item viri & virtutis est benefacere: benefacere autem amicis, quàm alienis honestius est: probus vir iis indigebit qui beneficio afficiantur. Vnde etiam in quæstionem venit, vtrum in aduersa, an in prospera fortuna amicis magis opus sit: eo quòd & qui in infortunio est constitutus, iis indigeat, qui beneficia conferant: & qui fortunati sunt, iis, quibus benefaciant. Adde quòd absurdum fortasse est, vt beatum solitarium esse faciamus. nemo enim esset, qui omnia bona habere per seipsum eligeret: quippe cùm ciuile animal sit homo, & ad conuictum natura aptum. & felici igitur hoc inest: quæ enim natura bona sunt habet: constat autem cum amicis & probis viris melius esse quàm cum alienis, & quibuslibet hominibus diem traducere: opus igitur felici amicis est. Quid ergo primi illi dicunt, & quomodo illorum vera oratio est? An quia plerique amicos eos esse opinantur qui vtiles sunt. talibus igitur cùm bona ipsi omnia adsint, nullo modo indigebit beatus: sed neque illis qui ob voluptatem sunt amici, vel parumper. cùm enim vita ejus iucunda sit, aduentitia voluptate non indiget. cùm itaque talibus amicis non indigeat, non indigere amicis videtur. Id autem verum fortasse minime est. in principio enim dictum iam est, felicitatem operationem quandam esse. operationem autem fieri, & non esse vt possessionem aliquam, patet. at si felicem esse in viuendo & operando consistit: boni autem viri operandi honestâ

honesta & iucunda per se est, sicut in principio diximus: & quod est proprium vniuscuiusq. iucundum quoque est: alios vero spectare magis quàm nosmetipsos, aliorúmque actiones quàm nostras possumus: proborum autem virorum actiones qui sint amici, bonis sunt iucúnde: ambo enim ea habent, quæ iucunda natura sunt: beatus profecto amicis huiusmodi indigebit, siquidem actiones honestas & proprias contemplari vultabiles autem sunt boni viri, qui amicus sit. Felicem præterea iucunde viuere oportere exlimant. at solitario difficilis vita est: non est facile per seipsum assidue operari, cum alijs vero, & ad alios facilius. operatio igitur quæ magis erit continua, iucunda per seipsam erit. id quod circa beatum esse oportet. Probus enim vir, quatenus est probus, sicut ex virtute proficiscentibus actionibus gaudet: ita eas molestè fert, quæ ex vitio exsiliunt: non secus atque musicus pulchris modulationibus oblectatur, prauis offenditur. Adde quòd ex consuetu cum bonis exercitatio etiam quædam virtutis efficere: quemadmodum quoq. Theognis inquit:

A iustis discas bona: si versabere amicis
Cum prauo, amittes mentis bona si qua tibi est.

Si etiam naturalius consideremus, probus amicus probo esse natura expetẽdus videtur. quod enim natura bonum est probo viro bonum & iucundum esse iam diximus. Viuere autẽ ipsum definiunt potestate sensus animalibus, hominibus sensus & intellectionis. potestas vero in operationem reducitur. at in operatione id quod præcipuum est, consistit. viuere autẽ nihil aliud esse, quàm sentire vel intelligere præcipue & proprie videtur, sed viuere ex iis est quę bona &

Hanc partem vsq. ad finem capit. non exponit Auer.

iucunda sunt. Definitum enim est, quod autem est definitum, ex boni natura est: quod vero natura est bonum, probo viro etiam bonum est: atque iccirco iucundum esse omnibus videtur. Non debemus autem prauam vitam & corruptam, in doloribúsq; constitutâ sumere: ea enim indefinita est, non secus atque ea quæ in ipsis insunt. Ac de dolore quidem in sequentibus planior res efficietur. Quòd si viuere ipsum est bonum, iucundum quoq; est: quod ex eo etiam videtur, quòd omnes id appetũt: & præcipue probi viri, & beati. his enim vita maxime est expetenda: ipsorúmq; vita beatissima est. Qui autem videt, se videre sentit: & qui audit, se audire: & ambulare, qui ambulat: atq; in aliis simili modo quiddam est quod sentit nos operari, sentire vero possemus nos sentire, & intelligere nos intelligere, nos sentire autem vel intelligere, nihil aliud est quàm nos esse: esse enim sentire vel intelligere erat. at sentire se viuere ex iis est quæ per se sunt iucunda: vita enim natura bonũ est: bonum vero sibi inesse sentire est iucundum. viuere autem expetendum est & præcipue bonis: propterea quòd esse bonum ipsis, & iucundum est. consentientes enim id quod per se bonum est, lætitia afficiuntur. Cæterũ sicut erga seipsum, ita erga amicum affectus est probus vir: alter enim ipse est amicus. quemadmodum igitur vnicuiq; se esse, ita quoq; amicũ esse expetendum est, vel similiter: at esse ob id erat expetendum, quia se bonum esse sentiebat: talis autem perceptio suauis per se est: sentire igitur simul etiam amicum esse oportet. id autem fieri in conuiuendo, communicandisq; tum verbis, tum cogitationibus potest: ita enim conuiuere de hominibus dici

dici videtur: & nõ sicut de pecudibus, in eodem loco pasci. Si igitur beato viro esse expetibile per se est, cùm bonum natura & iucundum sit: simile autem amici quoque esse ipsum est: amicus etiam ex iis esset, quæ expetenda sunt, at quod ipsi est expetendum, id inesse ipsi opus est, alioqui indigens hac parte erui igitur qui felix futurus est, probis amicis opus erit.

De numero amicorum, multine an pauci habendi sint.

CAP. X.

SEd nunquid quamplurimi amici faciendi sunt? An quemadmodum de hospitalitate consone dictum illud videtur,

Mediocrem neq; sis hominum neque nullius hospes:

Sic in amicitia quoque conueniet, neq; amicis prorsus carere, neque amicos supra modum multos sibi conciliare. Illis sanè qui ad vtilitatem spectant, valde etiam congruere id quod dictum est, videretur, multis enim vicissim subministrare laboriosum est: non est q; ad id agendum ipsis victus sufficiens. plures igitur quàm qui ad proprium victum conueniant, admodũ curiosi sunt: tum ad bene viuendum impedimentum afferunt. nihil itaq; ipsis opus est. Qui item voluptatis causa amant, pauci sufficiunt: non secus atque in edulio condimentum. Probi autem amici vtrum plurimi numero esse debent? An amicorum quoq; multitudinis, sicut & ciuitatis modus quidam est? neque enim ex decem hominibus constare ciuitas potest: neq; item ex decies decem millibus ciuitas existit. Sed quantitas non est fortasse vna quædam, sed omnis quæ inter definita quædã media est. amicorum igitur

igitur quoque multitudo definita quædam est, & fortasse plurimi illi sunt, quibus cum vitam traducere quispiam posset, id enim maxime ad amicitiam pertinere videbatur. Non posse autē cū multis viuere quempiā, multisq; se impertire, obscurū nō est. Esse præterea illos quoque inter sese amicos oportet: si inter se omnes cōsistuti sint: id autē difficile in multis est. Difficile quoq; illud est, vt congaudeat quispiā & condoleat accōmodate cum multis. veritimile enim est simul incidere posse, vt cum altero collætandum, cum altero cōdolendū sit. Fortasse igitur recte se habet, nō quærere quamplurimos habere amicos, sed tot, quot ad conuiuendum idonei sint. neq; enim fieri posse videretur, vt multis vehemēter amicus quispiam sit: ideo circo neque vt plurium amore sit captus: exuperatio enim amicitiæ quædam esse cōsueuit: id autē erga vnum est & vehementer igitur erga paucos quoque erit. Ita vero vsu venire hoc etiam in rebus videtur. in amicitia enim sodalitia multi amici nō existūt, sed quæ celebrantur amicitiæ, inter duos dicuntur. Qui autem multorum sunt amici, & cum omnibus familiariter versantur: ij nemini sunt amici, nisi ciuiliter, quos obsequiosos vocant. Nam ciuiliter multis esse amicus potest quispiā, etiam si obsequiosus nō sit, sed re vera probus: ob virtutem vero, & propter sese erga multos non potest, sed contentus esse vnusquisq. debet, si vel paucos huiusmodi inuenerit.

Vtra in fortuna habendi sint amici.

CAP. XI.

VTrum autē in prospera, an in aduersa fortuna amicis opus est? tū vtraque enim requiruntur, nam & infortunati subsidio: & fortunati comitatoribus indigent, iisque hominibus, in quos beneficia conferant, benefacere enim volunt. Atque in aduersis quidem rebus necessarium magis id est, vtilibus siquidem ibi est opus, in prosperis tamen est honestius. Vnde etiam probos quærunt, hos siquidem beneficiis afficere, cum his que vitam traducere expetendum magis est. Est enim præsentia hæc amicorum tam in prosperis quàm in aduersis rebus iucunda. qui dolent enim condolentibus amicis subleuari consueuerunt. Vnde etiam dubitaret quispiam, nunquid quasi oneris partem suscipiant, an id quidem minime, sed præsentia ipsorum suauis cùm sit, condolendique intellectio dolorem minorem reddat. Sed hancne ob causam, an ob aliud quippiam subleuentur, omittamus: æuenire tamen prorsus illud quod dictum est, videtur. Ipsorum vero præsentia mista quædam esse apparet. nam videre amicos iucundū est, præsertim in aduersa fortuna constituto, assertiq; subsidium quoddam ad minuendum dolorem. amicus enim consolationem præstat & aspecta & oratione, si cōmodus sit: quippe cùm & mores nouerit, & ob quæ vel lætetur, vel doleat. sentire autem dolore affici amicum suas ob calamitates, molestum est. in causa enim esse amicis, vt doleant, vnusquisque cuitat, ac fugit. Atque iccirco qui viriles natura sunt, cauent ne amici secum condoleant. & nisi ipse dolorem qui ab illis suscipitur, indolentia exuperet, non sustinent: atque omnino collugentes non admittit. propterea quòd lugubris neque ipse est. Mulierculæ vero, atque huiusmodi viri collamentantibus delectantur: cōsique vt amicos & condolen

dolentes diligunt, sed in omnibus imitari pœculdubio meliorem debemus. At vero in prosperis rebus amicorum præsentia & vitæ traductionem iucundam habet, & intellectioné, quòd sua ob bona lætentur. Quocirca videretur ad prosperas fortunas prompte amicos esse invitandos: beneficum enim esse honestum est: ad aduersas autem tarde: quippe cùm malorũ participes quamminimum facere amicos deceat. Vnde illud: esse me miserum est satis, maxime autem aduocandi sunt amici, quãdo parua molestia suscepta prodesse multum possunt. At ire econtrario fortasse conuenit: ad infortunatos non inuitatum & prompte: amici enim benefacere est, & maxime iis, qui in indigentia constituti sunt, & qui non petierunt: † vtrisque siquidé honestius est, atque iucũdius, ad fortunatos vero vt cooperemur quidem, prompte: etenim ad hæc quoque amicis opus est, vt autem benefaciis afficiamur, tarde, quandoquidem studere vtilitatem consequi honestum non est. Insuauitatis tamen reiiciendo fortasse vitanda opinio est: quandoq; enim contingit. Esse igitur amicorum præsentia expetenda in omnibus videtur.

† *al. vtraque.*

De præcipuo munere amicorum, & bonorum & malorum amicitia.

CAP. XII.

IGitur quemadmodũ amore captis inspicere est amabilissimum, magísque hunc sensum quàm exteros eligunt: vtpote cùm ex eo amor & maxime existat & oriatur: ita quoque amicis conuiuere expetendum maxime est. amicitia enim est communicatio, & sicut erga seipsum, ita quoque erga amicum sese habet: at sensus erga

erga se vnusquisque quòd sit, expetibile est: ergà amicum igitur quoque erit, sed eius operatio in conuiuendo fit, quare merito id appetunt. Quòdque est singulis esse ipsum, aut cuius causa viuere eligunt: ea in re cum amicis degere volunt. Quocirca alij comportant: alij alea colludunt: coexercentur quidam & cõuenantur: nonnulli comphilosophantur: in eo singuli diem simul traducentes, quod maxime in vita amant. cùm enim conuiuere cum amicis velint, hęc faciunt, hæcque cum illis communicare, quibus eam se conuiuere existimant. Prauorum igitur amicitia prava est. prauæ enim secum communicant instabiles cùm sint, & praui etiam efficiuntur, dum sibi mutuo similes euadunt. at probórum proba atque honesta est, congressionibúsque insuper augetur, videnturque hi meliores quoque effici, dum operantur, ac se mutuo corrigunt. exprimunt enim à se mutuo ea, quibus oblectantur, vnde id: A iustis discces bona. Ac de amicitia quidem hactenus dictum sit.

Sequitur vt de voluptate disseramus.

*

ARIST

ARISTOTELIS MORALIVM NICOMACHIORVM LIBER DECIMVS.

SVMMA LIBRI.

De voluptate, ac eius speciebus. De felicitate, & contemplatiua, & actiua præparatione ad sermonis contenuatio ad libros de Republica.

De voluptate. CAP. I.

POst hæc fortasse sequitur vt de voluptate disseramus: quippe quæ maxime affinis esse genio nostro videatur, vnde homines voluptate & dolore quasi gubernaculo dirigentes existimant. Maximúmque esse ad morum virtutem videtur, si gaudeamus quibus oportet, & oderimus ea quæ odio habéda sunt: hæc enim cùm momentum ac vim ad virtutem & felicem vitam habeant, per totam vitam pertinent. iucunda siquidem eligunt, fugiút ea quæ dolorem afferunt. De talibus autē minime prætermittendō esse videretur, præsertim cùm magnam habeant controuersiam. Nonnulli enim bonum ipsum voluptatem esse dicunt, alij econtrario admodum prauam rem eam esse æstimant. Atque illi quidem fortasse rem esse ita persuasi: sed hi, melius esse ad vitam nostrā rati, si voluptas, quamuis non sit, prauа esse demonstrentur, pleroſque enim ad ipsam esse proclives, seruiréque aiunt voluptatibus: vt ſcirco in contrarium ipsos reducere opus sit, sic enim fore, vt ad medium redeant. Videndum autem ne nō recte hoc dicatur. orationes enim de iis, quæ in affectibus, & actionibus consistunt, minorem quàm opera ipsa habent probabilitatē, quando itaque discrepant ab iis quæ sensui percipiuntur: contemptæ veritatem quoq; ipsam insuper tollunt. nam qui vituperat voluptatem, si appetere ipsam quandoque conspicietur: declinare ad ipsam videtur, quasi omnis voluptas eiusmodi sit, non est enim multitudinis distinguere. Videntur igitur veræ orationes non solum ad cognoscendum, sed ad vitam quoque ipsam esse vtilissimæ, cùm enim rebus consentaneæ sunt, creduntur: atque ita audientes ad vitam, sicut ipsæ præfinierint, traducendam incitant. Sed de his satis. Ea nunc, quæ de voluptate dicuntur, persequamur.

Opinio Eudoxi de voluptate. CAP. II.

EVdoxus quidem voluptatē bonum ipsum esse existimabat, propterea quòd omnia videbat eam appetere, tam quæ prædita essent ratione, quàm quæ ea carerent: atque in omnibus quod est expetibile, id honestum: & quod maxime hujusmodi, id præstantissimū esse censebat: omnia autem ad idem ferri, id omnibus esse optimū indicare. vnumquodq; enim quod sibi bonum esset, inuenire, non secus atque alimentum, quod igitur omnibus esset bonum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quódque omnia appeteret, ipsum bonum esse conficiebat. Cuius sanè tationes ob motum vitatem magis quàm propter seipsas credebatur præcipue enim temperatus esse videbatur: vt nō vt amicus voluptatis putaretur hæc dicere, sed quia ita re vera esset. Nec minus autem ex contrario quoque manifestum idem esse existimabat. dolorem enim per se omnibus fugiendum esse, contrarium autem simili modo expetendū. Maxime autem id esse expetendū dicebat, quod non ob aliud, neque alterius causa eligeremus. huiusmodi vero proculdubio voluptatem esse quippe cùm à nemine requiramus, cur voluptate afficiatur: eo quòd expetenda per seipsa voluptas sit. Et cuius ex bonis adiunctam eligeremus magis ipsum reddere: vt iuste agere, & temperanter, augerique bonum ipsum ipso. Sed hæc quidem ratio videtur ex bonis esse ipsum ostendere, nihilo tamē magis, quàm aliud quipiam. omne enim bonum † cum altero magis expetendum est, quàm solum. Atque huiusmodi sanè ratione Plato quoq; voluptatem ipsum per se bonum esse destruit. iucundam enim vitam cum prudentia quàm sine prudentia esse magis expetendam, quòd si mistum est præstantius ipsum per se bonum voluptatem nō esse: quippe cùm ipsum per se bonum nulla re ipsi adiuncta magis expetēdum efficiatur. Perspicuum autem est ipsum per se bonum neque aliud quid quam esse posse, quod cum alio ex iis quæ per se sunt bona, magis expetendum sit, quoddam igitur est eiusmodi, cuius etiam nos participes simus. tale enim est quod quæritur. Nam qui id bonum esse negant, quod omnes appetunt: nihil dicunt. quod enim omnibus videtur, id esse affirmamus, qui vero hanc fidem tollit, is non admodum probabiliora dicturus est. nam si mēte carentia hæc appeterent, esset sanè aliquid, quod dicitarat si etiam ea quæ prudentia sunt prædita, quomodo dicere aliquid possunt? Fortasse vero in pravis quoque naturale quoddam bonum est præstantius quàm ipsa per se sint, quod proprium bonum appetit. Sed neque de contrario recte esse dictum videtur. non enim si dolor est malum, continuo voluptatem esse bonū inquiunt, oppositum siquidem malum malo esse aiunt, & vtraq; ei quod neutrum est. Non male sanè hæc dicentes. non tamē vere. si enim vtraq; essent mala, fugienda quoque vtraq; esse oportebat. si neutra, neutrum aut similiter. Sed illum quidem fugere vt malum, hanc expetere vt bonum videmur, ita igitur etiam opponuntur.

† a.l. quod cum altero magis expetendum est quàm solum. male mutatum est.

Dicentium voluptatem non esse bonum confutatio, & si non omnis expetibilis sit.

CAP. III.

At enim neque si ex qualitatibus nō est voluptas, propterea neque ex bonis eam esse credendum est. nam neque virtutis operationes sunt qualitates, neque felicitas. Dicunt etiā bonum definitum esse, voluptatem vero indefinitam, propterea quòd admittit, vt magis & minus fieri possit, at si ex volaptatis susceptione id iudicant, idem & in iustitia, & in reliquis virtutibus euenit, ex quibus euidenter magis & minus eiusmodi homines esse affirmāt. iusti enim & fortes magis sunt: fit etiam, vt & iuste & temperanter magis & minus agamus. Sin autem in voluptatibus ipsis hoc statuunt: videántne non dicāt causam huiusce rei, si aliæ mistione omni

vacent, mistæ aliæ sint. Quid prohibet autem quia sicut sanitas, quæ cùm definita sit, admittit tamen, vt esse magis ac minus possit: ita quoque esse voluptatem dicamus? non enim contemperatura eadem in omnibus: neque vna quædam semper in eodem est, sed remittitur, atque aliquandiu perduratque differt, quòd magis, & minus inest. Tale igitur quippiam in voluptate quoq; esse potest. Præterea cùm perfectū ipsum per se bonum, motiones vero & generationes imperfectas esse statuant: voluptatem motionē esse & generationem conantur demonstrare. Sed non recte dicere id videntur, neque motionem eam esse verū est. motioni enim omni propria esse tarditas & celeritas videtur: & si nō per seipsam, vt motui mundi, at ad aliud, voluptati vero neutrum horum inest. fieri enim potest vt cito quispiam voluptatem percepert, sicut vt iratus sit: vt autem percipiat, minime: neque ad alterum, vt ambulet vero, & crescat, atq; omnis huiusmodi potest. Ac mutari quidem in voluptatem cito & tarde licet: operari autē ex ipsa id est voluptate affici, cito, non licet. Quo pacto item esse generatio potest? non enim ex quolibet quodlibet gigni videtur, sed in illud dissolui vnumquodque, ex quo generatur, & cuius generatio est voluptas, dolor eius corruptio erit. Dicunt item dolorem indigentiam eius esse, quod secundum naturam est: voluptatem repletionem. at hæc corporis sunt affectiones: si igitur voluptas eius quod est secundum naturam repletio est, illud in quo repletio fit, esse id quod voluptatem perciperet: corpus igitur id esset, sed non videtur: voluptas igitur repletio non est, sed vnusquisque & voluptate affici dem

fit repletio: & dolorem percipere, dum secatur, consuevit. Opinio autem hæc ex voluptatibus & doloribus circa alimentum euenientibus videtur extitisse. vbi enim indigi effecti fuerint, atque ob id dolore præoccupati: percipere voluptatem ex repletione aiunt. At hoc non circa omnes voluptates accidit. dolore enim vacant tum disciplinares: tum ex ils quę sensus afficiūt, illæ quæ olfactu, quæ auditu, & visu percipiuntur. Multæ ité recordationes, & spes huiusmodi sunt. Cuius igitur hæ erunt generationes, cùm nullius rei præcesserint indigentiæ, cuius repletiones esse hæ possint? Aduersus eos autem qui probrosas voluptates producunt, dicere quispiā posset non esse ea iucunda. non enim si male affectis iucunda sunt, ideirco absolute quoque esse ea iucunda existimandum est: sed ipsis illis tantummodo, quemadmodum neque salubria aut dulcia, aut amara, quæ ægrotantibus: neq; alba, quæ lippientibus esse huiusmodi videntur. Ana quoque dici posset, expetendas quidem esse voluptates: non tamen ex his, quemadmodum etiam diuitem esse, expetendum est, sed non ex proditione: & sanum esse item, sed non ex cuiuscunq; rei est. An specie differunt voluptates. quæ enim ex honestis rebus existūt diuersæ ab illis sunt, quæ ex turpibus percipiuntur, neq; fieri potest vt iusti quispiam voluptate afficiatur, nisi sit iustus: aut musici, nisi sit musicus: atque in reliquis simili modo. Declarare autē videtur etiam amicus ab adulatore diuersus cùm sit, nō esse bonum voluptatē: aut voluptates esse specie diuersas. hic enim ad bonum versari: ille ad voluptatem videtur, atque illud probro datum hoc laudi est, vtpote cùm ad alia, atque alia ver-

sentur. Nemo præterea expeteret vel viuere ita, vt pueri mente prædius illis voluptatibus, quàmaxime fieri potest, afficeretur, quibus pueri oblectari consueuerunt. vel turpe aliquid agendo ita gaudere, vt nullum vnquam dolore perceptur is sit. Et circa multa studium adhiberemus, etiam si nullam afferrent voluptatem: vt videre, meminisse, cognoscere, virtutes haberet. quòd si hæc voluptates necessario consequuntur, nihil refert. expeteremus nanq; ea nihilominus, licet etiam nulla inde voluptas exoriretur. Voluptatem igitur neq; esse ipsum per se bonum, neq; omnem esse expetendam: nonnullasque esse per se expetibiles, quæ differant aut specie, aut iis à quibus eueniunt: planum videtur. Ac de iis quidem quæ de voluptate & dolore feruntur, satis dictum sit.

Quidnam sit voluptas, & quo modo operationem perficiat.

CAP. IIII.

QVidnam autem sit voluptas, aut qualis, clarius fiet, si disputationem à principio repetamus. Visio enim quocunque tempore esse perfecta videtur. nulla enim re deficit, quæ postea succedens speciem eius perficiat. huic similis quoque voluptas est. totum siquidem quoddam est: neque vllo in tempore statuere aliquis voluptatem posset, cuius, si longiore fieret tempore, species perficeretur. Iecirco neque motio est. in tempore enim fit omnis motus, & cuiusdam etiam finis est. vt ædificatio tunc perfecta est, cùm fecit id quod appetit, vel in omni videlicet tempore, vel in hoc. nam in partibus temporis imperfectæ omnes,

mnes, & à tota, & inter se sunt specie diuersæ. lapidum siquidem compositio diuersa à columnæ virgatione: atq; hæ vtræq; à templi extructione differunt. templi enim effectio, cùm nulla re deficiat ad propositũ, perfecta est: fundamenti vero, & triglyphi fabrica est imperfecta: quippe cum vtraq; partis sit. Specie igitur differunt. neque fieri potest vt in quocunq; tempore motionem specie perfectam sumamus, nisi in toto. Simili modo quoq; in ingressione, & cæteris. nam si delatio est motio quę alicunde aliquò fit: eius differentiæ sunt secundum speciem, volatus, ingressus, & saltus. atq. huiusmodi, neq; tantũ hoc modo, verum etiam in ingressione ipsa differentia est: nam alicunde & aliquò non idem in stadio & in parte eius est. & in alia, atq; alia parte: neq; percurrere lineam hanc, & illam. non solũ enim lineam, sed in loco constitutam pertãsit: in diuersio autem hæc, quàm illa est. Sed accuratius de motu alibi iam diximus. Videtur autem non in omni tempore motio esse perfecta: sed pleræque imperfectæ, & specie differentes: siquidem alicunde aliquò speciem earum efficiat. at voluptatis in quolibet tempore perfecta species est. perspicuum igitur est, & diuersas has inter se esse: & voluptatem quippiam ex iis esse, quæ integra ac perfecta sunt. Hoc autem ex eo etiam videretur, quòd moueri nisi in tempore quippiam non potest: voluptate autem affici potest. quod enim in ipso nunc fit, totum quoddam est. Ex his autem manifestum est, non recte dicere eos qui voluptatem esse motionem, vel generationem asserunt. non enim omnium hæc dicuntur: sed partibilium, & eorum quæ tota minime sunt.

nam neque visionis generatio est, neq; punctj, neq; vnitatis. neque enim horum quippiam motio aut genetatio est. igitur nec voluptatis quoque erit: quippe cùm totum quoddam sit. sed sensus cuiuslibet, cùm circa sensibilem rem operatur. Perfecte autem eius qui bene est affectus circa pulcherrimũ ex iis quæ sensui subiiciuntur. tale enim quid maxime esse perfecta operatio videtur. Vtrum autem ipsum sensum, an id in quo ipse est, operari dicamus, nihil interest. in vnoquoque enim optima eius est operatio, quod optime affectum est erga præstantissimum ex iis quæ ipsi subiiciuntur. Atque hæc perfectissima esset, ac iucundissima. In omni enim sensu voluptas est: in omni item simili modo intellectione & contemplatione. iucundissima autem ea est, quæ perfectissima: at perfectissima eius est, quod bene affectum est erga optimum eorum quæ ipsi subiiciuntur. operationem vero voluptas perficit. Non eodem tamen modo & voluptas perficit, & sensibile, † & sensus, cùm bona sunt. quemadmodum neque sanitas & medicus simili modo in causa sunt, vt sani simus. In vnoquoque autem sensu voluptatem fieri perspicuum est: quippe cum & visiones, & auditiones esse iucundas dicamus. patet enim profecto eas vel quàm maxime esse, si & sensus præstantissimus sit, & circa tale quippiam operetur. nam si huiusmodi sunt & quod sentitur, & quod sentit: semper existet voluptas, modo adsit quod agat, & quod afficiatur. Perficit autem operationem voluptas, non vt habitus quidam qui ineſt, sed vt finis superexoriens: perinde atque venustas iis qui in flore ætatis constituti sunt. quousq; autem sensibile vel intelligibile, & id quod iudicat, vel contemplatur tale fuerit, quale esse debet: in operatione inerit voluptas. cùm enim id & quod vt afficiatur & quod vt efficiat idoneum est, similia sunt, & inter se eodem modo se se habent: idem fieri natura consueuit. Quo modo igitur fit, vt nemo assidue voluptate afficiatur? an defatigatur? omnia enim humana ad assidue operandum imbecillia sunt. quocirca neque voluptas assidue euenit: operationem enim consequitur. Nonnulla tamen sunt quæ cùm noua sunt, oblectant: postea vero non simili modo, hanc ob causam: quia primum incitatus animus est, in eorúmque operatione intentus, quemadmodum in visu faciunt, qui inspiciunt: postea vero operatio eiusmodi non amplius fit, sed neglecta. vnde etiam voluptas hebetatur. Omnes autem voluptatem appetere propterea vnusquisque existimaret, quia viuere omnes appetunt, vita vero operatio quædam est. Et circa ea vnusquisque & iis operatur, quæ vel maxime placent, vt musicus auditu circa modulationes: discendi studiosus mente circa contemplationes: atque ita singuli ex cæteris. voluptas vero operationes perficit: & viuere quoque ipsum, quod appetunt, merito igitur voluptatem etiam appetunt, quippe quæ viuere ipsum quod expetendum est, perficiat. Vtrum vero vitam ob voluptatem, an voluptatem ob vitam expetamus, in præsentia omittatur. coniuncta enim hæc inter se ita sunt, vt separari nullo modo queant: quippe enim & sine operatione non fiat voluptas, & operationem omnem voluptas perficiat.

Operationẽ voluptas perficit.

† *a. I. sensum.*

Voluptates inter se specie differre.

CAP. V.

VNde differre etiam specie videntur, quæ enim specie diuersa sunt, à diuersis perfici existimamus, ita siquidem apparent & naturalia, & quæ ab arte efficiuntur. vt animalia, arbores, pictura, statuæ, domus, vas. simili modo quoque diuersas specie operationes à specie differentibus perfici putamus. mentis autem operationes ab iis quę sunt sensuum, atq; hę inter sese specie differunt. quare etiam quæ ipsas perficiũt voluptates. Constare autem hoc ex eo etiam posset, quòd voluptas vnaquæq; operationi ei affinitate est coniuncta, quã perficit. simul enim operationé propria atq; affinis voluptas auget: quippe cùm singula magis iudicent, absoluántque exactius qui cum voluptate operantur. vt qui geometricis rationibus oblectantur, geometrici euadunt, & singula magis excolligunt, atq; aduertunt. simili modo musicæ studiosi, & ædificandi, & cæteri alii in suo quisque opere proficiunt, dum eo oblectantur, ac gaudent. voluptates vero sunt quæ incrementũ exhibent. ac affinia sunt & propria quæ augẽt. quæ autem diuersis specie sunt propria, inter se quoque specie differunt. Magis præterea inde hoc pateret, quòd voluptates quæ à diuersis excitantur, operationibus sunt impedimento. studiosi enim tibiarum orationibus attendere nequeunt, si tibia canentem quempiam audiuerint, illius cantu magis, quàm præsente operatione oblectati, voluptas igitur quæ ex tibiæ cantu prouenit, operationem circa orationem corrumpit. Id in cæteris quoque vsu venit, cùm circa eadem simul

simul operatur quispiam: quæ enim est iucundior operatio, alteram extrudit: atq; eo magis, quo in voluptate longius excelluerit: adeo vt ex altera operetur nihil. Atque ideireo fit, vt cũ aliqua re vehementer gaudemus, aliud quid non admodum agamus: cùmq; alia leuiter oblectamur, alia faciamus, vt in theatris bellaria esitantes. id nunc maxime faciunt, cum viles certatores sunt. Quoniam autem propria voluptas exactè absoluit operationes, diuturniores q; & meliores reddit: alienæ vero labefactãt, ac perdunt: longe eas inter se distare manifestũ est. Ferè enim alienæ voluptates id faciunt quod proprij dolores, proprij enim dolores operationes corrumpũt. verbi causa, si alicui vel scribere iucundum est & molestum, vel ratiocinari, cum dolorem afferat operatio, fit, vt is neq; scribat, neq; ratiocinetur. Ex proprijs igitur voluptatibus, & doloribus contrarium circa operationes contingit. propriæ autem sunt voluptates, quæ ex operatione aliqua per se existunt. alienæ vero aliæ appellantur, propterea quòd simile quid efficiunt. quod dolor. corrumpunt enim: verũtamen non simili modo. At vero cum operationes probitate & prauitate differant: & aliæ ex ipsis expetendæ sint: aliæ fugiendæ, aliæ neutræ: simili modo voluptates etiam sese habebunt in vnaquaq; enim operatione propria voluptas existit, in bona honesta, in praua improba. Nam & cupiditates honestorum laudabiles, turpium vituperabiles sunt. Affiniores autem operationibus sunt voluptates quæ in ipsis existunt, quàm appetitiones. hæ enim & reportibus & natura distinctæ sunt: illæ adeo annexæ operationibus sunt, adeóq; ab ipsis indistinctæ,

vt

vt an idem cum voluptate operatio sit, ambiguum esse videatur. Neque tamen voluptatem esse mentem, aut sensum putādum est: est enim absurdum, sed quia non separantur, esse idem quibusdā videntur. sicut igitur operationes, ita quoq; diuersæ voluptates sunt. Visus autem à tactu puritate differt: & auditus & olfactus à gustatu, simili modo quoq; differunt voluptates: atq; ex his illæ quæ circa mentem existunt: & vtræq; à se mutuo. Esse vero vnicuique animali propria voluptas, quemadmodum etiam opus videtur: ea enim est quæ in operatione existit. id in vnoquoq; considerāti ita esse apparebit. equi siquidem, & canis, & hominis voluptas diuersa est. Quemadmodū Heraclitus inquit, asinos stramentitias paleas magis quàm aurum esse electuros: quippe cum asinis pabulum auro iucundius sit. Ac voluptates quidem eorum quæ specie diuersa sunt, specie differunt: quæ sunt eorundem, indifferentes esse consentaneum est. in hominibus tamen non parum variant. eadem enim alios dolore, alios oblectatione afficiunt, quibusdam molesta & odiosa, iucunda & amabilia nonnullis sunt, in dulcibus quoq; id euenit. quippe cum non eadem febricitanti, & sano esse huiusmodi videantur. neq; calidū quippiam imbecillo, & ei qui bono habitu præditus sit, similiter in aliis etiam contingit. Videtur autem in omnibus similibus id esse quod probo viro apparet. Quòd si hoc recte dicitur, quemadmodum videtur, & est: & vniuscuiusque mensura est virtus, & bonus vir, quatenus est talis: voluptates quoq; erunt quæ huic videntur, & iucunda ea quibus hic oblectatur. Si cui tamen ea videntur iucunda quæ huic sunt molesta, nihil mirum

Vnius cuiusque mensura est virtus

mirum esse debet: multæ etenim corruptelæ hominum, & labes contingunt. non sunt nanq; iucunda: sed his, atq; ita affectis. Eas igitur quæ sine dubio turpes sunt, non esse dicendas voluptates nisi corruptis hominibus manifestū est. Ex iis vero quæ esse honestæ videntur, qualis, aut quænam esse hominis dicenda est? an ex operationibus pater, has enim ipsæ voluptates sequuntur siue igitur vna, siue plures sint perfecti & beati viri operationes: quæ has perficiunt voluptates, præcipue hominis voluptates esse dicerentur: reliquæ autem secundo loco, & ex parte aliqua, non secus atque operationes.

De felicitate.
CAP. VI.

CVm dicta autem sint ea, quæ ad virtutes, & amicitias, & voluptates spectant: reliquum est, vt de felicitate figura quadam disseramus, quoniam finem eam humanarum rerū esse statuimus. Si igitur antedicta repetamus, breuiori nobis euadet oratio. Diximus eam nō esse habitum, nam in eo inesset, qui per totam vitam dormiret, & plantæ vitam traduceret, maximeq; infortuniis afflictaretur. Quòd si hęc non placent, sed magis in operationem quandam ipsa reponenda est, sicut in superioribus est dictum: ex operationibus autem aliæ sunt necessariæ, & ob alia expetendæ, aliæ per se: patet, felicitatē aliquam ex iis quæ per se, & non ob aliud sunt expetendæ, esse statuēdam. felicitas enim nullius rei indiga est, sed ex seipsa sufficit. Per se autē sunt expetendæ illæ, ex quibus præter operationem requiritur nihil: cuiusmodi

Felicitas nullius rei indiga est. sed ex seipsa sufficit.

modi esse actiones videtur, quę ex virtute fiũt bona enim & honesta agere ex iis est, quę per se expetuntur. Quin etiam ex lusionibus illæ quæ iucundæ sunt: quippe cùm non ob aliud ipsis eligãdamnum enim ex ipsis potius quàm vtilitatem & corpora & fortunas negligentes, consequuntur. Contingunt autem ad huiusmodi diuersationes plerique eorum qui felices habentur, vnde apud tyrannos in existimatione sunt, qui in talibus diuersationibus sunt vbi maxime quæ cùm in iis quæ illi appetunt, sese exhibeant iucundos, indigent autem talibus. Ac videntur quidem hæc felicia esse, propterea quòd qui in potestatibus constituti sunt, his vacant, sed nullum fortasse argumentum huiusmodi hominum sunt. non enim in dominatu virtus collocata est, aut intellectus, ex quibus honestæ operationes existunt. Neque si isti quia fruuntur & liberalis voluptatis gustum non habent, sed corporis voluptates contingunt: propterea hæc magis esse expetendas existimandum est, nam & pueri quæ apud se in precio sunt, præstantissima esse opinantur. Consentaneum igitur est, vt sicut pueris & viris diuersa esse in precio videntur: ita prauis & bonis quoque videantur. Vnde quemadmodum sæpe dictum est, ea sunt preciosa & iucunda, quæ probo viro iusmodi sunt, atque ea maxime expetenda operatio est vnicuiq; quæ ex habitu proprio: probo autem viro, quæ ex virtute fit. Non est igitur in lusu felicitas, absurdum enim est lusum esse finem: & negociari, & laborare tota vita ludendi causa. nam omnia, vt ita dicam, gratia felicitatem alterius causa expetimus: quippe cum finis ipsa hæc fit. serio autem agere & laborare

lusionis causa stultũ planè ac puerile admodũ videtur. Ludere autem vt serio agat quispiã ex Anacharsidis sententia videtur recte se habere: quippe cum lusus requiei similis sit. & cum nequeat homines assidue operari, requie indigẽt. nõ est igitur finis requies: causa enim operationis sit. At esse ex virtute vita felix videtur: hæc autem studiosa & seria est, non in lusu versatur. Meliora prætetea seria & studiosa esse dicimus ridiculis, & iis quæ cum lusu fiunt. Et melioris semper partis, & hominis operationem esse studiosiorem affirmamus. melioris autem operatio præstantior, felicitatisque accommodatior iam est. Frui item corporis voluptatibus quilibet etiam mancipium, non minus quàm optimus posset: mãcipio autem felicitatem tribuit. nemo, siquidem neque etiam vitam: non enim in talibus diuersationibus felicitas consistit: sed in operationibus quę ex virtute proficiscuntur, quemadmodum dictum est prius.

De felicitate contemplatiua.

CAP. VII.

Si vero felicitas est ex virtute operatio, cõsentaneum est eam ex illa esse, quæ præstantissima est: hæc autem eius erit, quod est optimũ. siue igitur id intellectus sit, siue aliud quippiã, quod sanè secundum naturam videtur principatum obtinere, & præsidere, notionémq; habere de honestis, & diuinis rebus: siue diuinum quoddam etiam ipsum sit, siue ex iis quæ in nobis sunt diuinissimam huius secundum propriã virtutem operatio, perfecta felicitas esset: quam esse contemplatiuam dictum iam est. Atq; hoc nam cum superius dictis, cum cum veritate con

sentiens

sentiens esse videretur. nam & præstantissima est hæc operatio: quippe cum ex iis quæ in nobis sunt, intellectus huiusmodi sit: & ex iis quæ in cognitionem cadunt, illa circa quæ intellectus versatur. Et præterea assiduissima. contemplari siquidē assidue magis, quàm operari quippiam possumus. Existimamusq; oportere voluptatem felicitati esse admistam. iucundissima autem ex virtutis operationibus ea proculdubio est, quæ secundum sapientiam fit. Philosophia ergo mirabiles habere & putirate & † nobilitate voluptates videtur. Consentaneum autem est scientibus quàm quærentibus iucundiorem vitæ traductionem esse. tum sufficientia quæ dicitur, in contemplatiua maxime est. Nam eorum quidē quæ ad viuendū necessaria sunt, & sapiens & iustus, & cæteri indigent. huiusmodi tamen hominibus cum abunde res suppetunt, iustus iis indiget erga quos, & quibus cū iuste agat: temperans item simili modo, & fortis, & cæteri singuli: sapiens vero etiam si per seipsum sit contemplari potest: atque id tanto magis, quanto sapientior fuerit. melius quidem fortasse si adiutores habeat: sufficientissimus tamen ipse est. Sola præterea ipsa per seipsam amari videretur: quippe cum ex ea præterquam quòd contemplatus fuerit quispiā, eueniat nihil ex agendis autem rebus aut plus, aut minus aliquid propter actionem nobis comparamus. Videtur item felicitas in ocio esse. negociis enim distringimur, vt ociemur: & bellū gerimus, vt in pace degamus. Atq; actiuarum quidem virtutū operationes in ciuilibus, vel bellicis rebus versantur, quarū actiones negociosæ videtur. Bellicæ quidē etiā omnino. nemo enim est, qui vel bellū ex pa-

† ad stabilitate.

tat, vel apparatum bellicū faciat bellandi causa. sanguinarius enim prorsus quidam esse videretur, si amicos ea causa sibi hostes redderet, vt pugnæ, & cædes orirentur. Ciuilis quoque hominis operatio negotiosa est præter ipsam etiā ciuitatis administrationem, dum potestates & honores sibi & ciuibus comparat, vel etiam felicitatem ipsam, quæ diuersa est à ciuili, quam etiam quærimus, vtpote scilicet diuersam. Si igitur ex actionibus quæ secundum virtutes fiunt, bellicæ & ciuiles pulchritudine & magnitudine excellunt, atque hæ negotiosæ sunt, finémque quendam appetunt, & non per se sunt expetendæ: intellectus vero operatio tum studio præstare, cum contemplatiua sit, tum appetere præter seipsam finem nullum videtur, habereque voluptatem propriam, quæ operationem ipsam augeat: & sufficientia quoq;, & otiositas, & indefatigabilitas, vtpote humana, & quæcunq; alia beato attribuuntur, ex hac operatione videntur existere: perfecta sanè felicitas hæc hominis est, vbi vitæ longitudinē perfectam est nacta. nihil enim eorum quæ sunt felicitatis imperfectum est. Ac talis quidem vita præstantior esset, quàm homini conueniat. non enim quatenus homo est, ita viuet: sed quatenus diuinum quid in ipso inest. quanto autem id præstat composito, tanto quoq; eius operatio ab operatione distat, quæ ex virtute alia existit. Si igitur intellectus diuinum quid est, si ad hominem respiciamus: sic vita quæ ex intellectu traducitur, si humanæ vitæ comparetur, diuina etiam ipsa est. Neq; vero oportet quemadmodum nonnulli monent, vnumquēmque cùm sit homo, humana: & cum sit mortalis, cogitare mortalia: sed quatenus

licet, immortalem se reddere, omniáq; efficere, vt ex præstantissimo omnium quæ in ipso est, vitam traducat. nam licet id mole sit paruum, tamen, & pretio omnia longo interuallo excellit. Id autem esse etiam vnusquisque videretur, siquidem præcipuum, & melius est, quocirca absurdum esset, si non suam quisque, sed alicuius alterius vitam expeteret. Quódque dictum superius est, nunc etiam conueniet, quod enim naturæ vniuscuiusque est accommodatum, id præstantissimum, ac iucundissimum vnicuique est. ergo etiam homini vita, quæ ex intellectu traducitur: siquidem maxime id homo est.

De felicitate actiua, & præcipuo munere sapientiæ.

CAP. VIII.

HAec igitur etiam felicissima est. Secundo vero loco ea quæ ex alia virtute existit. quippe cum operationes quæ secundum ipsam fiunt, humanæ sint. iusta enim & fortia & cætera ex aliis virtutibus erga nos mutuo agimus in commerciis, & vsibus, actionibúsque variis, & in affectibus, seruantes quod decorum vnicuique est. hæc autem humana esse omnia videntur. Nonnulla vero etiam è corpore videntur exoriri: multámque affinitatem cum affectibus habere morum virtus. Quin etiam prudentia cum morum virtute, atque hæc cum prudentia connecta est. siquidem prudentiæ principia ex virtutibus moralibus rectitudo vero moralium virtutum ex prudentia existit: at hæ connexæ cum affectibus sunt, & circa compositum versantur. virtutes vero compositi humanæ sunt, & vita igitur quæ secundum ipsas traducitur, & felicitas

tas huiusmodi erit. Mentis autem separata est. de ipsa enim hoc tantummodo est dictum: nam exquisite tractare maius est, quàm præsenti proposito conueniat. Videtur vero vel parum vel minus quàm moralis, externarum rerum apparatu indigere, necessariis enim rebus vtriusq; est opus: atq; id ex æquo est. dicet magis circa corpus, & quæ huiusmodi sunt, ciuilis laboret. parum enim quid differret. Sed in operationibus longe distabit. liberali enim ad liberalia agenda, & iusto ad retributiones faciendas pecuniis egit opus: quippe cum obscuræ voluntates sint: tumultuatque etiam illi, qui iusti non sunt, iuste agere se velle. fortitudini item potentia, si modo quippiam ex virtute exequi debet: & temperanti potestate opus erit. quo pacto enim aut obijs aut alius quispiam esse manifestus posset? ad quæ consueuit, vtrum electio an actio magis propria virtutis sit: cùm in vtriusq; consistat rerum. vnde manifestum est in vtriusque id futurum, quod perfectum est. ad actiones autem exercendas multis est opus: & quò plures & meliores sunt, eò pluribus. Contemplati vero nullis huiusmodi rerum ad operationem quidem indigentia est: quin ferè contemplationi esse impedimento consueuerunt. quatenus tamen homo est, cum pluribúsque vitam degit, ex virtute agere proponit. talibus igitur ad humane se gerendum indigebit. Nam perfectam felicitatem contemplatiuam quandam operationem esse, constare vel inde posset, quòd Deos maxime beatos, & felices esse existimamus. Eosdem quales actiones attribuere eis debemus, iustas ne? sed ridiculi sanè viderentur, si commercia facerent, & deposita redderent, atq; alia

huiusmodi inter se contraherent. Nunquid foret vt formidolosa sustineat periclitentúrque quia honestum sit? An liberales? sed cui dabunt absurdum quippe, si etiam ipsis numum, aut tale quippiam adesse dicamus. Nam si temperantes esse eos asseruerimus, quidnam eiusmodi essent? quòd enim prauas cupiditates non habeant, molesta atque inuidiosa laus est, si demum omnia percurramus, quæ ad actiones attinent, parua & indigna diis esse videbuntur. At viuere Deos omnes existimant: quare etiam operati, non enim vt de Endymione dicitur, dormire eos oportet. ei igitur qui viuit, & actione & effectione item magis caret, præter contemplationē quid restat? Quare Dei operatio cum beatitudine excellat, contemplatiua erit: & ex humanis ea erit felicissima, quæ huic maxime est cognata. Argumento illud est, quòd cætera animalia quæ tali operatione penitus carent, expertia felicitatis quoque sunt. Diis enim beata tota vita est. hominibus autem eatenus, quatenus similitudo quædam eiusmodi operationis in ipsis inest. at exterorum animalium nullum est felix, propterea quòd contemplationis particeps nullo modo est. Quousque igitur protenditur contemplatio, eousque etiam felicitas esse extendit: & quibuscunque magis inest contemplatio, iis magis quoque inesse felicitatem constat: atque illam quidem non ex accidenti, sed ex ipsa contēplatione. ipsa enim per se ipsam est pretiosa. Quare felicitas contemplatio quædam est. Opus erit autem & externa prosperitate homini nato. non enim ad contemplandum natura ex sese sufficit, sed oportet, vt & corpus valeat, & alimentum, & cætera obsequia suppetant.

Diis beata tota vita est. hominibus quatenus operationis similitudo in ipsis inest.

peratur. Non tamen multis & magnis opus fore felici existimandum est etiam si absq; externis bonis beatum quempiam esse non liceat. non enim in exuperatione sufficientia consistit, neq; iudicium, neque actio: quippe cùm fieri possit, vt qui etiam terræ & mari non imperat, honesta agat, ex mediocribus siquidem rebus agere ex virtute vnusquisq; posset. Id quod cernere inde euidenter licet, quòd priuati homines non minus, imo etiam magis quàm potentes, honesta agere videntur. Satis igitur est, si tot facultates suppetant. felix enim erit vita eius, qui ex virtute operatur. Quin & Solon felices recte fortasse definit: cum inquit eos esse qui externis rebus mediocriter fuerunt instructi, & honestissima egerunt, vt existimabat, modestéque vixerunt. fieri enim potest, vt mediocria possidentes ea agant, quæ oportet. Videtur etiam Anaxagoras felicem non diuitem neq; potentem existimasse: cùm dixit, sibi non esse mirum futurū, plerisque è vulgo absurdus quispiam esse videatur: eos enim externis rebus, quarum tantummodo sensum habent, iudicare consueuisse. Sapientū igitur opiniones cum rationibus conferunt, ac fidem quidem aliquam talia quoq; afferunt: sed verum ipsum tamen in agendis rebus ex factis & vita iudicatur: in his enim præcipua vis consistit. Quocirca ante dicta ita consideranda sunt, vt ad vitam & facta referantur: & si cum factis consentiunt, admittenda: sin ab eis discrepant, verba sunt existimanda. At qui ex intellectu operatur, húncque excolit, atque optime afficit: is esse Deo carissimus videtur. nam si aliquam humanarum rerum curam dij habent, sicut videtur: consentaneum est ipsos re-

Quòd Deo carissimus.

illa quæ optima est, atq; ipsis maxime cognata, delectari, qui est intellectus: eósque qui eam maxime amant, & honorant, remunerari, vtpote qui eorum quæ ipsis sunt amica, curam habeat, rectéque & honestè agant. Hæc autem omnia sapienti maxime inesse, obscurum non est. Beatissimus autem est Deo carissimus: eundémque esse etiam felicissimum verisimile est. Quare ita quoque efficitur, vt sapiens maxime felix sit.

Peroratio operis.

CAP. IX.

NVnquid igitur si de his & virtutibus, præterea etiam de amicitia & voluptate satis figura dictum est, finem habere propositum huic nostrum est existimandum? An quemadmodum dicitur, in agendis rebus finis non est contemplari singula & cognoscere, sed agere: neq; igitur in virtute satis est, si eam cognouerimus, sed vt eam habeamus, cáq; vtamur, est enitendum: vel si quo alio modo boni efficimur. Nam si verba ad reddendos homines probos sufficerent, multas sanè & magnas mercedes, vt inquit Theognis, afferrent, oporteréq; ea comparare. sed videntur quidem posse liberales adolescentes hortari atque incitare, moréque eorum ad virtute sibi obnoxios generosos, ac vere honestatis studiosos reddere. At pleroſque ad probitatem prouocare, non posse, non enim pudori, sed timori obsidire: neque abstinere à malis ob dedecus, sed ob pœnam cósueuerunt. nam cum ex affectu viuant, proprias voluptates, atque ea ex quibus existunt, persequuntur: doloréque oppositos fugiunt: eius autem quod honestum & vere iucundum est, cùm id prorsus non degustarint, ne notionem quidem vllam habent. Eos igitur qui tales sunt, ad moderationem traducere quæ oratio possit? fieri enim nequit, aut facile non est, vt quæ ex diutino vsu moribus sunt præoccupata, verbis amoueamus. sed satis fortasse est, si quamuis omnia adsint, quibus probi effici videmur, euadere participes virtutis possimus. Fieri autem bonos alij natura, alij consuetudine, alij doctrina existimant. Ac quod ad naturam quidem attinet, in nobis non esse manifestum est, sed ex quadam diuina causa, iis qui re vera fortunati sunt. oratio vero & doctrina videndum est nunquid non in omnibus vim habeat, sed opus sit, vt præcultus auditoris animus sit, ad recte & gaudendum, & odio prosequendum, non secus ac terra, quæ semen sit nutritura. non enim audiret orationem dehortantem, neque intelligeret qui ex perturbatione viuit, qui autem ita affectus est, dissuaderi qui potest? non enim omnino orationi, sed vi cedere perturbatio videtur. Oportet igitur mores prius virtuti esse accommodatos, vt & honestatem diligant, & abhorreant turpitudinem. Vt autem à pueritia quis institutione recta ad virtutem instituatur, difficile est nisi sub talibus legibus fuerit educatus. nam temperanter, tolerantérq; viuere plerisq;, & præsertim adolescentibus iucundum non est. quocirca est opus vt & educatio & studia constituta legibus sint: ita enim fiet, vt consuetudine tractata molesta esse desinant. Non satis tamen fortasse est, si quando adolescentes sunt homines, educationem rectam & curam consequantur: sed cùm in viros quoque adulti debeant ipsa hæc exercere, atque assuescere ad hæc etiam, & omnino ad omnem

vitam opus legibus est. plerique enim necessitati potius quàm rationi & multis quàm honestum obediunt. Qua propter sunt, qui legislatores censeant inuitare ad virtutem ac prouocare homines honestatis causa debere: eò quòd probi ex consuetudine præcipue obtemperaturi sint illis vero qui non parent, sùntque natura inertiores, castigationes & pœnas irrogare: qui autem insanabiles sunt, prorsus exterminare. probum enim & qui ad honestatem viuit, rationi esse obediturum: prauum autem voluptatem appetentem non secus ac iumentum dolore puniri. vnde etiam tales dolores exhiberi oportere inquiunt, qui voluptatibus quæ amantur, maxime aduersentur. Quòd si quemadmodum dictum est, cum qui bonus futurus est, honeste educatum esse, atque assuetum oportet: deinde ita in honestis studiis viuere, & neque inuitum neque sponte prava agere: id autem fieri, si ex intellectu quodam & recto ordine vim habentis vita traduceretur: paterna quidem iussio neque vim, neque necessitatem habet: sicque omnino viri vnius, nisi rex, aut talis aliquis sit, ac lex, cùm ex prudentia quadam ex mente profecta oratio sit, cogendi vim habet. Atque homines quidem qui appetitionibus aduersantur, etiam si recte id faciant, plerique odio prosequuntur. at lex cum probitatem iubet, odio non est. In sola vero Lacedæmoniorum ciuitate cum paucis educationis & studiorum habuisse curam legislator videtur: in plerisq; aliis neglecta haec fuerunt: viuitque vnusquisque sicut vult, Cyclopum more, filiis dans iura suis & vxori. Præstantissimum quidem est, vt curam publicam & rectam habeamus, atque id facere possimus: si tamen publice id negligatur: conuenire vnicuiq; videtur, vt liberis suis & amicis ad virtutem conducat, vel conducere saltem proponat. Maxime autem id posse facere videretur ex iis quæ dicta sunt, is qui ad leges ferendas idoneus euaserit. per leges enim videlicet curæ publicæ, atq; honestæ per honestas fieri consueuerunt. Scriptæne sint an non scriptæ, interesse nihil videtur: neque vnúsne an multi per eas instituantur, quemadmodum neque in musica, & exercitatoria, cæterisque aliis studiis. Sicut enim in ciuitatibus legum instituta & mores: sic in domibus paternæ orationes, & mores valent. quin ob cognationē & beneficia etiam magis: quippe cùm affecti erga parentes iamdudum, atque obtemperantes natura sint. Adde quòd priuatæ educationes à publicis differunt: non secus atq; in medicina. cùm enim vniuersaliter febricitanti medicina, cùm quales conferat: alicui tamen forte non ea conducit, & pugillandi artifex non omnibus fortasse eandem pugnam imponit. Videnturque magis exacte absolui singula si priuata cura adhibeatur. magis enim quod accommodatum sibi est, vnusquisque consequitur. Sed cui tamen optime adhiberet quidem † singulis rebus & medicus & exercitationis magister, & vnusquisque alius, qui vniuersale cognosceret, quid omnibus aut talibus conducat: communiū enim rerum scientiæ & dicuntur, & sunt. nihil tamen fortasse vetat, quominus vnius alicuius rei, licet scientia præditus non sit, curam habere quispiam possit: qui modo quæ in vnaquaque re accidant, experientia diligenter obseruarit. Quemadmodum etiam medici nonnulli optimi esse sibi ipsis videntur, qui alteri ferre opem

† a. l. vniuersalibus.

nullam queunt. nec minus fortasse ei qui artifex & contemplatiuus effici vult, ad vniuersa videtur esse procedendum, atque id quomodo fieri possit, cognoscendum de hoc enim scientias esse dictum iam est. Ac fortasse ei qui vult siue multos, siue paucos diligentia ac studio meliores reddere, vt ad legumlationem, idoneos euadat, enitendum est: si legibus boni effici possumus. quamcunque enim & prius latam rem disponere cuiuslibet non est: sed si modo est cuispiam, est scientis, sicut in equestri arte, & reliquis quarum cura aliqua & prudetia est. Ad hæc igitur considerandum, vnde aut quomodo ad leges ferendas fieri idoneus quispiam possit, an sicut in exteris sit, ex ciuilibus? An non hinc quid in ciuili & reliquis scientiis & facultatibus appareat: quippe cùm in exteris iidem facultates tradant qui ex eis operantur: vt medici, & pictores. ciuiles autem res rhetores docere profiteantur, cùm tamen nemo ex ipsis eas agat, nisi illi tantum qui rempublicam gerunt. qui quidem facultate quadam potius & experientia quàm intellectione id agunt. Nam neq; ipsi neque dicere de huiusmodi rebus conspicuntur: cùm tamen fortasse id præclarius esset quàm iudiciales & deliberatiuas orationes facere. Neque ciuiles vel filios suos, vel aliquos alios reddere amicos videntur: id quod tamen sanè consentaneum, si modo potuissent. neque enim ciuitatibus melius quicquam relinquitur neque vel sibi vel carissimis quibusque adipiquicquam quàm huiusmodi facultatem contuissent. Non parum tamen conferre experientia videtur: non enim ex ciuili consuetudine legis ciuiles redderentur, vnde etiam fit, vt qui

ciuili facultate cognoscere appetunt, iis opus insuper experientia sit. At rhetores ij, qui hæc profitentur, valde procul abesse ab ea docenda videntur. neque enim omnino qualisnam ea sit, & circa quæ versetur, sciunt. non enim eandem cum rhetorica, aut peiorem eam esse statuerent: neq; legum institutionem facilem esse existimarent, cùm approbatas leges collegerit quispiam, posse inde optimas eligi asserentes: quasi electio ea perspicacitate non indigeat, & iudicare recte maximum non sit. Non secus atque in musica euenit. periti namque in singulis opera recte iudicant: & quibus, aut quomodo perficiantur, quæ debent: qualia item qualibus consonent, cognoscere consueuerunt. imperitis vero satis est, si benè, an male factum opus sit, eos non lateat, sicut in pictura. Leges enim ciuilibus operibus similes sunt. Quomodo igitur ex his ad legumlationem idoneus euadere, aut optimas quasque iudicare quispiam posset? Nam neque ex scriptis ad medendum idonei fieri videntur: cùm tamen in his non solum curationes, sed quomodo etiam & sanari queant homines, & curatio adhibenda sit vniuscuiusq; habitu distincto, tradere conentur. quæ sanè sine experti conducunt, ita inscientibus inutilia sunt. Fortasse igitur legum quoque & rerum publicarum collectiones iis qui contemplari possunt, & iudicare quidnam recte, aut contra sese habeat, aut qualia qualibus conueniant, vtiles essent, at qui sine habitu talia pertractant, iis iudicare quidem recte non licet, nisi fortuito. perspiciores tamen ad ea fortasse efficerentur. Cùm itaque antiquiores negotium de legumlatione imperuestigatum prætermiserint: melius

fortasse

fortasse est, vt nos ipsi id consideremus: atque omnino de republica: vt pro viribus philosophia quæ ad humanas res spectat, perficiatur. Quocirca primum si quid à veteribus recte dictum est, id conabimur recensere: deinde ex collectis rebus publicis, quænam sint ea considerabimus, quæ ciuitates, & singulas respublicas & corrumpunt & conseruant, quásque ob causas aliæ bene, aliæ econtrario administrentur. His enim consideratis quænam optima respublica sit, & quomodo vnaquæque instituta, quibúsque legibus & moribus vtens: magis perspicere poterimus. Sumpto igitur hinc initio dicamus.

Librorum Decem Moralium Nicomachiorum finis.

Etsi hoc Moralium Nicomachiorum liber ex Aristot. verbis, Politicorum liber sui sequi debere videatur: tamen quoniam & alij eius nomine libri de morib. pertractantes inueniuntur, eos omnes, ne Moralis Philosophiæ fieret interruptio, ante illos de Respub. edere opportunum visum est.

ARIST

ARISTOTELIS STAGIRITAE, PERIPATETICORVM Principis, Magnorum Moralium

LIBER PRIMVS.

Georgio Valla Placentino interprete.

SVMMÆ LIBRI.

De bono. De virtute in genere. De vitiorum, ac aliis quæ ad ipsum spectant. De virtutum speciebus. De vitiis, quibus ipsam euitemus.

De virtute agendum esse: & antiquorum de ea asseruntur opiniones.

CAP. I.

QVoniam de pertinentibus ad mores dicere constituimus, primum cuiusnam rei pars sit mos, ducimus considerandum. Vt igitur paucis absoluã, non rei alius videtur pars esse, quàm ciuilis. Atqui ciuilibus in rebus citra quempiã qualem esse, effici nihil potest, qualem inquam, vt studiosum esse, ac probum, studiosum porro esse,

esse, idem quòd virtutes habere. Quòd si quispiam ciuilibus in rebus solers esse debeat, eundem moris studiosum esse oportet. Apparet itaque rei ciuilis, omne negocium quod circa mores est, partem esse atque principium: vt in totum iure mihi videatur habere appellationem negotium atque tractatio, non moralem, sed ciuilem. Expedit itaque (vt est videre) de virtute primum dicere, & quid sit, & ex quibus constet. Nec enim fere vtile fuerit virtutem quidem nosse, vt vero sit, ac ex quibus, negligere, quãdoquidem ex quibus sit cõiectare: nedum vt norimus quid sit, consyderandum. simul enim nosse volumus, ac huiusmodi nos esse. At nequaquã facere poterimus, nisi ex quibus, & quomodo sit percalluerimus. Scire igitur quid sit virtus, necesse est, siquidẽ & ex quibus sit, & quomodo, scitu haud quaquam facile est ignoranti quid sit, quemadmodum in scientiis. Verum ne latere quidẽ nos oportet, si qui de his prius disseruere. Primum igitur Pythagoras de virtute dicere aggressus est, quanquam non recte, virtutes siquidem ad numeros referendo, suam virtutum nõ fecit spectionem, nec enim iustitia est numerus paritèr par. Cui succedens Socrates de hac re nõ nihil pleraque disseruit: sed ne ipse quidem recte, quoniam virtutes scientias efficiebat: quod fieri nullo modo potest. Cunctæ siquidem scientiæ cum ratione: atqui ratio in solo animæ gignitur intellectu: quocirca virtutes omnes, in animæ parte rationali efficiantur, necesse est. Euenit itaque, vt qui virtutes scientias faciat, irrationalem animæ partem extinguat, quod faciendo, affectum ac morem perimat. Quamobrem non recte hoc modo virtutes amplexus est.

Postea

Postea demũ Plato animam in partem quæ teneret rationẽ, & in eam quæ esset rationis expers, recte distribuit: reddidítque suas vtrique virtutes, quatenus hęc, probe: reliqua vero, neutiquam recte, quandoquidem virtutem cum tractatione quæ de bono per se esset, admiscuit: nõ equidem recte, quia non peculiare, & suum: neq; enim de eo quod est, ac de vero differentem, de virtute dicere oportuit: illi siquidem nihil est cũ hoc commune. Tanta igitur illi, & hoc modo amplexi sunt.

De bono in communi.

CAP. II.

DEinceps ergo nobis coniectandum, quidnam de his dicendum fuerit. Intuendum igitur est in primis, scientiæ omnis atque facultatis finem esse aliquem, idque per se bonũ. nulla siquidem scientia, facultas nulla mali causa est. Quòd si facultatum omnium bonus est finis, non dubium, quin etiam optimæ sit optimus: atqui ciuilis optima est facultas: igitur ipsius finis bonus. De bono itaque (vt videtur) nobis dicendum est. At de bono non in vniuersum, sed nobis bono. neque enim Deorum bonum agendũ est, quemadmodum de eo alia habenda fuerit oratio, & consideratio nunc sit aliena. De nobis itaque bono dicendum est. De quo sanè disserendum in primis est, quõnam dicatur modo. neque enim simplex atque vnum est, quandoquidem dicitur bonum, aut quod in vnoquoque est optimũ, id vero suapte natura deligibile: aut cuius participatione alia sunt bona, id nimirum, idea boni est. An igitur de boni idea loqui oportet? An non? atqui vt commune, quod est in omnibus

nibus bonum. aliud enim ab ipsa idea videri debet, siquidem separatile id per sese est, quod ideae commune vero in cunctis existit, non vnquam idem quod separatile. nec enim vnquam separatile, & per sese agnatam vim habens in cunctis fuerit. Nunquid igitur de hoc nobis disserendum bono, quod in omnibus existit? An nihil ita? nempe quoniam id commune est, vt definitio & inductio. definitionem autē oportet cuiuslibet referre essentiam, seu bonum, seu malum sit, seu quiduis aliud, refert certe definitio, vt eiusmodi bonum in vniuersum est, inquatenus ipsum per sese deligibile. Verum quod in cunctis existit, definitioni est simile, definitio certe ait bonum esse quippiam, quod neq; scientia, neque facultas vlla dicit. neque enim finem suum asserit bonum esse, verum id alterius est inspicere facultatis, quandoquidem neque medicus, neque ædificator refert, hic quidem sanitatem esse bonam, ille vero domum, sed hic quidem quod sanitatem prætendat, & quemadmodum faciat, ille vero domum. Non dubium igitur, quin ne rei ciuili quidem de cōmuni bono dicendum sit: vna siquidem & hæc reliquarum sciētiarum est. Atqui hoc nullius est dicere artis facultatis, aut scientiæ, vt de fine, ne quidem igitur rei ciuilis, quod de communi bono est dicere, eo, quod per definitionem est. Verum enimuero neque de eo, quod per inductionem communē: quid ita? quod, cùm voluerimus particulariter aliquod bonum demonstrare, aut definitione demonstramus, vt ratio eadem congruat et quod per se bonum, & et quod bonum esse demonstrare voluerimus: aut inductione, sicut cùm velimus magnanimitatē bonū esse demonstrare,

strare, dicimus, nimirum iustitia bonum est, & fortitudo, ac omnino virtutes: magnanimitas autem virtus est ergo & magnanimitas bonum. Non igitur de communi per inductionem bono rei ciuili dicendum est: quòd eadem contingere non possunt huic, & per definitionem communi bono, nam quod bonum, hinc etiam dicet. Manifestum igitur de optimo bono dicēdum esse, eōq; quod nobis optimum sit. In totum autem videris quispiam non vnius esse scientiæ aut facultatis de vniuersali bono cōsiderare. Cur ita? nempe quòd bonum est in omnibus prædicamentis, nam in quo, in quali, in quanto, in quādo, in ad aliquid, ac prorsus in omnibus. Cæterum quando bonum in medicina, medicus noscitat in gubernatoria, gubernator: & in singulis singuli. Quando secundum quidē sit, nouit medicus: at quando naui gandum, gubernator. In qualibet vtique quando bonū, quiuis quod propter se cognouerit. neque enim medicus quod in gubernatoria bonum quando cognouerit neque gubernator, quod in medicina. Ne igitur quidem hoc modo de communi bono dicēdum est, siquidem quando, in cunctis commune est, similiter etiam quod ad aliquid bonū, ac quod in aliis prædicamentis, commune est omnibus. Atqui nullius est facultatis, aut scientiæ dicere de eo bono quod in vnaquaq; est: ne igitur quidem rei ciuilis est dicere de communi bono, de bono igitur, ac de optimo, atque nobis optimo. Cæterum, cùm qui velit quippiam demonstrare, minime apertis non oportet exemplis vti, sed vbi obscura aperienda sint, manifestis, ac in eis quæ sub intelligentiam cadunt, sensibilibus: ea siquidem sunt apertissima. Cùm igitur de bono

dicere quispiam tentauerit, de idea neutiquam dicendum est tametsi de idea dicendum existimem, vbi de bono dicant. Aiunt nanque de magni ne bono esse disserendum, at id vnumquodq; præcipue tale est, vt præcipue sit bonum idea, ut opinantur, huiusmodi certe oratio sortassis vera. verum neutiquam ciuilis scientia vel facultas, de qua in præsentia nobis est oratio, de hoc per se bono, sed nobis bono. Nulla siquidé scientia aut facultas de fine loquitur, quòd sit bonus & proinde, ne quidem res ciuilis, ideo non de bono, quod iuxta ideam est, loquitur. Verum sortassis ait, hoc per se bono vtendum esse principio, ab eo progrediendo ad singula. In quo ne ita quidem recte, expedit siquidem, sua cuiusliber sumere principia. absurdum enim sit, volenti ostendere triangulum duobus rectis æquales habere angulos, sumere principium eiusmodi, anima immortalis est neque enim hoc proprium oportet siquidem principium suũ esse eius rei qua de agatur, atque coniunctum, nunc vero absque hoc quid anima sit immortalis, demonstrauerit quispiam duobus rectis æquales habere triangulum, itidem & de bonis est inspicere alia citra ideam boni, proinde proprium non est huius per se boni principium. Ac ne quidem Socrates recte scictias virtutes faciebat. Is enim nihil incassum & temere esse arbitratus est, ex eo autem quod est, virtutes esse scientias, ei euenichat virtutes esse frustra, quid ita? In scientiis nimirum contingit partier nosse scientiam quid est, & scitum esse. nam siquis norit quid sit medicina, is confestim est medicus, similiter etiam in aliis scientiis. At in virtutibus non idem est, neque enim si quis nouerit quid sit iustitia,

tia, continuo etiam iustus est: itidem & in aliis. Euenit igitur, & temere virtutes esse, & non esse scientias.

Quot modis dicatur bonum.

CAP. III.

ATquoniam de his nobis disserendum est, annitamur bonum dicere, quot dicatur modis. Sunt nimirum bonorum alia honorabilia, laudabilia alia, potentiæ alia, honorabile huiusmodi dico, quod diuinum, quod melius vt anima mẽsique est, quod antiquius, quod principium, & alia id genus. Honorabilia certe, in quibus honorificatio siquidem omnia honor comes consequitur. igitur etiam virtus honorabile bonum est, quando ab ipsa probus quispiam egitur, is nanque in virtutis penetrat habitum. At laudabilia, vt virtutes, ab ipsarũ nanque actionibus laus emergit. Quæ vero potentiæ, vt dominatus, opulentia, robur, pulchritudo, iis nanque bonus bene, vt malus male vti potuerit, ideo etiam potentiæ eiusmodi bona nuncupantur, bona certe sunt: vsu siquidem ipsorum boni, non vtique mali approbantur, id genus nimirũ bonis euenit, ortus causam ipsorum esse fortunam, à fortuna nanque & opulentia, & dominatus est, & quæcunque prorsus in potestatis ordinem perueniunt. Reliquum porrò ac quartum inter bona est salubre, etiam bonum efficiens, sicut exercitium sanitatis, ac si id genus est aliud. Verum aliam quoque subeunt bona distributionem. Vt bonorum quædam prorsus & omnifariam sunt eligibilia, quædam vero non, veluti iustitia, aliæque virtutes, omnifariam & omnino sunt eligibiles, at robur, & opulentia, potens-

tiáque,& id genus alia,neque omnifariam ne-
omnino. Rursus quoque aliter. Bonorum alia
Alia Boni diuisio. sunt fines,alia nō, quemadmodum sanitas quidem finis:atque sanitatis causa neutiquam hoc est. Et quæcunque ita habent, eorum semper finis melior,vt sanitas melior quā quæ salubria, in totúmq; prorsus id melius,cuius gratia sunt & alia. Rursus ipsorum finium, præstat semper qui perfectus est imperfecto. Est nimirum perfectus,cuius accessu nullo amplius nobis opus est. Imperfectus autem,cuius aduētu alium desideramus, quemadmodum iustitiæ duntaxat aduentu, plura desideramus, at felicitatis accessu,nulla re amplius nobis opus est. Is ergo nobis optimus quem desideramus,qui finis perfectus,absolutus nanque finis bonum est:necnō
De optimo. finis bonum. Hinc igitur, quonammodo optimum considerandum est:nunquid eo modo vt ipsum quoq; recenseamus. An id videbitur alienum?siquidem optimum finis est perfectus, ac perfectus finis, vt paucis absoluam, nil aliud quàm felicitas esse videtur. Ex multis porro bonis felicitatem constare comprobatur. Quòd si optimum coniectans,ipsum quoque cum aliis annumeres.ipsum se melius esse cōstabit, siquidem optimum erit. Vt salubria ponendo & sanitatem,consideres quidnam horum omnium optimum,nempe sanitas: quòd si horum optimum est,id se quoque melius, quod admodum absurdum est: non igitur optimum ita coniectandum. Sed an id quodāmodo fuerit, vt absit?An hoc etiam absurdū:nam felicitas ex quibusdam conflata bonis est, hoc vero ex quibus constet bonis,an sic optimum, considerare fuerit alienum.neque enim est quicquam aliud ab

his felicitas,verum hæc ipsa,an ita quispiam rem concernens, optimum considerauerit? sicut ipsam felicitatem quæ ex his sit bonis,diiudicās erga alia quæ in ipsa collecta non sunt:ita optimum considerans, recte considerauerit. Cæterum non est simplex,quod nūc quærimus,optimum, vt dicat quispiam, optimum cunctorum bonorum, in vnum concretorum esse prudentiam. Verum hoc ferè modo, non quærendū est optimum bonū,perfectum siquidem quærimus bonum. At prudentia sola, neutiquam perfectū. non igitur hoc optimum quod quærimus, neq; indagamus optimum. Præterea aliam admittūt
Alia item diuisio. bona sectionem,sunt siquidem bonorum alia in anima, vt virtutes:alia in corpore, vt sanitas, venustas: alia externa. opulentia, dominatus, honor,& si quid est huiusmodi. At horum quæ in anima sunt,oprima. Quæ porro in anima denuo sunt bona,trifariam distribuūtur, in prudentiam,in virtutem,& in voluptatem. Post hoc igitur,quod profitemur omnes, etiam finis videtur bonorum, idēmque absolutissimum esse felicitas,quod sane fatemur esse in bene agēdo, ac bene viuendo. Cæterum finis simplex nō est, sed duplex.quorūdam enim est finis ipsa actio, vtique,sicut visus. Est nimirum vsus optabilior habitu:finis autem vsus,nemo siquidem velit vi sum habere ad non spectandum, sed conuictandum.idem de auditu, cæterisque dicendū, proinde quorum vsus & habitus est,semper melius & optabilius eorum est vsus habitu. vsus enim & actio finis,cùm sit propter vsum ipse habitus. Post id si considerauerit quispiam in cunctis cæteris intuebitur non aliam esse cōsiderationem in extruenda domo,quàm in pro^ba domo,

sed vtrobique suppetere ædificatoriam, & cuius effector ædificator, vt cuius sit virtus, eiusdem sit effectrix. Idem in aliis omnibus parebit coniectare.

Virtutem in anima esse: felicitatem vero in actione consistere, & in ætate perfecta.

CAP. IIII.

PRæterea intuemur, alia re nulla, quàm anima nos viuere, in anima autem est virtus: idem certe fatemur facere animam, animæque virtutem. Cæterum virtus in vnoquoque cuius est virtus, idem facit, at anima etiam alia. Atque anima viuimus, ob animæ itaque virtutem bene viuimus. Cæterum bene viuere, & bene agere nihil aliud dicimus, quàm felicem esse: ergo & feliciter agere, & felicitas in viuendo est, verum bene viuere est in viuendo ex virtutibus. hoc igitur est finis, & felicitas, & optimum. In vsu itaque sit, necesse est & actione felicitas. nam quotenus habitus vsúsque est, vsus & actio finis: atqui animæ virtus est habitus, & actio & vsus ipsius eorum quæ sub electionem cadunt: ergo finis ipsius actio vsúsque fuerit, felicitas igitur in viuendo ex virtutibus sit, necesse est. Quoniã igitur optimum bonũ est felicitas, & hæc ipsa finis, actione viuendo ex virtutibus, felices fuerimus, optimúmque bonum habuerimus. Cùm igitur & felicitas bonum perfectum ac finis, nos latere non oportet, id in ætate perfecta esse. non enim in puero (quia nec puer dici felix potest) sed viro, is nanque perfectus, & ne quidem in tempore imperfecto, sed perfecto, perfectũ fuerit vitæ tempus. quandiu homo viuere potuerit, erit: nanque à multis dicitur, felicem in longissimum

vitæ tempore esse iudicandum: vt opus sit perfectum esse, & in tempore perfecto, & in homine. Quòd autem sit actio, hinc quispiam poterit intueri. In somnis nanque, vt inter viuendum si quispiam dormiat, eiusmodi nolim talem dicere esse felicem, ipsi quidem existit viuere: sed eidem ex virtutibus, quod erat ex actione, viuere non existit.

De anima altrice portione quadam: & in ipsa virtutem non esse.

CAP. V.

RVrsus quod mox dicendum, non admodum quæ diximus participare, & ne quidem ab ipsis longe abesse videbitur, quippe quòd animæ portio quædam esse putetur qua alimur, quam altricem appellamus. iure profectò ea: siquidem lapides ali non posse intuemur, & perinde non dubium, quin sit ali animatorum causa. Quòd si animatorum causa est anima, atq; animæ talium partium nulla alendi fuerit causa, quales sunt rationalis, vel irascibilis, vel concupiscibilis, sed alia quædam præter has, & ei nullum magis peculiare possumus nomen, quàm alentis accõmodare. Dicat fortassis quispiam nunquid ex hac quoq; parte animæ virtutem est. nam si fuerit, non dubium quin etiã eadem agere opus sit, perfectæ siquidem virtutis actio felicitas est. At nunquid eius sit vel nõ sit virtus, alia fuerit oratio. Quæ si fuerit, huius nõ est actio. nam in huiusmodi parte impulsus esse non videtur: sed igni videtur esse consimilis, cui quicquid immiseris, absumet. at si non obieceris, ne quidem ad capiendum impellitur. Ita hæc habet pars animæ, vt si alimẽtum obiicias,

alat: sin minus, ne quidem ad alendum commoueatur, & perinde ne quidem actio, cuius non est commotio, proinde hæc pars ad felicitatem capessendam nihil conducat. Deinceps igitur, quid sit virtus dicendum, quandoquidem eius actio felicitas est. Vt paucis itaque absoluamus, virtus habitus est optimus. Verum non satis fore te sit ita simpliciter loqui, sed euidentius fuerit definiendum.

Virtus habitus est optimus.

Diuisio animæ & virtutem ab excessu defectuque corrumpi.

CAP. VI.

PRimum igitur de anima in qua exoritur, non quid sit anima (alia siquidem eius est consideratio) sed vt quodammodo distribuatur, dicendum est. Anima nimirum, vt receptum est, in duas partes distribuitur, in eam quæ rationem habet, & quæ rationis expers est. Ex ea parte quæ habet rationem, exoritur prudentia, solertia, sapientia, ingenium, memoria, & id genus alia. At ex parte rationis expertes, quæ virtutes appellantur, temperantia, fortitudo, iustitia, & quæuis aliæ, quas ex moribus ducimus esse laudabiles. ex his nanque eos sequi laudem dicimur. At ab eis quæ à ratione dimanant, nemo laudatur. nec enim quòd sapiens, nec quòd prudens, nec prorsus ex huiusmodi aliquo quispiam laudandus accedit. neque porrò rationis expers, quatenus ad se suggerendum idoneum est, suggeritque ei quod obtinet rationem. Est nempe moralis virtus, quæ ab excessu defectúque corrumpitur. Quod autem tam defectus quàm excessus corrumpat, ex eis est videre quæ ad mores pertinent. (videndum sanè in rebus incertis testimonijs certis est.) Confestim nanque in exercitijs hoc videre est quispiam, quæ si excedant, robur affligunt: sin deficiant, eodem modo habent. idem in potu cibóque euenit: affluentibus enim sanitas absumitur. idem fit & subductis: quæ si moderata fuerint, corporis firmitudinem custodiunt atq; sanitatem. His consimile euenit in temperantia & fortitudine, reliquísque virtutibus: nam si quempiam eò vsque feceris intrepidum, vt ne quidem Deos metuat, iam non fortis, sed demens fuerit. sin cuncta formidantem, meticulosus. fortis ergo erit, qui neque omnia metuet, neque nihil. Hęc igitur tam augent, quàm labefaciunt virtutem. nimij nanque metus, & omnes labefaciunt, itidem qui de re nulla metu commouentur: atqui circa metus est fortitudo: mediocriter itaque metus fortitudinem locupletat. ab eisdem igitur tam amplificatur quàm labefactatur fortitudo. ex metu nanque ita afficiantur. idem de cæteris dicendum virtutibus.

Virtutem inter voluptatem & ægritudinem collocari. Et vnde moralis virtus dicta sit.

CAP. VII.

RVrsus, non his modo virtutem quispiam definierit, sed etiam ægritudine & voluptate. Nam voluptate allecti, improba factitamus: ægritudini autem succumbentes, ab honestis deficimus. alioqui non est virtutem & vitium admittere citra ægritudinem & voluptatem. inter voluptates igitur & ægritudines virtus collocatur. Virtus porrò moralis hinc cognomen habet, si modo velimus ex literis veritatem excutere. dicèdum erit * morem à mora

* ἠθος ἀπὸ τοῦ ἔθους, mutato ε in η. ac pulchre sitvt Latina vocem cum Græcis consentiant.

habuisse cognomen, breuis in longam literæ fi
cta mutatione: moralis siquidé appellatur, quod
ex mora assuescat. Id q; certum, quòd virtus mo
la, quæ ex parte oriatur irrationali, ex natura
nascatur. siquidem eorum quæ natura fiunt, ni
hil est quod assuetudine aliud euadat. velut la
pis, grauiáq; prorsus omnia, quæ ferendi deor
sum vim agnatam habent, si à quouis sursum
versus sæpius iactari assuescant, nunquá tamen
sursum attollentur, sed semper deorsum cadent.
idem de cæteris est intelligendum.

De affectibus, potentiis & habitibus.

CAP. VIII.

PRæterea, qui velit quid sit virtus dicere, ho
re expedit quænam demum in anima pro
creentur. Sunt autem hæc huiusmodi, affectus,
potentiæ, habitus. & proinde non dubium, quin
horum quædam sit virtus. Affectus igitur sunt
ira, metus, odium, cupido, liuor, miseratio. talia
comitari consueuerunt ægritudo, & voluptas.
Potentiæ autem, quibus affici dicimur: nempe
vnde possumus excandescere, ægrescere, mise
rescere, & alia huiusmodi. At habitus sunt, vt
de erga hæc habemus bene, vel male, sicut ad
excandescendum. si nanq; supra modum irasci
de, male in ira habemus. sin in quibus expedit,
prorsus ad iram non commouemur, ita quoq;
male in ira habemus. mediocriter itaq; habem
do, vt neque supra modum commoueamur, ne
que prorsus simus incommobiles, tum si ita ha
beamus, recte affecti sumus. In similibus quo
que aliis idem intelligendum. iracundum nam
que & bene, in medio iræ & ad iram incom
mobilitatis positum est. Simile est in iactantia &

& dissimulatione, plura nanque quàm adsint si
bi arrogare, iactantiæ est. minus vero, dissimu
lationis. inter hæc igitur medium est veritas.
idem in cæteris omnibus est intelligendum. id
enim proprium ipsius est habitus, vt bene ma
leve erga hæc habeat, bene in iis habere fuerit
neq; excedere neq; deficere. erga medium ita
que istorum vnde laudandi accedimus, habitus
est: sicut male erga excessum & defectum. quan
doquidem igitur harum perturbationum vir
tus est medium: perturbationes autem sunt æ
gritudines & voluptates, aut non citra ægritu
dinem vel voluptatem: virtus certe est circa æ
gritudines vel voluptates. id quod hinc certũ,
sunt nimirum etiam affectus alij, vt videbitur
cuipiam, in quibus non in excessu & defectu
aliquo est vitium: velut adulterium, & adulter.
hic enim magis est talis, qui ingenuas constu
prarit. Cæterum & hoc, & si quid aliud huius
modi est, quod à voluptate comprehenditur,
quæ per intemperantiam, vel etiam quod in
defectu, quódque in excessu sub vituperatio
nem cadit.

Quid medietati opponatur.

CAP. IX.

DIuinceps igitur fuerit sane dictu necessa
rium, quidnam demum medietati aduer
setur, excessúsne an defectus. Nam quibusdam
medietatibus defectus opponitur, vt nonnul
lis excessus. sicut fortitudini neutiquam excess
sus existens audacia, sed quæ defectus est timi
ditas, temperantiæ vero intemperantia & incõ
mobilitas circa voluptates, non vtiq; quæ de
fectus est incommobilitas opponitur, sed intem

perant

perantia quæ excessus est. Sunt nimirum vtraque tam excessus quàm defectus medietati opposita. medietas siquidem excessu inferior, sed defectu superior. Ideo etiam prodigi, liberales esse illiberales ajunt, contra illiberales, prodigos vocant. Audaces vero & petulantes, fortes nominant timidos, vt timidi, fortes petulantes & furibundos dicendos putant. Duabus itaque de causis duximus medietati opponendum esse excessum atque defectum. quippe quod è re ipsa licet nobis considerare, vtrum potius extremorum ad medium propius accedat. propinquior ne liberalitatis sit prodigalitas, an auaritia, longinquior certe fuerit auaritia. atqui à medio quæ magis absunt, magis opposita existimantur, è re itaque ipsa defectum magis opponi apparet. Est etiam & aliter videre. vt ad quæ mentem magis pronam habemus, ea medio sint magis contraria. velut ad intemperantiam nati sumus proniores, quàm ad decus capessendum. quamobrem si additamentum potius ad ea fiat, ad quæ sumus proniores, ad quæ fit additamentum, ea sunt magis contraria: atqui proniores ad intemperantiam sumus, quàm ad decus capessendum: magis ergo excessus medietati contrarius: intemperantia siquidem intemperantiæ est excessus. Quid demum sit virtus, hinc nobis liceret intueri, medietas siquidem affectuum quædam esse videtur. Proinde qui velit moribus comprobari, ei affectuum medietas est quæuis constituenda. Et perinde probum esse operosum atque difficile est: quandoquidem in vnoquoque medium capere operosum est, velut circulum describere cuiuis obuium est: at in ipso medium capere arduum.

Affectuũ medietas virtus est.

arduum. itidem & excandescere quidem facile, nec non contrarium hic: at mediocriter habere, arduum. In totum autem in quauis pertutbatione est videre, quod medium ambiat esse facile, medium vero vnde laudemur, arduũ. ideo etiam raro probus.

Probi & malos esse in nobis existere: vbi redargnitur Socrates, aliter opinatus.

CAP. X.

QVoniam de virtute dictum est, deinceps fuerit considerandum, possit ea adesse nobis nécne. Verum quemadmodum Socrates dixit, in nobis non est probos vel malos esse. quandoquidem si quis roget quemuis, velitne iustus esse, an iniustus, nemo delegerit iniustitiam. itidem de fortitudine & timiditate, reliquisque virtutibus semper eodem modo. inde non dubium, quin si mali sint aliqui, non sponte sint mali, & perinde ne quidem probi. Itaque ratio neutiquam vera. nam cur demum legislator mala facere non permittit, at honesta & proba iubet? & in malis quidem multam infligit delinquentibus: in rebus autem honestis, nisi honesta peregerint, alioqui iniquum fuerit, vbi in nobis non sit, hoc legum conditores facere. cæterum, vt videtur, in nobis est probos & improbos esse. Item laudes & vituperationes id quoque attestantur, virtutem eamque laus, vitium autem vituperatio consequitur. atqui laus & vituperatio non inuitus attribuitur: manifestum igitur hoc modo in nostro arbitrio esse bona malaque facere. Collationem vero huiusmodi proferebant, volentes demõstrare vltroneum non esse. quid nanq; est,

est, inquiebant, quòd ægrotantes squalidorem vituperat? At hoc minime verum. tales nam que reprehendimus, cum suæ ægritudinis ipsis causam esse cognouerimus. Quòdq; male habent corpus, vtpote id voluntarium esse, apparet nimirum, in vitio & virtute esse voluntarium. Rectius hinc etiam potuerit quispiam euidentius intueri, quòd omnis natura eius est elementiæ procreatrix, qualis ipsa est. veluti stirpes & animalia. nam vtraque gignunt, ex principiisque producuntvt arbor ex semine. id namq; principium est. Quod porro principia cõseruentur, ita habet. vt enim habuerint principia, ita quoq; de principiis ortum ducunt. Perspicue autem licet hoc in Geometria magis intueri. vbi cùm aliqua sumpseris principia, vt ea habuerint, ita etiam quæ ipsa consequuntur. veluti triangulum duobus rectis æquales habet angulos, quadratum quoque quatuor angulis rectis habeat, necesse est. & si triangulum secus, ita etiam & quadratum commutabitur. ex alia parte enim ei respondet. & si quadratum quatuor angulis rectis æquales non habuerit angulos, ne quidem triangulum duobus rectis habebit æquales. Idem igitur atque consimiliter de homine quoque intelligendum. Nam cum sit homo progenitticis essentiæ, ex principiis quibusdam atque actionibus quibus efficit, hic mo progenerans est. Nam quid aliud? neque enim inanimatum aliquod efficere dicimus, neq; etiam animatorum citra hominem quidquam. manifestum igitur, actionum hominem esse progenitorem. Proinde quoniam actiones commutari intuemur, nec eadem vnquam agimus, sùntque actiones ex aliquibus progenitis principiis, manifestum, quandoquidem actiones immutantur, etiam actionũ immutari principia, à quibus sunt: quemadmodum collatione ostendimus geometrica. Atqui actionis tam bonæ quàm malæ principium est propositum & voluntas, & quicquid ad rationem tendit. Non dubium igitur, quin hæc quoque commutentur. sponte nanque actiones immutamus, & perinde etiam principium atque propositum. nam hæc sponte fit mutatio. Proinde non dubium, quin in nobis sit & probos & malos esse. Forte hic quispiam occurrerit. quandoquidem inest iustum probúmque esse, ero si voluero omnium probissimus. Id fieri nullo modo potest. cur-nam? quoniam non hoc in corpore gignitur. neq; enim si quispiam voluerit corporis curam habere, omnium optimum habebit corpus, nam opus est non curam modo intendere, verum etiam natura honestum & bonum corpus esse. alius certe habebit corpus, non tamen esset omniam optimum. Idem de anima intelligendum est. neq; enim iuxta propositum suum erit omnium probissimus, nisi etiam natura extiterit, melior quidem certe erit.

Dubium.

Solutio.

De spontaneo, & tribus appetitus generibus.

CAP. XI.

QVoniam igitur probum esse in nobis apparet, consequens dictu necessarium videtur de spontaneo differere, quidnam sit spontaneum: ad virtutem nanque capessendam dominantissimum est spontaneum. In totum vero dicendum est spontaneum, quod non coacti agimus. verum de hoc, magis adhuc perspicue differendum est. Nempe ad id quod agimus

agimus, aliquis exurgit nobis appetitus, atque tres sunt appetitus species, cupiditas, furor, voluntas. Primum igitur actionem, quæ à cupiditate oritur, ducimus coniectãdam, vitroneáne, an inuita sit, inuita neutiquam esse videri debet. cur ira, & vnde id? nempe quòd quæcunque inuiti agimus, coacti faciamus necesse est. Atqui vbi subest agentibus aliqua necessitas, agrimonia consequetur. verum ex cupiditate agentes voluptas comitatur. proinde hoc pacto non etit ex cupiditate agere quippiam inuito animo, sed vltroneo. Cæterum ratio est alia, quæ ab incontinẽtia huic aduersatur. Nemo enim, inquiunt, sponte mala peragit, qui sciat mala esse: verum qui incontinens est, scit ea esse improba. agit tamen, ac ex cupiditate illectus agit. non ergo spontaneus: coactus ergo est. Hinc porrò eadem nos oppugnabit oratio. nam si ex cupiditate, non ex necessitate: cupiditatẽ enim voluptas comes consequitur. sed quæ ex voluptate, non possis dicere ex necessitate. Alioquin non dubium est, quin incontinens sponte incontinentia agat: quandoquidem qui afficiens iniuria, vltro afficiunt iniuria: atqui incontinentes iniusti sunt, atque iniuria afficiunt: incontinens ergo in incontinentiam sponte illabitur.

Socratica argumentatio, quòd vltroneũ non esse dicit.

CAP. XII.

VErum enimuero, inquiunt, ratio aduersatur, non esse vltroneum. Continens quidem laudatur, quòd sponte quæ ex continẽtia sunt agat, at laudatur in eis, quæ spõte fiũt. quòd si ex cupiditate vltroneum est, quod cupiditati aduersatur, inuitum erit. sed continens contra cupiditatem insurgit: continens ergo non spontaneus fuerit continens. verum hoc non videtur: non ergo extra id quod ex cupiditate est, voluntarium. Rursus idem est in eis quæ ex furore. eadem nanque huic (quas de cupiditate diximus) rationes conueniunt, & perinde ambiguitatem faciunt. iræ siquidem est, quod ad incontinentem continentẽmque pertinet. Restat species residua appetitum (vt in distributione posuimus) voluntas, vt an sit spontanea, coniectemus. Atqui incontinentes, quatenus impelluntur, eatenus volunt. agunt igitur incontinentes mala, volentes. sponte nimirum nemo mala agit, vbi sciat esse mala: neque incontinens mala agit, volens mala agere: non ergo spontaneus. Ne quidem igitur voluntas est spontanea. Hæc plane perimit oratio incontinentiam, & incontinentem. nam si non spontaneus, ne quidem vituperabilis. at est vituperabilis incontinens, spontaneus ergo. voluntas igitur spontanea. Cùm sint itaque contrariæ quædam rationes magis perspicuæ, de spontaneo differendum est.

De vi.

CAP. XIII.

PRius itaque de vi, & necessitate dicendum fuerit. Vis enim etiam in carentibus animis, singulis nanque inanimatis suus est locus attributus. igni quidem supra, terræ autẽ infra, est nimirum violari, sursum lapidem ferri, ignem vero deorsum. est etiam animal violari, vt equum recta via decurrentem, præoccupatum vertere aliorsum. Quibuscunque igitur

exterior est causa, aliquid contra naturam, aut præterquàm volunt faciendi, cogi dicimus facere quæ faciunt. at quibus ipsis inest causa, hos nequaquam cogi dicimus. Neque incontinens negauerit se malum esse, verum à cupiditate agendi mala se coactum. Violenti igitur hæc nobis erit definitio, quorum agendi causa à quæ cogantur, fuerit externa, vis est. quorum autem interior ac in ipsis causa est, nequaquam vis.

Violenti definitio.

De necessitate.

CAP. XIIII.

RVrsus de necessitate, necessariòque dicendum. Necessarium non omnino, neque in omni dicendum est. quemadmodum sunt quæcunque causa voluptatis agimus. Nam si quispiam dicat se à voluptate coactum quòd adulterem mulierem vitiarit, fuerit alienum. nec enim in omni necessarium est, sed in extrinsecus adeuntibus. vt si offendatur quispiam, à reuera necessitate coactus malus aliud quippiam deuitare. hoc modo in agrum properare coactus sum, nisi fœdatum velim agrum inuenire. in hiusmodi itaque est necessarium.

Spontaneum animi sententia esse: & quamobrem inuitum dicitur.

CAP. XV.

AT quoniam in nullo est impulsu spontaneum, reliquum est vt sit ex animi sententia. Inuitum enim est, quod ex necessitate, vbique efficitur: & tertio loco, quod non sit ex animi sententia. quod plane ex his quæ fiunt, certum est. Nam cùm quis aliquem occiderit, occiderit, aut eiusmodi aliquid effecerit, horū nihil præui-

præuidens, cum dicimus inuitum fecisse: quippe quòd vtroneum in animaduertendo esse facile deprehendatur. Velut olim mulierem aiunt quandam poculum exhibuisse cuidam amatorium. dein eo poculo hominem mortuum concidisse. eam vero mulierem in Areopagum perfugisse, quam præsentem non alia de causa liberarunt, quàm quòd non id præuidens esse eisset. amoris siquidem cupiditate obcæcata, in eo fuerat hallucinata, & perinde neutiquam spontanea eius poculi amatorij visa fuerat exhibitio. quandoquidem non ea mente dederat, vt perderet hominem. Inde igitur in id quod ex animi sententia fit, cadit voluntarium.

De proposito.

CAP. XVI.

RElinquum præterea est, vt propositum delectúmque consideremus, sitne appetitus, necne. Appetitus nanque in cæteris quoque igitur animalibus: propositum vero non. siquidem cum ratione propositum est: at ratio nulli alij deputatur animali: non igitur fuerit appetitus. Verum nunquid voluntas? An ne id quidem? voluntas nanque eorum etiam est, quæ fieri non possunt: velut volumus quidem esse immortales, at id nobis non proponimus, desiderioúsque. Rursus propositum finis non est, sed ad finem, sicut nemo proponit sanescere, sed quæ ad sanitatem tendunt proponimus, deambulando, cursitando. at fines volumus. bene enim valere volumus. Hinc certum est, non idem esse voluntatem & propositum. Verum ita habere videtur propositum, vt eius est appellatio. vt hoc pro illo ponimus, atque deligi-

mus.sicut optimum pro deteriore, quod in nostra sit optione,& perinde deligi suum esse videatur. Quòd si horum nihil est propositum, nunquid quod ex animi sententia, id in proposito est? An ne id quidem.multa enim intelligimus & opinamur ex animi sententia. Nunquid igitur quæ intelligimus, ex etiam proponimus? an non? sæpe siquidem intelligimus de habitu: at nequaquam proponimus atque deligimus. non ergo mentis sententia propositum. quoniam igitur horum nihil est propositum: sibiq; hæc animæ insita: aliquorum conuenientium coëuntiúmq. propositum esse necesse est. Quoniam igitur est,quemadmodum paulo ante memoratum, bonorum ad finem tendentium delectus, atque propositum, non vtique finis. Ac est eorum quæ in nostra potestate sunt, & eorum quæ nobis diuersam ingerant ratiocinationem. hócne, an hoc deligendum. non deliberandum quin prius opus sit ea ipsa intelligere, & in consilium vocare. Cúmque nobis intelligentibus quod præstare videatur,tum ad agendum aliquis insurgat impulsus,id agendo,ex proposito agere ducimur. Quòd si propositum appetitus quidam est in consilium deueniens animi sententia,non est spontaneum, quod deliberabile.sponte enim agimus multa, antequam intelligamus atque consultemus.sicut sedendo, exurgendo, & id genus alia faciendo, sponte quidem, sed citra intelligentiam. Non ergo spontaneum deliberabile, sed deliberabile spontaneum.si quid enim agere consultantes proposuerimus, sponte agimus. Exstitut vero ex conditoribus legum nonnulli,qui spontaneum & ex proposito definiant,planéque distinguant

minoréque spontaneis,quàm à proposito agentibus mulctas infligant. Est igitur propositum in eis quæ sub actionem cadunt, & eis ipsis, in quibus nostrum sit agere & non agere,& ita vel non ita, & in quibus propter quid est capere. Verum propter quod simplex non est.In Geometria siquidem cum quis dixerit quadratum æquatur rectis æquales habere,& percunctatur propter quid,occurrit, quia etiam triangulum duobus rectis æquales habet. in his igitur ex definito principio sibi propter quid assumpserunt. At in eis quæ sub actionem cadunt,in quibus est propositum, non ita. nullum siquidem ponitur definitum.sed si quis exquirat, cur hoc fecisti? quoniam non erat aliter vt facerem: vel quoniam ita melius ex ipsis euenientibus (quacunque apparuerint esse meliora) delectus sumitur,& ob ea ipsa.quamobrem etiam in huiusmodi est consilium capere,vt expediat. At in mentis nequaquam.nemo siquidem quemadmodum scribere opus sit nomen Archiclis, init consilium:quia quo pacto scribendum nomen Archiclis, est iam definitum. Mendum igitur non intelligentia gignitur, sed in scribendi actione positum,in quibus certe non est in intelligentia error, ne de eis quidem initur consilium.sed in quibus iam vt expedit optimum est, inde mendum procreatur. Atqui in eis quæ sub actionem cadunt,optimum est:& in quibus duplex mendum. Delinquimus igitur tam in eis quæ sub actionem cadunt, quàm ex virtutibus. pariter enim virtutem coniectantes,per agnata nobis itinera hallucinamur.est siquidem in defectu excessúq. hallucinatio.in horum vtrumlibet deferimur voluptate & ægrimonia: quan-

doquidem ex voluptate in mala delabimur, et ex ægrimonia, honesta fugitamus.

De animi sententia.

CAP. XVII.

RVrsum autem est, non quemadmodum sensus, animi sententia: velut visu non poterit quicquam aliud quàm videre, non audire aliud quàm audire. itidem neque consultatio, nunquid audiendum auditu, an videndum. sic animi sententia non huiusmodi, sed id & alia potest efficere. ob hoc ibi iam existit consultatio. Est igitur in bonorum delectu, non in fine delectum. huic certe omnes astipulantur sententiæ, vt sanitatem esse bonum. verum quæ ad hanc sunt, velut expedíatne sanitati hoc comedisse, an non. Facit igitur plurimum in his ad bene consultandum voluptas, & ægrimonia. hanc siquidem amplectimur, illam vero fugimus.

Cuiúsnam rei virtus consultrix sit.

CAP. XVIII.

QVoniam igitur distribuimus, in quo & quomodo sit delictum, reliquum est vt intueamur cuiúsnam rei sit virtus consultrix. finisne, an ad finem: velut honestine, an ad honestum. Quo pacto scientia, vtrum ædificatoriæ scientiæ huius, speciosi proponendi, an quæ ad finem spectandi. nam si hoc, speciose proponetur, sicut pulchram domum efficere. at quæ ad hoc, non alius quisquam inueniet neque exhibebit, quàm ædificator. itidem in aliis quoque omnibus scientiis. Eodem modo igitur in virtute habere videbitur, vt ad finem potius ipsius tendat consideratio. recte nimirum proposuerat

quæ ad finem sunt, & ex quibus finis constet. nec quisquam alius exhibebit inueniétque, quæ ad finem expediatur. iurétque hoc virtus proposuerit, quibus in rebus optimi principium est vnumquódque quod efficiat, & proponat. Nihil igitur virtute melius est: quandoquidem huius causa etiam sunt alia, atque ad ipsam principium est. huius causa magis sunt quæ ad hoc ad finis principio alicui assimulatur, & eius causa est vnum quoduis. verum id erit modo aliquo. perinde certum vt etiam in virtute, quandoquidem causa est optima, ipsam magis finis esse coniecticem, quàm eorum quæ ad finem sunt. Atqui virtutis finis est honestum. honesti ergo magis coniectrix est virtus, quàm ex quibus constet, sunt nempe hæc ipsius. At in vniuersum videri potest alienum. quandoquidem in pictura si quispiam fortassis egregius fuerit imitator, non tamen laudandus accedet, nisi optimam imitandi habuerit intentionem. Virtutis demum id omnino est sibi honestum proponere. Dixerit quispiam, cur ita, num actionem meliorem esse dixerimus, quàm virtutem ipsam: at nunc, non ex quo actio est, id virtuti vtpote honestius attribuimus, sed in quo non est actio ea. Atqui nunc hoc dicimus, habitu actionem esse meliorem. Alij nanque probum inspicientes, ab actione diiudicant, quòd non possint cuiuslibet quomodo habeat iudicare propositum. nam si foret singulorum nosse sententiá, qualis erga honestatem esset, etiam citra actionem probus esse videri potuerat. Denique quoniam affectuum quasdam recensuimus medietates, circa quos affectus versentur, hinc nobis dicendum est.

Dubium.

Solutio.

De fortitudine, & forti.

CAP. XIX.

CVm igitur sit fortitudo circa audaciam ac metum, considerandum fuerit circa cuiusmodi metus atque audacias. Nunquid igitur si quispiam metuat ne rem disperdat suam, is timidus? sin circa hæc sit audax, fortis, an non? itidem si quis formidat solum, aut audeat, nec meticulosum fatendum est esse metuentē, nec fortem non metuentem. non igitur in ejusmodi metibus & audaciis fuerit fortitudo. At ne quidem in talibus, cuiusmodi si quis tonitrus & fulmina non metuat, vel quiduis aliud supra hominem hotrendum fuerit, non iam fortis, sed furens. In metibus itaque & audaciis humanis est fortitudo, in eis, inquam, quæ exteri moventur, aut omnes, in quibus qui audeat, fortis fortis. His itaque definitis constituendum fuerit (quandoquidem multis in rebus fortes dicuntur possunt) qualis sit fortis. Est enim ab experientia fortis aliquis, velut milites. isti siquidem ab experientia didicerunt in huiusmodi loco, vel huiusmodi tempore, vel rebus ita habentibus fieri non posse vt malum subeant. & perinde qui hæc nouerit, & ea de causa ingruentes hostes sustinuerit, non fortis. nam si horum nihil exiterit, non toleraverit. Proinde ab experientia fortes dicendi non sunt. Neque Socrates vetat aiebat fortitudinem esse scientiam. quandoquidem ex consuetudine scientia capiens experientiam efficitur scientia: at ab experientia tolerantes neutiquam fatemur, planéque negamus fortes esse: non igitur fortitudo fuerit scientia. Rursus sunt quoque fortes ab experientia contra

Fortis non vere plurimis modis.

contra tio. inexperti siquidem eorum quæ eueniant, ab ea rerum nulla experientia sunt intrepidi, & ne hos quidem fortes esse dixerim. Sunt porrò qui fortes à perturbationibus existimentur: velut amantes, aut lymphatici. at ne hos quidem fortes dicere oportet: quandoquidem si ab ipsis affectus auferatur, non erunt amplius fortes. fortem siquidem perpetuo fortem esse oportet. & perinde ne feræ quidem, vt fues, dici fortes possunt, quòd succumbant ingemántque percussæ, neque fortem ob perturbationem dicere conuenit. Est vicissim fortitudo alia, quæ ciuilis existimatur. velut si qui ciuium pudore affusi, tolerent pericula, vt fortes existimentur, quemadmodum verbi causa Homerus Hectorem dicentem inducit:

Quidam ea verear me carpat in agmine primus.

Non pugnandum esse existimat. At ne quidem ita dicenda fortitudo. in istorum enim singulis non congruet definitio. quo nanque ablato non perdurat fortitudo, efficere fortem non potest: vt si pudorem, vnde fortis erat, abstuleris. Sic item & aliter fortes existimati ob spem, bonique expectationem. at ne hos quidem dicere fortes possis. quandoquidem tales ac in talibus fortes dicere, videbitur alienum. proinde in nullis huiusmodi fortitudo collocanda est. qualis igitur & quisnam fortis sit, hinc considerandum. Ac vt paucis absoluam, qui nulla iam superadicta causa fortis est, verum quod id honestum esse censeat, idque faciat, seu aliqua, seu nulla oblata fuerit occasio. Neque tamen prorsus cæca perturbationem impulsúmque gignit fortitudo, expedit vero impulsuum habere rationem, honesti causa, ad intrepide periclitan-

Fortis vere qui dicatur.

tandum. qui hoc mõdo, is erit sortis: & circa hæc sortitudo. Nec vero intrepidos esse oportet, ita vt cùm forti fuerit occursum, in totum nihil metuatur. nec enim talis sortis, cui praesus nihil est horrendum. ita nanque etiam lapis, & reliqua inanima fuerint sortis. Caterum metuendum quidem, sed tolerandum. nam & nihil metuens toleret, neutiquam sortis. item (vt etiam pauloante de metu atque periculo disseruimus) non omne, sed essentia quadam delectum intelligimus. Neque item in sortitudo & quouis tempore: verum in quo & metus, & plura imminent pericula. nam si quis decimo pòst anno futurum non metuerit periculum, quonam pacto sortis? sunt enim, quòd longe absint, fiducia plenitqui si fuerint proximi, metuantur metu. Hæc deniq; sortitudo, & hic sortis-

De temperantia, & temperante.

CAP. XX.

TEmperantia est intemperantiæ & incommobilitatis circa voluptates medietas. Nam temperantia, ac prorsus virtus omnis habitus est optimus. at optimus habitus optimè est: optimum vero inter excessum detectúmque medium. quandoquidem vtringue promittere vituperãdi, tam excessu quàm delectu. Proinde si optimum medium: & temperantia inter intemperantiam & incommobilitatem est quædam medietas: horum itaque fuerit quædam medietas temperantia, quæ circa voluptates & ægrimonias versatur. Non tamen omnes, & quæ circa omnia. Neque enim si quispiam pictura aut statuæ vel huiusmodi alterius oblectetur aspectu, erit iam intemperans, similiter ne qui si audiendo

audiendo, aut olfaciendo, sed in eis voluptatibus quæ in tactu sunt & gustu. Neque temperans circa eiusmodi, vt à nulla talicapiatur voluptate nam tum incommobilis, planéque sensu carens fuerit, verum qui oblectetur, & non agatur in ipsorum excessum, ita fruens, ne quid faciat operosum: totúsque agendo ab honestate pendeat, non agendo quicquam nisi modeste. nam quicunque ab excessu talium voluptatum abstinuerit, vel metus vel cuiuspiam alterius rei causs, temperans non est. Neque enim cætera animalia, præter hominem, dicimus temperantia, quòd ab ipsis ratio absit, quæ honestum deligimus. omnis siquidè virtus honesti est, & ad honestum tendit. Proinde erit temperantia circa voluptates, & ægrimonias, eásq; in tactu gustúque progenitas. Demum consequens est vt de mansuetudine dicamus, & quid, & in quibus sit.

De mansuetudine, & mansueto.

CAP. XXI.

MAnsuetudo igitur est inter iracundiam & iracundiæ cessationem. In totúmque existimantur virtutes medietates esse. Quòd autem sint medietates, hinc facile quis dixerit. Nam si quòd optimum, in medietate est collocatum: est quoq; virtus habitus optimus, atque optimum est virtutis ergo sit medium necesse est. Quod sanè certum, singula considerantibus. Nam quia iracundus est, qui vsquequaque & plurimum excandescit, ac eiusmodi sub reprehensionem cadens, nec decet vsquequaque excandescere omnibus, & omnino semper, neque contra ita habere, vt cuiquam nunquam, is nanque incommobilis sub reprehensionem cadit. Cùm igitur

tam

tam is qui ad excessum, quàm qui ad defectum peruenit, sub reprehensionem cadat: qui horum medius fuerit, mansuetus ac laudabilis. Neque enim ab ira deficiens, neque item excedens in ipsa, laudabilis, sed qui mediocriter in his habet, is mansuetus: harúmque perturbationum medietas mansuetudo.

De liberalitate liberali, & eorum extremitate de plurimis auaritiæ speciebus.

CAP. XXII.

Liberalitas autem est inter prodigalitatem & auaritiam medietas collocata, versatur autem huiusmodi perturbationes circa pecunias. Prodigus nanque est, qui vbi non decet impendit, & plura quàm deceat, & cùm minime decet. At auarus, ei contrarius nõ impendit vbi decet, & quantum decuerit, & quando decuerit. Vtrique sub reprehensionem cadunt: vnus quidem deficiendo, alter vero excedendo. Liberalis ergo quandoquidem laudabilis est, mediũ inter hos tenet locum, quisnam demum? nempe qui vbi decet, & quantum decet impendit. Sunt autem plures auaritiæ species: sicut eorum quos nugiuendulos appellamus, cuminique emptores, nécnon turpilucri, & paruiloqui, qui omnes auaritiæ succumbunt. Malum nanq; multiplex, at bonum solistimum. Quemadmodum sanitas quidem simplex, sed multiformis morbus, itidé virtus simplex, cùm sit vitium tamen multiforme, cuncti siquidem memorati, ob pecuniã sub vituperationem cadunt. Vtrum igitur liberalis est pecuniam nãcisci, & comparare, an nonne ea enim vllius alterius est virtutis. Nam neq; fortitudinis est arma fabricare, sed alterius: verum ipsius

ipsius est accipere, eisq; rectè vti. Idem de temperantia, cæterisque dicendum, at ne quidem liberalitatis, sed pecuniam incutientis.

De magnanimitate, magnanimo, & eorum extremis.

CAP. XXIII.

Magnanimitas est insolentiæ & pusillanimitatis medietas, & circa honorem inhonorantiãmque versatur: & honorem quidem non à multis, sed à probis attributum, qui ei præcipue conueniat. Probi nanque periti iudices rectè honorabunt. Honorari itaque se, qui dignus honore fuerit, potius volet ab his, qui ipsum cognouerint, neque enim de omni honore fuerit, sed optimo magnanimitas, honorabile bonum, & ordinem obtinens principatum. Iure igitur despecti & improbi, magnis rebus se dignos opinati, ac subinde honorandos, ignorant insolentes: qui vero sese summittunt, & magis quàm par est abiiciunt, pusillanimi. Horum igitur medius, qui non se ita abiicit, vt minore quàm sit par honore velit honestari, neque rursum maiore quàm deceat, neque omnino, is demum est magnanimus. Et proinde certum est, magnanimitatem esse insolentiæ & pusillanimitatis medietatem.

De magnificentia, magnanimo, & eorũ extremis.

CAP. XXIIII.

Magnificentia est iactationis & vilitatis medietas: versatur autem magnificentia circa sumptus, quos magnificum facere par est. Quicunque igitur, vbi non expedit, sumptum facit, gloriosus iactabundúsque est, vt si quis sodalis ita epulo accipiat, ac si nuptias faciat, is glorio

glorioſus, talis nanque eſt, qui quo tempore ad expedit, ſuam indicat affluentiam. Huic contrarius eſt vilis, qui vbi oportet, magnifice non impendit, nec facit vt nuptiarum dignitas expoſtulat ſumptum, ſed ibi deeſt, is nimirum vilis. At magnificentia vel ex ipſo nomine nobis poteſt qualis ſit innoteſcere, opportuno nanque tempore magnifice factum recte magnificentiæ nomen aſſequetur. Magnificentia igitur fiet virtus quandoquidem laudabilis eſt inter exceſſum defectúmque circa ſumptus idoneos quædam medietas. Sunt & nonnullis plures magnificentiæ exiſtimatæ velut dicentibus, magnificè ſeſe inſert, & huiuſmodi aliæ magnificentiæ non propriæ, ſed à tranſlatione nomen inuenientes. Nec enim in illis magnificentia, ſed in eis quæ diximus.

De indignatione, indignabundo, & eorum extremis.

CAP. XXV.

INdignatio eſt inuidentiæ & maleuolentiæ medietas: ambæ enim iſtæ ſub vituperationem cadunt, at indignabundus laudabilis. Eſt autem indignatio, quædam ægrimonia de bonis, quæ indigno alicui aliquo pacto euenerunt. Indignabundus, qui in huiuſmodi triſtatur, idémque rurſus triſtetur, ſi quem viderit indigne malis affligtatum, ac demum indignatio, & indignabundus talis. Cui contrarius eſt inuidens, quippe qui triſtabitur, cùm quempiam prorſus, ſiue dignum ſiue indignum bene agere viderit, cui ſimiliter maleuolus par eſt, quippe qui lætatur quòd quis male agat, ſiue dignus, ſiue indignus ſit. Nec indignabundus eiuſmodi: verum inter hos medius.

De

De grauitate, graui, & eorum extremis.

CAP. XXVI.

GRauitas eſt inter moroſitatem & delectationem medium, quæ circa conuerſationes. Moroſus nanque eſt eiuſmodi, vt nullius conuerſatione aut colloquio capiatur, ſed (vt nomé ipſius indicat) à ſuo more, nam moroſus quaſi aliorum mores improbans, ſibique placens, eſt nominatus. Delectator autem talis, vt omnium velit habere conuerſationem, & omnino, & omnifariam, horum neuter laudabilis. At grauis in medio iſtorum laudabilis, neque enim erga omnes, ſed erga meritos, non erga neminem, ſed erga hos ipſos conſueſcit.

De verecundia, verecundo, & eorum extremis.

CAP. XXVII.

VErecundia eſt inter impudentiam & ſtuporé medietas, in actionibus colloquiſq; conſtituta. Impudens eſt, qui vbique, & in omnes loquitur, & omnia vtcunque euenerint. At ſtupidus ſeu attonitus, huic contrarius, & cuncta & cunctos veritus, tam agendo quàm dicendo. ſolentiæ enim expers talis eſt, qui in cunctis obſtupeſcit. At verecundia & verecundus inter hæc medium tenet locum. neque enim cuncta, & omnino (vt impudens) & dicit & agit: neque porrò (vt attonitus) in omni & omnino trepidabit: verum aget loquetúrq;, vbi, & quæ, & quando expediat.

De vrbanitate, vrbano, & eorum extremis.

CAP. XXVIII.

VRbanitas eſt ſcurrilitatis & ruſticitatis medietas: in ſalibuſque committitur. Scurra ſiqu

ra siquidem est, qui cuncta, & omnino incessere dum esse existimat. Rusticus vero, qui neque incessere vult, neque recte incessum iri existimat, sed excandescit. Vrbanus, qui inter hos medius, neque omnes, neque omnino incesseas, neque item ipse agrestis, ac durus. At erit duobus hic modis vrbanus. nam & moderate incessere perculuerit, & aliorum iaculationem tolerabit. Is nimirum vrbanus atque vrbanitas.

De amicitia, amico, & eorum extremis.

CAP. XXIX.

AMicitia inter assentationem & inimicitiam medietas, in actione sermonéq; versatur. Assentator nanque est, qui plura quàm sit oportet adsintque cuipiam, arrogat. At insensus, is qui derogat etiam quæ adsunt, quorú pleraq; iure laudandus accedit. Inter quos medius est amicus, quippe qui nec plura præsentibus cuiquam astruit, neque quæ minime conueniant laudauerit, neque econtrario inimicatus, neq; omnino aduersabitur, præterquàm exigitur tribuendũ. Huiusmodi igitur est amicus.

De veritate, vero, & eorum extremis.

CAP. XXX.

VEritas inter dissimulationem & iactationem in oratione versatur, non omni. Gloriosus nimirum est, qui plura quàm adsint sibi arrogat, aut scire fingit quæ non nouerit. Huic cõtrarius dissimulator, pauciora & minora esse sua simulans: quæque, nouit diffitetur, occultãsq; quæ cognoscit. Neutrum horũ facit verus. neq; enim plura, neque pauciora quàm quæ sibi adsuerint, confinget: sed ea demum & esse sua scire dicet, quæ teneat. Sint denique hæc ipsa vera-

cites, an secus, alia fuerit consideratio. At quòd meditates iam memoratorum, hinc certũ est, quòd qui ad hæc viuunt, laudibus exornantur.

De iniustitia, & iusto, & eorum oppositis.

CAP. XXXI.

COnsequitur vt iam de iustitia dicamus, quid sit, & in quibus, & circa quæ: si prius tamen quid sit iustum exposuerimus. Est sanè iustum duplex, vnum quidem ex lege, iusta siquidem perhibent, quæ lex iubet, at lex fortia & temperata nos facere iubet, prorsúsque cuncta quæ ex virtutibus ducuntur. Et perinde iustitiam perfectam quandam esse virtutem dicunt. Iam si iusta sunt quæ lex iubet præscribitq; lex autem quæ ex omnibus virtutibus sunt mandata: qui igitur ex lege iustis obtemperat, perfectam is sanè sit probitatem, proinde iustus & iustitiosus quædam perfecta est, vnum itaque quiddam iustum in his, & circa hæc. Verum plerumque non id iustum, neque circa hæc permittimus iustitiam, hoc nanque modo iusta, quatenus per sese à iusto sunt. nam temperãs & fortis & cõtinés, per sese est eiusmodi. Sed iustũ indagamus, quod ad alterũ refertur, aliud sanè quàm quod dictũ est ex lege iustũ. nam non est per sese esse iustũ, quod in aduersus alterũ iustis cõgeritur, id nimirum est, quod quærimus iustũ, ac circa hoc iustitiam. Quod agitur in alterum iustum (vt paucis absoluã) æquale est: nam iniustum inæquale. cùm enim bonorum maiora sibi adsuerint, malorũ vero minora admiserint, id inæquale, & hoc modo iniustũ, & afficere iniuria agitamur. Non dubiũ igitur cùm sit iniuria in rebus inæqualibus, quin iustitia & iustum in æ-

Iustum duplex.

derum æqualitate collocetur. Proinde certum est iustitiam medietatem quandam esse inter excessum atque defectum, & multum & paucum. Cùm enim iniustus afficiendo iniuria plus habet, & affectus iniuria in afficiendo iniuria minus, tum horum medium iustum fuerit, atqui medium æquale est: ergo æquale pluris & paucioris fuerit iustum, iustúsque qui æquale voluit, sed æquale in duobus saltem conficitur: ergo & alterum æquale esse, iustum est, talis demũ fuerit iustus. Cùm igitur iustitia in iusto & inæquali, & in medietate: iustum quidem, in quibusdã æquale dicatur, æquale verò in quibusdã æquale, nécnon medium in quibusdam medium erit iustitia & iustum erga quosdam, & in quibusdã. Quoniam igitur iustum æquale est, & huic proportionale, æquale iustum fuerit. Atqui proportionale in quatuor nihilominus perficitur. nam quemadmodum A ad B, ita C ad D. Sic proportionale est, vt qui multa possideat, proferat multa: ita qui pauca possideat, pauca proferat, tursus eodem modo qui plurimum aliboret, plurima capiat: qui verò parum laborat, parum capiat, vt autem laborans ad non laborantem habuerit, ita plurima ad pauca: vt verò laborans ad plurima, ita nõ laborans ad pauca. Visus sanè est in libris de Republ. Plato vti etiam modi de iusto proportione. Agricola enim (inquit) cibũ parat, ædificator verò domũ, vt textor vestem, ita calceolarius calceũ: agricola igitur ædificatori cibum suggerit, & ædificator agricolæ domum. Ita & eodem modo cæteri omnes habent, & perinde quæ apud se, permutant inter quæ apud alios, est nanque huiusmodi proportio, nam vt agricola calceolario & textori, etiã alijs

alijs omnibus eadé inuicem inter ipsos est proportio, quæ continet totam Rempub. atq; comprehẽdit: vt liceat nobis intueri iustum proportionale esse, siquidem continet iustum Respub. idémque est iustũ quod proportionale. At quoniam ædificator suo opere plura meretur quàm calceolarius præstet, difficile quoque est reperire contra à calceolario aduersus ædificatorem, neque enim pro calceis par fuerit domum capere: hinc iam censuerunt, quo hæc omnia vtralia sint, argento vti, quod numisma vocant, vt pro dignitate cuiuslibet fiat inter ipsos iauicem contrahentes permutatio, quæ ciuilem communicationem contineat. Cum igitur in his & quæ proximè dicta sunt, iustum sit, erit iustitia circa hæc, cum delectu ex habitu iustum nacta. Est vero etiam iustum ex altera parte respondens, non tamen vt aiebant Pythagorici, rati nanque illi sunt iustum esse, vbi quæ quis effecisset, eadem essent talionis vice ferenda, quod erga omnes non est idem. Neque enim iustum eadem seruo aduersus ingenuum ferre, quandoquidem si seruus ingenuum ceciderit, iustum non sit ex altera parte tantum cædi, sed impensius, iustúmque est in proportione contra respondendi. nam quemadmodum ingenuus aduersus seruum melius habet, ita respondere factu aduersum qui fecerit. Itidem etiam ingenuo aduersus ingenuum erit. Nec enim iustum est vt qui oculum eruerit, ei tantum talionis pœna infligatur, sed multo plura ferat proportionis consecutione, quandoquidem & cœpit prior, & affecit iniuria. Atqui vtcunque illata iniuria est, & perinde proportionale est vt ob iniurias etiam plura ferat,

Numisma.

quàm fecerit, id iusti exigit ratio. Verùm quoniam multis modis iustum dicitur, definiendum fuerit de quónam demum iusto sit nobis disceptatio. Est nimirum (vt perhibent) iustum seruo aduersus dominum, & filio aduersus patrem, in quibus æquiuoco nomine iustum ciuile dici videbatur. Est nanque iustum (de quo nihil quàm) ciuile iustum, id propemodum in ipsa æqualitate positum communicantes namque ciuiles nonnulli, natura quidem consimiles esse volunt, alij vero more. At filio erga patrem, & seruo erga dominum ius vllum non esse videbitur, neque enim puero meo aduersum me, neque manui, neq. itidem alicui membro, similiter igitur habere videbitur & filius erga patrem. nam quemadmodum membrum patris est filius, nisi iam vitilem induerit æstatem, qua ab ipso separetur: tum enim in similitudine & æqualitate est patri, sed ciuibus huiusmodi esse licet: eadem de causa, ne quidem verna erga dominum, est iustum, dominí nanque quiddam est verna. cæterum si modo et iustum sit aliquod, id iustum erga ipsum fuerit domesticum, quod in præsentia minime indagamus, sed ciuile, siquidem in similitudine & æqualitate ciuile iustum videri debet. Præterea in mulieris & viri communicatione iustum est, ferè quod ciuile iustum, deterius nanque est muller viro, sed quiddam magis domesticum, & quodammodo magis æqualitatis particeps, & perinde ipsorum vita communicationis ferè ciuilis est, proinde iustum etiam mulieri erga virum præcipuum quodammodo iam pra aliis ciuile est. Quoniam igitur iustum est, quod in ciuili communicatione positum, tam iusti-

De quo iusto sit disceptatio.

tia, quàm iustus circa ciuile iustum erit. Sed iustorum quædam natura, quædam lege sunt. Verum arbitrari ita oportet, ne putemus nunquam excidere quæ natura sunt, quæ sanè etiam mutationem subeunt, vt, inquam, si iaculari omnes semper sinistra annitamur, eadem scæuæ, atqui à natura sinistra est, at dextra minus nihilo à natura potiora sunt sinistris, tametsi cuncta sinistra, sicut & dextra facimus, neque quod intercidant, ob hoc à natura non sunt, verum si vt plurimum diutiúsque ita permaneant, & sinistra est sinistra, & dextra dextra, id quod à natura est. Idem in à natura iustis, si nostro vsu immutentur, ob hoc non à natura iusta non fuerint, imo equidem fuerint. nam quod vt plurimum perdurat, id propalam iustum à natura est. quod vero nos constituamus, legéque scitamus, id certe iustum atque etiam ex lege iustum nuncupamus. præstat igitur iustum quod à natura est, illi quod ex lege. Cæterum quod indagamus, iustum ciuile est, atqui ciuile, non natura, sed lege est. Sed iniustum & iniuria, neutiquam idem prorsus ducendum est, siquidem iniustum lege definitur: veluti deposito quemquam fraudare, iniustum sit, at iniuria, vbi iniuste aliquid perpetretur. Itidem porro iustum, ac (vt ita loquar) iustificatio, non est idem. nam iustum lege definitum est, cùm sit iustificatio, iusta causa faciendi. Quando igitur iustum, & quando non? nempe (vt paucis absoluam) cum dedita opera & sponte quis peregerit quid sponte sit paulo ante nobis dictum est) & quando consulto, & in quem, & cui, & qua de causa, is iusta peragit. Itidem ac similiter erit etiam iniustus, qui consulto, & in quem, & cui,

& cuius causa deliquerit. At cùm horum nihil consulto, iniusti tamen quippiam commiserit, tum demum iniustus non est, sed infortunatus. Nam si patrem occiderit, se hostem ratus occidere, iniustum quidem commisit: & cum neminem affecerit iniuria, egit tamen infeliciter. Quoniam igitur non afficere iniuria, vbi iniusta peragantur, id est, in ignorando positum, hoc paulòante disseruimus, cùm neutiquam consulto quenquam offendit, neque cuius, neq; qua de causa factum est, definienda quoq;

Quo pacto non afficit iniuria qui ex ignorantia ledit.

videtur ignorantia: quónam pacto per ignorantiam quem lædit, non afficit iniuria. Sic vtique mirum hæc diffinitio. Quandocunque perpetrandi aliquid absoluta fuerit ignorantia, id non fit consulto, & perinde ne quidem afficit iniuria. At cùm ipse suæ causa fuerit ignorantiæ, perpetrarit; quippiam ex ignorantia, cuius ipse extiterit causa, is planè afficit iniuria, ac eiusmodi iure criminis arguetur: velut ebrius euenit. vino nanque mersi, si quid male perpetrarint, sine controuersia afferunt iniuriam: quandoquidem ipsi sibi eius ignorantiæ causa extiterunt. par enim fuit, ne tantum proluerentur, vt ignorantes cæderent patrem. Idem in aliis est ignorantiis, quæ ex ipsis gignuntur facientibus: vt qui per ipsas inferant injurias, sint iniusti. Quorum autem non ipsi sunt causa, sed ignorantia, vt delinquant, neutiquam iniusti. est enimuero eiusmodi ignorantia naturalis, velut nescii infantes patres cædunt. Hæc nimirum naturalis inscitia nõ facit, vt ab actione infantes dicamur iniusti. ipsa siquidem huc faciendi causa, est inscitia: neque ipsi suæ sunt causa inscitiæ: ideo ne quidem iniusti dicuntur. Verum deferenda iniuria vt dicam, vtrum qui afficitur iniuria sponte afficitur, an non iusta nanque & iniusta sponte agimus. At non sponte afficimur iniuria. cruciatus siquidem deuitamus. & perinde non dubium, quin nõ sponte afficiamur iniuria, quòd vltro nemo lædi sufferat. Nam affici iniuria, nónne est offendi est ita. Cæterum sunt quibus licuit æquale assequi, idque aliis concedunt: quod si æquale consequi iustum fuit, & minus habere iniuria affici, sponteque minus habet: sponte ergo ait, quis afficitur iniuria. Verum manifestum hinc potest, quod ne sponte quidem. Nam cuncti qui minus consequuntur, illius vice nanciscuntur aut honorem, aut laudem, aut gloriam, aut adscitiam, aut aliud id genus. Verum qui vicem alicuius subit, cuique rependitur pro eo quod amittit, neutiquam afficitur iniuria. quòd si iniuria non afficitur, ne quidem sponte ergo. Rursus qui minus assequuntur, & quatenus æquale non accipiunt, affecti iniuria, iidem nobilitati, & exornati hac de causa euadunt, quod dicant æquale mihi capere licuit, at noluit. cessi equidem seniori, aut amico. Atqui affectus iniuria exornatur nemo. quòd si in illatis iniuriis nulla exornatio est, & in his exornantur delecti, hoc modo prorsus affecti non fuerint iniuria. quòd si iniuriæ non subiiciunt, ne quidem sponte afficiunt iniuria. Interim in huiusmodi oratione controuersari videmur incontinentibus, quandoquidem incontinens nequiter agendo, se offendit, idque sponte facit, consulto igitur sese ipse lædit. proinde sponte ipse à sese afficitur iniuria. Cæterum hic proposita definitio hanc præpedit rationem. Est autem definitio, nem-

nem velle affici iniuria. At incontinens, volens incontinenter agit: proinde si ipse se affici iniuria: vult ergo mala sibi infligere. At qui vult nemo affici iniuria: proinde ne incontinens quidem ipse sese sponte affecerit iniuria.

An accidat, vt sibi quispiam inferat iniuriam.

Cæterum hinc fortasis ambigat quispiam, nunquid accidat, vt sibi quispiam inferat iniuriam. in incontinentem siquidem iniecta consideratione videatur contingere, hoc nempe modo. si quæ agenda lex iubet, ea sunt iusta: qui non agit ea, iniuste facit. ac si erga quem agendum iubeat, neutiquā erga eundem id egerit, ipsum afficit iniuria. Lex certe temperantem esse iubet, rem suam non oblimare, corpus procurare, ac id genus alia. qui ergo hæc non peragit, se afficit iniuria: quandoquidem ergo alium neminem, talium est affectio iniuriarum. At hæc nunquam vera extiterint, vt contingat quempiam afficere iniuria. Contingere enim qui potest, vt eodem tempore plus quispiam habeat & minus, vt simul sponte & inuito agat quicquam. siquidem qui afficit iniuria, quatenus afficit, plus admittit: iniuria affectus, quatenus afficitur, minus. quòd si ipse sibi inferat iniuriam, contigerit vt per idem tempus plus idem habeat, & minus, verum hoc fieri non potest: non ergo se quispiam affecerit iniuria. Rursus qui afficit iniuria, sponte facit iniuriam. at affectus iniuria, inuitus fert iniuriam. proinde si contingat se quempiam afficere iniuria, contigerit simul & inuito & sponte quicquam agere. id autem fieri non potest: ne quidem igitur ita contigerit, sibi quenquam inferre iniuriam. Rursus si consideraverit quispiam plures esse iniurias, nemo sit qui non faciat iniu-

riam: aut depositō fraudando, aut adulterium committendo, aut furando, aut aliquod eiusmodi iniuriæ genus particulatim admittendo. nec tamen quispiam se vnquam depositō fraudauit, neque suam adulterio vitiauit vxorem, neque sibi furatus est. quod si in huiusmodi est afficere iniuria, neque contingit horum quicquam aduersum se facere iniuriam. Sin secus, ea non fuerit ciuilis iniuria, sed domus administrationis, planēq; familiaris. anima siquidem in plures distributa partes, vnam habet suam quidem deteriorem, alteram vero meliorem. proinde si quid in anima procreetur iniuriarum, id partium aduersum se inuicem est. Familiarem porro iniuriam distribuimus in deteriorē ac meliorem, vt fiat aduersum se iustum, & iniustum. verūm id nos non coniectamus, sed ciuile. & perinde in id genus iniuriis, quas hic demum pertestigamus, neutiquam contingit vt se quispiam afficiat iniuria. At insuper vter afficit iniuria, & in vtro iniuria est? in eō-que, qui vtcunque iniuste possideat, an iudicante atque distribuente, veluti in certaminibus? enimuero qui præmium à præside atque hæc iudicante accepit, non ipse facit iniuria, tametsi ei iniuste tributum est. Sed qui tulit iudicium, malēque attribuit, is affecit iniuria. Estq; vbi idem afficiat iniuria, & vbi non. nam quatenus vere, & vt iusti natura postulabat, non iudicauit, eatenus affecit iniuria, quatenus vero eidem iustum esse visum est, neutiquam affecit iniuria.

De duplici animæ rationalis partibus: & quo pacto à se inuicem distinguantur.

CAP. XXXII.

QVoniam autem de virtutibus, & quæ sint, & in quibus, & circa quæ, iam dictum est, de singulisque, quemadmodum si recta agamus ratione, sit optimum: ita nimirum ex recta ratione agere dicendo, est. vt si quis dixerit sanitatem fieri optimam, salubria exhibendo, id vtique minus apertum, & perinde aperito mihi quæ sint salubria. idem valet in ratione, & tam quid sit ratio, quàm quæ sit recta ratio nosse: fermè fuerit necessarium, primum in quo ratio gignitur considerare. Paucis equidem de anima antea locuti, diximus animæ partem esse, quæ habeat rationem. Ea, inquam, pars vna animæ habens rationem, in duas est partes distributa. quarum vna quidem consultatrix, altera autem scientiæ indagatrix, quæ quòd inter se inuicè distinguantur, ex subiectis facile fuerit intueri. Nam quemadmodum inter se inuicem differunt colores, & succus, & sonus, & odor, itidem alios ipsis sensus natura accommodauit, sonum namque auditu, succum gustu cognoscimus, & colorem visu: similiter cætera eodem modo expedit coniectare. Quòd porro alia sint subiecta, alias quoque esse animæ partes manifestum est, quibus illa cognoscimus: aliud siquidem intellectile est, & sensile aliud. atqui subiecta illa, anima deprehendimus: alia ergo pars fuerit quæ circa sensilia, & alia quæ circa intellectilia, consultatrix autem circa sensilia in motúq; versatur, atq; prosus circa omnia quæ in ortu interitúque sunt.

nam consultamus de eis quæ in nostra sunt potestate, agendi ac non agendi delecto, circa quæ consilium ac propositum est agendi. hæc nimirum sensilia, in motúq; ad permutandum. proinde pars animæ ex ratione propositrix atque delectrix, sensilis.

De veritate, & iis quibus ipsam coniectamus.

CAP. XXXIII.

HIs itaque definitis, deinceps de veritate dicendum fuerit: quoniam de ipsa nobis est sermo: vtque verum habeat coniectemus. Est profectò scientia, prudentia, mens, sapientia, existimatio. & circa igitur aliquid vnumquodque istorum est. Scientia igitur est circa quod sub scientiam cadit: quod cum demonstratione ac ratione est explicatum. Prudentia vero, circa ea quę sub actionem cadunt, quibus delectus euitatióque, & in nobis agere ac non agere est. Nimirum facientium & agentium non idem factile & actile. nam factum, præter facturam, finis supereſt alius, sicut domificatiuæ præter ædificationem (cuius est domus effectrix) ipsius finis, præter facturam, domus est. itidem in opificina (ita eam nobis libet appellare quam tectonicam Græci vocant) aliisque facturis. At in eis quæ sub actionem cadunt (practica vocant Græci) præter actionem, nullus est alius finis. vt præterea citharæ modulatum finis non est alius: sed id est finis, exercitium & actio. circa actionem itaque, & quæ in agendo posita sunt, prudentia. Circa facturam, & quæ in faciendo posita sunt, ars: siquidem in faciendo potius quàm agendo, est artem exercere, proinde fuerit

Scientia.

Prudentia.

Ars.

prudentia,

prudentia, deligendi & agendi, quæ in nobis
sunt potestate, habitus, tendente ad commo-
dum ipsâ quoq; actione. Prudentia autem vir-
tus est, non (vt facile est intueri) scientia, lau-
dandi siquidem sunt prudentes: at laus virtu-
tis. Item scientiæ quidem omnis virtus est,
prudentiæ virtus non est: sed vt apparet,

Mens. ipsum quiddam virtus est. Mens porro est cu-
principia intellectilium: scientia enim eo-
que sunt cum demonstratione. atqui princi-

Sapientia. sunt indemõstrabilia: & perinde non circa p-
cipia scientia est, sed mens. Sapientia porro
scientia mentéque constituitur. est nanque
pientia circa principia, ipsa quoque mentis
ticeps. At quatenus circa ea quæ post princ-
sunt cum demonstratione, scientiq; est partic-
& perinde non dubium, quin sapientia ex
te scientiâque confletur. Proinde circa ea
sabitur, circa quæ mens atque scientia. Er-
matio est, qua in omnibus ferimur ancip-

Dubitatio-nis solutio. eâne ita, an secus. Sed vtrum prudentia &
pientia idem est, an non? Sapientia enim
circa ea quæ cum demonstratione quæq; fi-
per ita habent: prudentia non de talibus,
de his quæ sunt in permutatione. quemadmo-
dum rectum inflexúmve, & cauum, & talia q-
sunt eiusmodi. At conferentia eo non habe-
modo, vt non inter se inuicem permutentur
permutantur, vt nunc hoc conferat, quod
non conferet: & huic licebat, huic autem
atque hoc modo conferat. Atqui circa ea,
conferunt, prudentia est, non sapientia. Dub-
runt ergo inter se prudentia, atque sapien-

Dubitatio-nis solutio. Vtrum sapientia virtus est, an non? Hinc p-
spicuum est, ex ipsa certe prudentia virtu-
es-

se. Nam si virtus est prudentia, partis nempe
alterius (vt diximus) quæ ex ratione sunt, est-q;
prudentia quàm sapientia deterior. circa dete-
riora enim versatur: quandoquidem sapientia
circa æternum diuinúmq;, vt diximus, cum pru-
dentia de hominis sit commodo. quare si quid
deterius virtus est, æquum etiam fuerit, quod
melius est esse virtutem. non dubium igitur,

Industria. quin sapientia sit virtus. Quid est, aut circa
quod industria? est nempe industria, in quibus
& prudentia, circa ea quæ sub actionem ca-
dunt. Industrius siquidem dicitur quatenus
consulere recte aliquid iudicare, ac perspicere
potuerit circa pusilla: in pusillisque eius iudi-
cium. Est igitur industria, atque industrius pru-
dentis pars. nec citra hæc. neque

Astutia. industrium à prudente separaueris. Idem
astutia, & astutus non est quidem prudentia,
neque prudens, quinimo prudens astutus, ideo

* διὸ καὶ συ
νεργὸν πως
τῆ φρονή-
σει ἡ δει-
νότης.

* καὶ τὸ
δοκεῖν πο-
ιεῖσθαι τῶν
ἐσομένων

Dubitatio. *Solutio.* fuerit, coniectare, ex quibus nam demum fiant
singula quæ sub actionem cadunt, & quæ * ex-
hibentia. Astutus in eiusmodi ac circa talia esse
videatur. Dubitauerit quispiam & admirari po
fuerit, quòd locuti de moribus, déque ciuili ne-
gotio, de sapientia dicamus. Nempe primum
de hac re non videatur esse aliena consideratio,
si (vt diximus) est virtus. Item Philosophi est
de his demum coniectare, quæcunque in eodem
fuerint,

fuerint. at necessarium, cùm de his quæ in
ma loquimur, de omnibus dicere. atque est
anima sapientia: proinde alienum non
rit de anima quoque dicere. Quemadmodu
vero habet astutia ad prudentiam, ita de cæ
ctis virtutibus haberi putandum est, velut
quam sunt virtutes, quæ natura sint singula
ingenitæ, tanquam impulsus quidam ad
tia, ac iusta, in vnoquoque citra rationem
nec non de singulis erga eiusmodi possis co
gnoscere. sunt autem tam constitutione, quã
proposito. At quæ cum ratione sunt, vel
temperantia aut fortitudo, quatenus sunt vi
tutes vt ingenitæ, laudabiles. Naturalis
tur virtus ea ipsa, quæ citra rationem, à ra
ne parum separata, & à laude parum
ciens, rationi & proposito adiuncta, perfec
efficit virtutem. ideo etiam cum ratione ex
cetur. Nec citra rationem est ad virtutem
turalis impulsus. neque rursus ratio, a
propositum admodum perficitur, vt sic
tus citra impulsum naturalem. Ideo non
cte Socrates sentiebat, cùm diceret virtute
esse rationes. proficeret siquidem nihil age
do fortia atque iusta, qui nesciret ac ratio
non proponeret. & perinde virtutem ratio
nem esse, non recte aiebat. Sed qui nunc
lius. nam iuxta rectam rationem honesta ag
re, virtutem esse perhibent. At ne ita quidem
recte. aget siquidem quispiam iusta, nullo
posito honestorum, nulla cognitione, sed
rationali aliquo impulsu recte hæc & iuxta
ctam rationem, velut inquam recta iusserit
tio, ita agat. cæterum huiusmodi tamen
neutiquam sub laudem cadit. Sed me

vt nos definimus, cum ratione impulsum esse
ad honestatem. hoc nanque virtus etiam sub
laudem cadit. Vtrum prudentia virtus, an
non, ambigere nanque quispiam potuerit.
Verum enimuero, hinc esse virtutem certum
fuerit. Nam si iustitia, & fortitudo, cæteræ-
que virtutes, quòd honestorum quæ sub ac-
tionem cadant, laudabiles accidant, non du-
bium quin prudentia quoque eorum sit, quæ
sub laudem cadunt, quæque in virtutis ordi-
nem veniunt. Nam ad quæ fortitudo agen-
tia commouetur, in eadem etiam prudens
tia, in totumque vt ipsa præscribit, ita etiam
agit fortitudo. proinde si hæc sub laudem ca-
dit, ea faciendo quæ præscripserit pruden-
tia, etiam sine controuersia prudentia sub
laudem cadit, virtúsque est. Vtrum pruden-
tia sub actionem cadit, an non, licuerit hinc
esse cuiusi, spectando scientias, quemad-
modum ædificaturam. Est nanque in ædifi-
catura, vt dici solet, vnus quidem quispiam
architecton Græce, quem nos tum architec-
tum, tum opificem nominamus, cui sum-
ministrat esse ædificatoris domus, est faber.
est sanè architectus seu opifex, cuius præ-
scripto ad domum extruendam se faber ac-
cingit. Idem in reliquis fabrilibus habet, in
quibus est architectus, & eius cuiusuis mini-
ster faber. & architectus erit, & huius ipsius
faber ac minister. Si igitur eodem modo
etiam in virtutibus habet, quod æquum ac
rationale, etiam prudentia sub actionem ca-
dit. quandoquidem virtutes omnes sub actio-
nem cadunt, quarum prudentia tanquam ar-
chitectus quidam est. quandoquidem vt ipsa

Vtrum prudentia virtus sit.

Prudentia sub alium cadere.

præscrip

præscripserit, ita virtutes, & qui ex virtutibus agunt. cùm igitur virtutes sub actionem cadant, etiam sub actionem cadet prudentia. Virtutes omnibus quæ in anima, hæc imperat vt cernitur, pariterque ambigitur, an secus? Melioribus certe, vt sapientia est, imperare videri par non est, sed ea, vt dici solet, cuncta procurat, præscribénsq; domina est. Cæterum fortasse in ædibus habet Atrienses nanq. præest omnibus, dispensátque omnia, sed nondum idem imperat omnibus, verú domino ocium parat, ac præpeditus rerum domesticarú necessitate, dissoluatur, quo minus honesti quippiá & officiosi agatita atq; similiter prudentia, tanquam sapientiæ quidam Atriensis, ei ocium parat, vt suum peragat opus, affectus cohibendo, eósque temperando.

AR.

ARISTOTELIS MAGNORVM MORALIVM

LIBER SECVNDVS.

SVMMA LIBRI.

De æquitate, modestia, promptitudine, seritate, incontinentia & continentia, voluptate, prosperitate fortunæ, honesta probitate, recta ratione, ac amicitia.

De æquitate, & æquo.

CAP. I.

POst ea quæ tradidimus, par videtur vt de æquitate dissemamus, quidq; sit, & in quibus, & circa qualia. Est nimirum æquitas & æquus, qui descripta legibus iusta diminuit ac moderatur, nam quę minate ad vnguem definire non potest, sed in vniuersum loquitur, hic in eisdem intercedens, delegit quæ legislator particulariter quidem definire volebat, verum ei facere non licuit. eiusmodi certe æquus, non omnino iuxta dimittens: quando quidem quæ natura ac vere iusta sunt, non diminuit, sed ea duntaxat quę legislator deseruit, cùm explere non posset.

De modestia, & modesto.

CAP. II.

MOdestia ac modestus est, circa quæ & p-
quitas. nempe circa iusta, quæ omissa à
legislatore, non satis ad vnguem definita sunt,
vt iudex inueniatur eorum, quę legislator omi-
tit, certóque cognoscit à legislatore præterm-
quæ iusta sunt, is modestus est. Itaque non citra
æquitatem, modestia iudicare siquidé mode-
agere vero ad iudiciũ, perducere æquũ fuerit.

De promptitudine.

CAP. III.

PRomptitudo est, circa quæ & prudenti-
nempe circa ea quæ sub actionem cad-
quippe quæ circa propositum & cuiusmodi
Est sanè non citra prudentiam, nam prudenti
horum sub actionem cadens est, at prompti-
do, habitus, seu affectio, vel quiduis huiusmo-
instructio optimorum & commodissimorum
eorum quæ sub actionem cadant. Et perm-
promptitudinis ea videri non debeat, quæ
tuitu quoquomodo eueniant, nam quibus
deest quod optimum sit considerans, vbi
quomodo eueniat aliquid, hunc prompti
tiquam dixeris, sed fortunatum, nam quæ
cia citra iudicantis rationem fuerint, felici-
tes æquum est appellare.

Dubitationes quædam circa institiam prudentiam etiam mentem & alias virtutes.

CAP. IIII.

SEd nónne iusti est, colloquio & conuersa-
ne æquale cuilibet attribuere, vt inqua-
qualis fuerit quilibet, talem effectum assequi,
an nonlid certe assentatoris, & delectantis esse
planè videatur. cæterum iuxta cuiusque digni-
tatem attribuere colloquium ac conuersatio-
nem, id iusti & probi omnino esse videbitur.
Dubitare etiam forte quispiam potuerit, an in-
iuriam inferre sit offendere sponte & scienter,
& quempiam, & vt, & qua de causa, est autem
nocumentum & iniuria, de bonis ac circa bo-
na, afferens ergo iniuriam & iniustus cognoue-
rit & qualia bona, & qualia mala sint id autem,
aetalia percallere prudentis atque prudentiæ
est. hoc modo fuerit absurdum, vt bonũ ingens
prudentia comitetur iniustum. An existiman-
dum non est, vt iniustum prudentia comitetur?
neque enim coniectat iniustus ac simpliciter,
& eidem bonum iudicare non potest, verum hal
nationem cum prudentiæ suum sit id inspicere
ad sententia posse. Itidem vt in medicina aliud
est quod simpliciter salubre intuemur, quódque
sanitatem efficiat: quod veratrum, & elaterium,
& sectiones, & exustiones salubres sint, sanita-
temque prætendant, nec tamen vt hæc omnes,
ita medicinæ habemus scientiam. non enim par
iudicare nouimus bonum, vt nouit medicus cui-
nam hoc bonum, & quando, & qualiter affectio,
igitur simpliciter cognoscentes, nec dum tamen
continuo nos medicina comitatur scientia. Iti-
dem iniustus. quòd igitur simpliciter est bonũ,
& tyrannis, & dominatus, & imperium nouit.
verum sibine bonum an secus, vel quando, vel
quomodo affectio, neutiquam nouit id quod est
in primis prudentiæ, & proinde iniusti comes
non est prudentia: bona siquidem deligit, qui-

bus afferat iniuriam, quæ certe bona simpliciter, non ipsi sunt bona. quandoquidem opulentia & dominatus simpliciter bonum est, ipsi certe non fortassis bonum: nam qui imperat, rerum copia affluens, multa sibi amicisque nequaquam facit, quando iure vti dominatu non potest. Hinc ambigendum considerandúmque videtur, sitne aduersus nequam iniuria, nécne. Nam si in offensione iniuria est, & in priuatione bonorum offensio, neutiquam videri potest offendere. siquidem quæ sibi esse bona arbitratur, bona non sunt. nam dominatus & opulentia aquam hominem offendunt, quod ipsis recte vti non possit. proinde si quæ aduentantia offendunt, ea bona abstulerit, afficere non videbitur iniuria. Multis eiusmodi oratio videbitur admirabilis. Omnes siquidem opinamur, se posse dominatu & imperio & opulentia vti: neutiquam recte coniectantes. quod ex legislatore certum est. Legis nanque lator non omnibus suadere imperare: verum (vt dictum est) cui ætas, cuique pia non defuerit ad dominandum: non autem omnem posse imperare. Quòd si quispiam ingenitum se catere imperio atque gubernationi, diuerit quispiam: neque tibi ea est anima, vt imperare gubernaréque possis. Corpore quidem cernimus aliquos sanescere non posse, pliciter sibi bona exhibendo. at ne languori cumbat corpus, volens conualescere, aquæ prius & inediam exhibet. Ita qui nequam buerit animam, ne quippiam mali exerceat, opulentia & imperium & dominatus, & omno alia id genus, sunt auferenda: quanto melior, mutabiliórque est corpore anima. Nam quemadmodum improbum corpus quisque

fortius, victum debet sibi adhibere idoneum: ita improbam animam nactus, se viuendo reddere debet idoneum ad quæ memoratimus, deuitanda. Hoc etiam esse potest: vt cùm non sit aliter agere fortiter quàm iuste, quando natura quis videatur acturus. In naturalibus quippe virtutibus solum dicebamus impulsum sine ratione ad honestatem esse oportere. ita nimirum est delectus in ratione, quòdq; rationem habeat, vt pariter capiat & deligat. Virtutem perfectam esse dicebamus, quæ cum prudentia foret, non vtique ad honestum citra naturalem impulsum, neque virtus virtuti aduersabitur. agnatum nanque habet atque insitum, vt rationi obtemperet, vt ipsa præscribit, vt quo agit eò declinet. qui nanque sibi proponit, melior. Et ne quidem aliæ sine prudentia virtutes sunt, neque prudentia absque residuis virtutibus perfecta: verum inuicem sese coadiuuant, comitantes prudentiam. At nihilominus adhibeat quispiam, nunquid ita in virtutibus habeat, quemadmodum in reliquis bonis quæ externa, quæq; in corpore? hęc nanque cùm sue sint eximia, deteriores efficiunt. sicut opum affluentia elatos facit & truculentos: itidem reliqua bona, dominatus, honor, pulchritudo, magnitudo. Nunquid igitur & in virtute ita habet, vt si cuipiam iustitia vel fortitudo fuerit exuberans, fiat deterior, an non? externum à virtute quidem honor gignitur: qui cùm ingens fuerit, deteriores facit: & perinde virtus fecerit deteriores, cum maior euaserit. An id neutiquam verum? quandoquidem & si sunt multa alia virtutis opera, quemadmodum sunt, id etiam in primis est, vt qui eis bonis muniatur, eisdem recte

vti possit. Si demum probus, aduentante ei vel honore vel ingenti dominatu, ipsis non vtetur, neutiquam fuerit probus. neque honor, neque imperium, probum fecerit deteriorem: & proinde ne quidem virtus. In totum autem, quoniam à principio nobis determinatum est, virtutes esse medietates, quoque magis sit virtus eo magis erit medietas: proinde quo sublimior virtus euadet accedétque ad magnitudinem, non deteriorem sed meliorem efficiet. medietas nāque inter excessum defectúmq; perturbationum erat medietas, atq; hæc igitur hactenus.

De continentia & incontinentia, ac feritate agendum esse.

CAP. V.

DEinceps aliud nobis sumendum est principium, de continentia incontinentiaque dicturis, quemadmodum fuerit alienum, hactenus virtutum vitiorúmque numerum redigere, sic de his futurum sermonem, alienum visum iri necesse est. nec enim hæc virtus cæteris par est, in aliis siquidem eodem tendunt tam ratio quàm perturbationes, nec inuicem sibi aduersantur. At in hac se inuicem oppugnant ratio & affectus. Sunt nimirum in anima, vnde mali esse dicamur, tria: vitium, incontinentia, feritas. De vitio igitur ac virtute quid sit, ac in quibus à nobis suprà dictum est: modo de incontinentia ac feritate dicendum.

De feritate.

CAP. VI.

EST autem feritas quoddam vitium exuberans, cum eousque nequam prorsus quempiam intuemur, vt ipsum non hominem, sed feram esse dicamus, sicut & virtutem ipsum feritatem. Huic virtus opposita nominis expers est, quippe quòd eiusmodi supra hominem, tanquàm heroica quædam ac diuina. Eo certè hæc virtus nominis expers, quòd Dei virtus nulla. præstantior siquidem omni virtute Deus, ac non virtute probus. nam tum virtus sit: Deo melior. ideo nominis expers hæc virtus, quæ feritatis vitio opposita est. Desiderat nimirum diuina, & supra hominem tali vitio obiectari. quòd quemadmodum feritas vitium hominem excedens euadit, ita ei opposita virtus.

De incontinentia, & continentia.

CAP. VII.

DE incontinentia & continentia dicturis, expedit nobis quæ ambiguos & contrarios sermones admittunt, significare: vt ex dubiis orationibus considerando & exquirendo veritatem, ad id quod perspiciendum est perueniamus, nam tum demum ita verum scrutari poterimus. Senex igitur Socrates tollebat prorsus, ac negabat esse incontinentiam: dicendo neminem esse qui mala faciendo, sciens esse mala, deligeret, atqui incontinens videtur sciens mala deligere: agi nanque à perturbatione. Hac ratione incontinentiam esse non existimauit. nequaquam recté. alienum nanque hi, hac ratione persuasos, quod factum est persuasibiliter extin puere: incontinentes siquidem sunt homines, & idem malorum periti. veruntamen ea perpetrant. Quoniam igitur incontinentia est, nunquid incontinens aliquam habet peritiam, qua inspiciat exquirátque mala? At id non visum

fuerit culpiam. quandoquidem alienū sit quod in nobis potentissimum firmissimūmque est, vi ab aliquo superari. siquidem scientia, omnium quæ in nobis, firmissima, & nulli est obnoxia violentiæ. & perinde hæc ratio aduersatur, quominus credatur esse scientia. Cæterum nunquid scientia quidem non est, sed opinio? at si habet incontinens opinionem, vituperandus non accedet. Nam si mali aliquid, non admodum præuidens planéq. cognoscens, sed opinatus agat, venia dignus videatur. quod voluptate agendi mala, non admodum mala esse cognouerit, sed tantum fuerit opinatus. At quos venia dignos esse censemus, eos neutiquam reprehendimus, & perinde si opinionem habet incontinens, vituperandus non erit. atqui vituperandus est. Huiusmodi rationes ambiguitatem obiiciunt. quandoquidem quę scientiam esse negauerunt, absurdum quiddam euenire compellunt: & quæ ne opinionem quidem, pariter aliena euenire ostendunt. Verùm & dubitauerit hic quispiam, quòd quia temperans & continens esse videtur, temperantine futuræ sint vehementes cupiditates. quòd si continens erit, vehementibus agi cupiditatibus opus fuerit. neque enim continentem dixeris, qui mediocres compescat cupiditates. Quòd si vehementes cupiditates non habeat, ne quidem temperans erit. neque enim temperans qui nullo modo agitur à cupiditatibus. Ambiguitatem quoq. talia mouent. contingit si quidem exinde rationibus, incontinentem quandoque fore laudabilem & vituperabilem continentem. Sic nanque quispiam, inquit, ratiocinio hallucinatus, vt ratiocinati, quæ honesta sint, mala videantur, ac cupiditate ad ho

ad honesta ducatur. ratio quippe agere non permittitur cupiditate allectus aget atqui talis, est incontinens. aget ergo honesta: cupiditas nanq; in talia adducit. sed ratio prohibebit: ratiocinio siquidem honestorum hallucinabatur. Is igitur incontinens quidem erit, veruntamen laudabilis. nam quatenus honesta peragit, laudabilis, absurdum id profecto euenit. Rursus hallucinetur interim ratiocinio, & honesta ei minime honesta esse videantur, at cupiditate ad honesta ducatur: continens nimirum est concupiscens quidem, sed non peragens id ob rationem. itaque ratiocinio hallucinatus honestorum, prohibebitur agere quæ concupiscit. prohibebitur ergo honesta agere, ad hæc siquidem mouerit cupiditas. verum cùm honesta agere opperuerit, non agens vituperandus accedit. ergo continens quandoque erit vituperandus: id quod valde dictu absurdum contigerit. Verum incontinentia & incontinens, in cunctis & circa cuncta, sicut circa pecunias, & honorem, & iram, & gloriam? nam circa hæc omnia existimantur, vel esse, vel non esse incontinentes. verum circa quid sit definita incontinentia, adhibuerit quispiam. Hæc igitur sunt quæ faciunt dubitationem. At ambiguitates soluere necesse est. Primum igitur quæ de scientia habita est dubitatio, ita diluenda videatur: animirum esse absurdum, scientiam habere, & ipsam eiicere vel intercidere. Eadem de opinione fuerit oratio. Nam si vehemens fuerit opinio, quatenus stabilior est & credulitate inconcussa, à scientia non differt, credendo ita habere, vt existimant, qui habeant opiniones: sicut Heraclitus Ephe-

sius talem habuit, de quibus opinabatur, opinionem: alienum vtique nihil incontinenti, siue habeat scientiam, siue opinionem, qua dicimus flagitium aliquod committere. Est quippe scire duplex. vnum quidem habere scientiam: nam tum demum scire quépiam dicimus eam rem, cuius teneat scientiam. alterum vero ipsam exercere scientiam. Incontinens igitur est, qui honestorum tenet scientiam, sed eam non exercet. Cùm igitur hac non exercebitur scientia, nihil eueniet alienum, committere flagitium ipsum qui teneat scientiam. Est enim quemadmodum in dormientibus, ijsti siquidem cùm habeant scientiam, multa tamen in somnis molesta & perpetrant & perpetiuntur: neque enim scientia tum exercetur. idem est de incontinente, cuius quidem vt dormienti, non exercete scientiam. Et perinde soluitur dubitatio. fuerat siquidem dubitatum, nunquid scientiam incontinens habeat, eáve intercidat: quando quidem vtrunque videbatur absurdum. Cæterum hinc fuerit manifestum, quemadmodum diximus in Analyticis, ex duabus fieri syllogistimum propositionibus: earúmque primam vniuersalem, secundam, quæ sub illa, particularem. veluti si omnem hominem febricitantem, sanum facere: atqui hic febricitat: scio igitur & hunc sanum facere. Est ergo vniuersali quidem † scientia deputatum: alteri vero particulari non. est igitur, vt etiam tum scientiam habenti fiat ratiocinatio. veluti hominem febricitantem sanum facere, si hic vtique febricitat, quem non noueram. Itidem igitur de incontinente qui habet scientiam, idem error eueniet. contigerit enim incontinentem in vniuersum habere scientiam

† al. sentia.

vt talia sunt improba, & pernicioſa, nec tamen hæc ipſa, particulatim noſſe improba. proinde ita habendo scientiam aberrabit: quandoquidem in vniuerſum habet, non etiam particulariter. Non itaque hoc modo fuerit alienum, vt incontinens habendo scientiam, mali aliquid agat. eſt enim ſicut in ebriis, à quibus cùm exceſſit ebrietas, & ad ſeſe redierunt, non excidit ipſis ratio, nec quidem scientia quæ ſub ebrietate deliuerat, fuerátque proſtrata: deinde ab ebrietate immunis rurſus fit, qui prius erat. Ita habet incontinens. perturbatio enim cohibendo ratiocinium ſepelit: cùm vero à perturbatione fuerit liberatus, vt qui ebrius, rurſus in ſeſe redit. Eſt & quædam alia de incontinente, quæ dubitationem faciebat. oratio vbi laus incontinentem ſequebatur aliquando, & continentem vituperatio quod neutiquam euenit, neque enim continens aut incontinens qui ratione ſuaſus eſt, ſed qui recta inſtitutus ratione, qua tam mala quàm bona diſcernit. Incontinens quidem, qui & eiuſmodi ratione non perſuaſus eſt, ſed continens, qui perſuaſus, ab ipſis non agitur cupiditatibus. neque enim cuicunque † videtur patrem cædere turpe eſſe. ſed qui cædere concupiſcit, & abſtinet, is continens eſt. Proinde ſi in iis neque continentia neque incontinentia, ne quidem laudabilis fuerit incontinentia: vt neque vituperabilis continentia, quemadmodum videbatur. Sunt nimirum incontinentiarum aliæ quidem valetudinariæ, naturales aliæ. Valetudinariæ eiuſmodi, vt eorum qui diſcerpunt capillos, & manducant. Quòd ſi quiſpiam huic imperet voluptati, non continuo laudabilis eſt: neque vituperabilis, quato

† aliter, non videtur.

quatenus non imperat aut non admodum probabilis. Naturales autem, vt in iudicio conuicio olim aiunt filium quòd patrem cecidisset, deiecisse, quòd is patrem quoque suum cecidisset, aufugiúntq; naturale etenim in iudicibus fuisse crimen visum est. Quòd si quis à cædendo parentes continuerit, non continuo laudabilis, & ne nos quidem eiusmodi nunc incontinentias & continentias quærimus. sed quibus vituperandi accedunt, atque simpliciter laudandi. Bonorum certe quædam sunt externa, vt opulentia, dominatus, honor, amicitia, gloria. Quædam circa corpus necessaria, vt tactus & gustus. Qui ergo circa hæc incontinens, is incontinens simpliciter esse videatur, & vt corporalis, & quam quærimus incontinentiam, circa hęc esse videbitur. Ambigitur quoque, circa quidnam sit incontinentia. Circa honorem non est simpliciter incontinens. laudatur enim quodammodo, qui circa honorem incõtinens, nam honoris amans videtur. In totum autem dicimus, & in eiusmodi ponendo incontinentem, circa honorem aut gloriam aut iram esse incontinentem. Verum simpliciter incontinens non accommodamus circa quæ, vt ei adsit manifestum aliquod fuæ appositione eius circa quod sit. est enim ita circa voluptates & ægritudines corporis incontinens. Hinc manifestum est, circa hæc versari incontinentiam, nam quoniam incontinens vituperabilis, subiecta esse oportet vituperabilia. Honor igitur, & gloria, & dominatus, & pecuniæ, & circa quæcunque talia dicuntur incontinentes, sub vituperationem non cadunt ut corporis voluptates vituperandæ: ideo non inferia qui circa has magis quàm sit par versatur, is incon-

tinens prorsus dicitur. Verum quoniam incontinentiarum quæ circa alia versari dicuntur, quæ circa iram maxime reprehendenda incontinentia, vtrum magis reprehendenda est quæ circa iram, an quæ circa voluptates? Est igitur quæ circa iram incontinentia similis puerili? submiſtrandum promptis, hi nanque cùm dixerit dominus, cedo mihi, promptitudine eredi, antequam audierint quid sit submiſtrandum, inter suggerendum hallucinantur. sæpe enim liber fuit exhibẽdus, & graphium dedere. Hõdem incontinens irę succumbit. cùm primum enim audierit verbum, quod quispiam affecit iniuria, ira ad vlciscendum insultat, nentiquam audiens audire, expediátne an non, vel non ita vehementer. Huiusmodi igitur ad iram impulsus, quæ iræ deputatur incontinentia, non admodum videtur incessenda. At ad voluptatem impulsus sub reprehensionem cadit, sunt nanq; distincta in ipsa, ob rationem quæcunque auertunt ne agatur aliquid, & tamen ob rationem agitur. Ideo magis est quàm per iram reprehẽdenda incontinentia voluptatis: quandoquidẽ per iram incontinentia ægrimonia est nemo siquidem stomachatus non ægrescit, at quæ ex concupiscentia cum voluptate, ideirco magis vituperabilis, quòd ex voluptate incontinentia abesse à conuicio non videtur. Vtrum vero tolerantia & continentia idem est, an nõ toam continentia necnon continens circa voluptates est, ipsas coercendo, at tolerantia circa ægrimonias siquidem patiens ac sustinens ægrimonias, is tolerans est. Rursus incontinentia & mollicies idẽ non est. Mollicies siquidem & mollis est succumbens laboribus, nõ certe omnibus, sed quos alius

allus aliquis necessario duxerit sustinendos in-
continens vero, qui voluptates sustinere non
possit, sed remolescens ab eis agatur. Est porro
quispiam intemperans appellatus. nunquid igi-
tur intemperans idem, quod incontinens: atque
ipse idem incontinens, quod intemperãs? Nequa-
intemperans eiusmodi est, vt quæ agit, eadem &
optima & commodissima sibi esse arbitretur,
nec vllam habet rationẽ, quæ eius videatur ad-
uersari voluptatibus. at incontinens habet ra-
tionem, quæ aduersatur ei, quatenus cupiditate
agitur. Vter autem curatu facilior, intemperãs,
an incontinens? Certe intemperans curatu facil-
lior videatur. nam si ratio ei aduenerit quę ma-
la esse doceat, ipse non operabitur. at incon-
nenti non deest ratio, & tamen agit malas, pro-
inde huiusmodi incurabilis esse videbitur. Ce-
terum, vtrum deterius afficitur, cui nihil adest
boni, nec quod per illud existit, quàm ille cui
quod honore præcellit, male affectum est? Ni-
mirum incontinens, qui bonum obtinet, ratio-
nem, cùm intemperans non habeat, cum
ergo ratio vtriusque principatum obtineat, in-
continentis honoratissimum principium præ-
sto: quod est ab intemperante abest: ergo incon-
tinente intemperans deterius habet. Rursus, vt
supra mentionem fecimus de feritatis vitio, nõ
est ipsum in fera spectare, sed in homine, feri-
tatis siquidem nomen adeptum est id vitium, ob
singularem improbitatem. Sed cur in fera nihil
nempe quod improbum in fera principium non
sit: est siquidem ratio principium. Quis vero im-
probior flagitiosiorq; fuerit, incertum est, Ica-
ne, an Dionysius, an Phalaris, an Clearchus, vel
horum quispiã insignis cuiusdam immanitatis.

Certum

Certum autem est malum in his principium il-
lustria facinora coniectasse, at in fera nullum
prorsus est initium. Ita igitur improbum est, in
ipso intemperante principium. nam quatenus
quæ mala sunt committit, etiam ratio ei astipu-
latur, censétque ea esse peragenda, quia impro-
bum in ipso est principium. At in incontinente
sanum principium est: vt hinc melior incontti-
nens intemperante esse videatur. Sunt etiam in-
continentiæ binæ species, vna quidem prorum-
pens, & improuisa, & confestim proueniens: ve-
lut cùm speciosam viderimus mulierem. & con
festim afficiamur, & ab affectu erumpit impul-
sus ad aliquid perpetrandum, quod fortasse nõ
expediat. Altera vero, velut quædam imbecilli-
tas, quæ cum ratione insurgit auertente. Prior
igitur non admodum sub reprehensionem ca-
dere videbitur: quandoquidem etiam virtutis
studiosis potest euenire, calidis & ingeniosis. Se-
cunda autem frigidis & melancholicis, tales ni-
mirum reprehendendi. Rursus videas aliquem
præoccupantem, quòd speciosa mulier obicia-
tur, non affici, conuenit igitur se cohibere. nam
qui eiusmodi ratione præuenerit, ex obuia vi-
sione incontinens non commouebitur, nec tur-
pe quicquam aget. Verùm qui ratione cognoue-
rit indecens aliquid, ad idque voluptate delabe-
tur & remolescet, it multo magis reprehendẽ-
dus. Neq; enim probus vnquam, eiusmodi fue-
rit incontinens, ratio namque præueniens se nõ
permiserit, dux siquidem ea in ipso probo exi-
stit: cui non obtemperat improbus, sed voluptã-
ti deditus & remolescit, & quodammodo effœ-
minatur. Vtrum vero temperans sit continens,
quod supra fecimus ambiguũ, nunc disseramus.

Est

Est igitur temperans & continens, nam continens non solum est præsentes cupiditates cohibens, verum etiam talis, vt si nullæ adsint cupiditates, ita instructus, vt eas possit cohibere. Est autem temperans, qui nullas habeat cupiditates malas, rectæque rationi circa hæc insistat, vt continens, qui malas habet cupiditates, & aduersum ipsas rectam rationem, proinde temperantem continens comitatur, erisque temperatus continens: siquidem temperans non afficitur, continens vero afficitur quidem, sed compescit affectus, quatenus afficitur, temperanti autem istorum est neutrum: ideo continens temperans non est. Vtrum intemperans incontinens, an incontinens intemperans? Aut neuter alterum commitatur. Incontinens enim est, cuius ratio perturbationes oppugnatur intemperans, non huiusmodi, sed qui mala agit, simulque incommode astipulantem habet rationem. Non itaque intemperans, qualis incontinens: neque incontinens, qualis intemperans. Præterea improbior incontinente est intemperans, curatu enim difficiliora quæ naturalia, quàm quæ ex consuetudine gignuntur: ob hoc siquidem valida esse videtur consuetudo, quòd naturæ insideat, intemperans igitur eiusmodi, cuiusmodi quispiã natura est, ob hoc, & hac de causa in ipso improbatio est. Neque talis est incontinens, quia nequidem ratio eiusmodi nõ proba, oportuit nãq; ipsam esse improbam, si foret natura, qualis est improbus. Incontinens igitur consuetudine malus esse videbitur, vt natura intemperans: curatu nanque longe difficilior intemperans, quandoquidem consuetudo consuetudine explodi-

tur: at natura à nemine extrudi potest. Vtrũ autem cùm sit incontinens eiusmodi, vt norit & non cedat rationi, sitque prudens huiusmodi, vt recta ratione singula perpendat: accideritve incontinens sit prudens, an nõ? ex his enim quæ dicta sunt, ambigere quispiam potuerit. Verum si quæ à nobis antea dicta sunt, suspicere voluerimus, non erit prudens incontinens, dicebamus nanque prudentem esse, nõ cui recta ratio modo inesset, verum etiam quæ ex ratione optima viderentur, & perinde incontinens non fuerit prudens. Cæterum talis, astutus quidem est, distribuimus siquidem paulo ante astutum à prudente, vt inter se differrẽt, interim vnus quidem circa hæc solers, alter vero non solers, astutum igitur incontinentem esse contingit: neq; enim solers circa quæ & astutus: prudentem vero incontinentem esse non contingit.

De voluptate.

CAP. VIII.

Post hæc de voluptate differendum est, cùm de felicitate sit nobis oratio: felicitatem autem arbitrantur omnes, aut voluptatem esse & vitam delectabilem, aut non citra voluptatem. Nempe voluptatem vrgentes, nec inter bona enumerandam esse existimantes, ipsam citra ægritudinem esse voluerunt, sine ægritudine esse igitur vicinum voluptati est. Quapropter de voluptate quoque dicendum, nõ modo quia etiam alii ita arbitrãtur, verum etiam quòd nobis de voluptate dicere necessarium esse censeamus. Nam cùm de felicitate nobis sit oratio, felicitatemque definierimus, planéque diverimus in vita perfecta esse virtutis actionem, sitque virtus circa voluptatem & ægritudinem, de vo-

luptate dicere necesse est, quando quidem citra voluptatem non est felicitas. Primum itaque dicemus, quòd nonnulli ferant, voluptatem in numerum bonorum non venire existimantes, aiunt, namque primo ortum esse voluptatem: at ortum quiddam imperfectum: bonum porrò imperfecti locum nunquam obtinere. Secundo loco, voluptates esse quasdam improbas: at improbitatem, nunquam bonum admittere. Rursus, quod gignatur in omnibus, nam & malo & improbo & fero & cuicuri deputatur: at bonum malis amiscere nefas, & ne quidem multis cõmune est. Quòdque non potentissimum voluptas, at bonum potentissimum, quòdque honesta agendi sit impedimentum, nam quod honesta agere prohibeat, bonum qui potest esse? Primum igitur primo occurrendum de ortu, ratióque diluenda, quòd neutiquam vera sit. Est igitur in primis omnis voluptas ortus, nam quæ ab inspiciendo, voluptas gignitur, ortus non est, nec quæ ab audiendo, & olfaciendo. Neque enim ex egestate procreata, quemadmodum in aliis, vt ex comedendo, vel bibendo, hæ nanque ex egestate, & redundantia fiunt, aut saturando egestatis, aut redundantiæ auferendo, ideo ortus esse videtur, at egestas & redundantia ægritudo, igitur ægritudo hic, vbi ortus voluptatis. Atqui inspiciendo, & audiendo, & olfaciendo non est ægritudo antecedat, nemo siquidem spectando delectatus, aut olfaciendo, prius tesatus est, eodem in animi sententia inspiciéti delectatio citra præcedétem ægritudinem, & perinde fuerit voluptas aliqua, quæ ortus non est. Quod voluptas, vt eorum dictat oratio, ideo bonum non est, quia ortus: ésque voluptas aliqua, quæ

ortus non est, fuerit vtiq; bonũ voluptas. Atqui istorum nulla est voluptas ortus, nam neque quæ à comedendo & bibendo voluptates ortus dici possunt. Verum hallucinantur, qui has voluptates ortus esse perhibent, putant siquidem quoniam prolatis rebus gignitur voluptas, ob hoc ortum esse: sed non est, quandoquidem est pars animæ quædã, qua oblectamur, simul prolatis quibus indigebamus rebus, ea pars animæ quatenus exercetur & mouetur, oblectatur. Atqui motus ipsius & exercitii voluptas est, quòd eum prolatis rebus ea pars animæ exerceatur: aut propter ipsius actionem ortum esse censent voluptatem, quòd certa sit rerum prolatio, animæ tamen pars incerta, perinde atq; si quis hominẽ esse opinetur corpus, quod id sub sensum cadat, non autem animam, verum est anima, eadem & in hoc, est nanque pars quædam animæ qua oblectamur, quæ simul atque res prolatæ sunt exercetur, ideo nulla voluptas est ortus. Verum & conuertio (inquiunt) in naturam, quæ sub sensum cadit, nam non conuertentibus ese in naturam voluptas est, siquidem conuertendo naturæ egestatem sit eius exaturatio, at (vt diximus) est, vt nulla egestate fiat oblectatio, siquidẽ egestas ægritudo, at citra ægritudinem dicimur oblectari, & perinde non fuerit voluptas egestatis conuertio, indignum nanque in huiusmodi voluptatibus nihil. Proinde si ideo quòd ortus est voluptas, bonum esse non existimetur, nullaque est voluptas ortus: bonum vtiq; fuerit voluptas, sed propterea quòd nõ omnis (inquiunt) voluptas bonum, quæ prius id deprehenderit hoc pacto. Nam quia bonum in omnibus dicitur esse gradibus, nempe in essentia, & in ad ali-

quid,& in quanto,& quando, ac in eorum omnibus:illud quoque manifestum per omnia voluptatem aliquam comitari,proinde quia in omnibus prædicamentis est bonum, etiam voluptas fuerit bonum, & perinde quoniam in his quidem per se bona,etiam voluptas fuerit per se bonum, atqui à bonis voluptas est voluptas bonum ergo fuerit omnis voluptas. Simul certè hinc etiam differre inter se specie voluptates quandoquidem differunt etiam prædicamenta, in quibus est voluptas. Neque enim est, quemadmodum in scientiis,vt Grammatica,vel quacunque alia.nam si habeat quis splendide grammaticam,itidem afficitur qui sub ea grammatica grammaticus,eo modo quo & alius qui habeat grammaticam:& propterea non differunt grammaticæ,quæ in splendido, quæque in obscuro. At in voluptate,non ita.nã quæ ex ebrietate voluptas, & quæ ex copulatu, non eodem modo afficiunt: quamobrem specie inter se distingui videbuntur voluptates. Cæterum quia sunt & malæ voluptates, etiam ob hoc voluptas bonum non esse videbatur, ar id voluptatis minime proprium iudicium est, sed naturæ atque scientiæ. Nam est & natura mala, sicut vermium & crabronum,ac prorsus vilium animalium, nec tamen ob hoc natura malorum. Eodem modo habent & malæ scientiæ, sicut sedentariæ,nec tamen ob hoc malum scientia est, sed genere bonum tam scientia quàm natura. Nam quemadmodum statuarius inspiciendus non est,qualis quispiam sit,ex eo quod euenerit male exercerit,sed quod benefica ne quidé scientiam naturámve,aut quippiam aliud, quale sit ex malis,sed ex probis. itidem ergo voluptas quoque

quoque genere bonum est. Quòd vero sint & malæ voluptates,ne nos quidem latet.nam sunt etiam diuersæ naturæ animalium, vt bona & mala,sicut hominis quidem bona,lupi vero vel cuiusuis alterius feræ mala,similiter equi natura altera quàm hominis,& asini,& canis. At voluptas conuertio est ex eo, quod contra naturam,in naturam cuiuslibet suam,proinde cuius fuerit suauissima improbæ naturæ, ea improba voluptas est,neque enim equo quod homini,& ne quidem aliis, at quoniam diuersæ naturæ sunt,diuersæ quoque voluptates. Nam voluptas conuertio est, & conuertio (inquiunt) in naturam insidet, proinde & malæ naturæ mala conuertio est,vt probæ proba. Qui porrò voluptatem probam esse contendunt, eo afficiuntur modo,quo qui nescientes nectar, Deos vinum potare existimant,nihilque esse eiusmodi pecusiue putant, ex inscitia in id delabuntur. His similes sunt,qui cunctas voluptates ortus esse asserunt,& neutiquam bonum.nam quòd alias voluptates ignorent præter eas quæ corporis sunt,eas ducunt ortus esse, nec bonas, in universum non rentur voluptatem esse bonum. Quoniam igitur est voluptas, & conuersæ naturæ & conuertentis,conuersæ quidem ex egestate ad expletionem:conuertentis autem, quæ à visu & auditu,& id genus_aliis: meliores fuerint conuertentis naturæ actiones voluptates nanque vtrouis modo dictæ, sunt actiones, proinde non dubium, quin à visu voluptates, & auditu, & intelligentia sint longè optimæ, eámque sub corpus cadunt, ab exaturatione procrentur. Rursum id dicebatur, quod ne quidem bonum,siquidem quòd in omnibus sit,

& commune omnibus, non bonum. id certe in honoris cupido, & honoris cupiditate magis proprium est. honoris siquidem cupidus solus vult habere, & illo cæteros anteire. Voluptatem igitur, si ipsam per se bonum esse oporteat, esténe eiusmodi conuenit, an non? atqui etiam contrario modo. ob id nanque bonum esse videatur, quod cuncta expetant. agnatum enim cunctis, bonum expetere & perinde, si cuncta voluptatem expetunt, genere bonum fuerit voluptas. Rursus quod sit impedimentum voluptas, ipsam bonum esse negauerunt, impedimentum esse asserendo. quod non secùs videantur considerare. Neque enim ad res transigendas est impedimentum, si qua sit alia impedimentum: vt ebrietatis voluptas agere inhibuerit. Cæterum ita etiam scientia scientiæ fuerit impedimentum. nam non est, vt simul vtraque exercea. Sed cur non bonum scientia, si voluptatem ex scientia excitarit? & vtrum impedimentum sit, an nè? cæterum multo magis agere. voluptas. nanque ad magis agendum, inde lasciuata impellit, quia probum faciendo, agit quæ ex virtute, & ea suauiter agit. Nunquid multo etiam magis quæ ad actionem pertineant, exercebit? ac si oblectatus egerit, probus erit. sin tristatus honesta prosequatur, non probus. ægrimonia nanque in eis quæ ex necessitate, est. proinde si quispiam ægrescat, honesta prosequendo, coactus peragit. qui autem à necessitate agere compellitur, non probus. Cæterum non est, vt non tristetur vel oblectetur, quæ ad virtutem pertinent prosequendo, nec aliquod medium est. Cur? nempe quòd virtus in affectu, affectus vero in ægritudine & voluptate nec

nec quicquam in medio positum est. Non dubium igitur, quin virtus cum ægritudine vel voluptate sit. Si quis igitur mœstus honesta prosequatur, non bonus. proinde non fuerit virtus cum ægrimonia: cum voluptate ergo. Tantum ergo abest impedimentum, vt etiam ad agendum exhortetur, in totúmque non contingat, vt sit citra voluptatem, quod ab ipsa procreatur. Alia fuit oratio, quòd nulla scientia faciat voluptatem. Nec id quidem verum est. conuiuiorum nanque structores, & coronarum, nécnon vnguentarij voluptatis sunt effectores. Cæterum aliis scientiis non est voluptas vt finis, sed cum voluptate, nec citra voluptatem. est igitur etiam scientia voluptatis effectrix. Rursus etiam aliter dicebatur, quòd non optimum. Verum hoc modo atque hac ratione singulas ferè perditum virtutes: siquidem fortitudo optimum non est. Nunquid igitur ob hoc non bonum? An id absurdũ sit? itidem & in aliis, quòd voluptas quia non optimum, non esse videatur bonum. Dubitauerit autem quispiam, per virtutes transiens huiusmodi. vt quia ratio quandóque imperat affectibus: de continente enim hoc dicebamus: & econuerso affectus imperant rationi, vt euenit incontinentibus, quia (inquam) expers rationis pars animæ, vitium admittendo, impetat rationi bene dispositæ: talis siquidem incontinens, & ratio similiter mala: quamobrem ipsa quoq; bene disposi is perturbationibus imperabit, suam virtutem continentibus. hoc si ita, euenerit abuti virtute: improba nanque ratione affectus, virtutem vsurpando, ipsa abutetur. hoc nimirum absurdũ etiam videbitur. Tali sanè dubitationi facile ex

eis quæ à nobis ante de virtute dicta sunt, est occurrere, atque refellere. Tum demum nanq; virtutem esse dicebamus, cum ratio bene affecta, perturbationibus suam virtutẽ habentibus fuerit moderata, nécnon perturbationes rationi consentaneæ. Ita nanq; affecta inter se inuicem consentient, vt ratio quod optimum sit semper præscribat. perturbationes vero facile bene dispositæ id exequãtur, quod ratio præscripserit. Si ratio igitur male fuerit affecta, perturbationes vero bene, non fuerit virtus, deficiente ratione. nam ex vtroq; virtus. proinde non contigerit virtute abuti. Simpliciter vero non (quemadmodum alij opinantur) dux ratio virtutis est atq; principium, sed potius perturbationes. Ad honestum nanq; impulsum quẽdam oportet primo innasci irrationalem, qui proinde caturiatque ita postremo rationem esse discretionem, atq; constituentem. quod sanè videre quispiam ex pueris, & rationis expertibus animantibus. In his nanq; sine ratione perturbationum impulsus exoriuntur primo ad honestum: mox posterior adueniens ratio & constituens, honesta agere exhortatur. Sed non si ratione ad honesta ceperit principium, perturbationes consentientes comitantur. verum sæpenumero controuersantur. Quamobrem potius conuenerit perturbationem ad virtutem anteire bene affectam, quam rationem.

De prospera fortuna.

CAP. IX.

INterea dicendum de prospera fortuna est, posteaquam de felicitate nobis est oratio. Arbitrantur nanq; multi felicem vitam fortunatam esse, vel non esse citra fortunatam. & forte non iniuria: absq; enim exteris bonis, quorum domina fortuna est, felicem esse non contingit. idcirco de secunda fortuna nobis dicendum: nécnon quis prorsus sit fortunatus, & in quibus & circa quid. Primum igitur ad hæc quispiam accedens, spectánsque dubitauerit. quandoquidem non dixerit fortunam esse, vt natura est semper causa cuius est, eius vt plurimum eodem modo est effectrix. at fortuna nunquam, verum temere & sine ordine, ac vt fors tulerit. ideo fortuna in eiusmodi esse dicitur, vbi neque mens vlla, neque recta ratio est. nam vbi id, nihilominus est quidquam ordinatum, ac est semper eodem modo. non ita fortuna. Iccirco vbi *Vbi mẽs ac* sunt plurima ac ratio, ibi fortuna minima. *ratio plurima, ibi fortuna minima: & è contra.* vbi pluriua fortuna, ibi mens perexigua. At quidquid secunda fortuna est, vt Deorum quædam cura? an id minime videri debet? talium siquidem dominum præficimus Deum, vt bona malaque meritis distribuat. at fortuna & quæ à fortuna, tam vere quàm vt fors tulerit sunt. quod si huiusmodi distributori Deo asscribimus, malum ipsum iudicem facimus, neque iustum. id nefas Deo deputare. Cætetum præter hæc, ad nihil aliud fortunam quispiam ordinarit. proinde non dubium, quin horum aliquid fit. mens certe ac ratio, nécnon scientia, prorsus alienum ab hoc esse videatur. præterea neq; cura, neque beneuolentia quæ à Deo, videatur esse felicitas, quoniam malis attribuitur aliquis Deum malorum curam habere fas non est. Reliquum igitur, & maxime peculiare fortunæ natura est. Est nimirum prosperitas ipsaq; fortuna in his quæ in nobis non sunt, neq; eorũ

quorũ ipsi sumus domini, quæq. possimus effice-
re. Ideo iustum quatenus iustũ, nemo fortunatum dicit. & ne quidẽ fortem, nec prorsus quenquam alium à virtute præditum. in nobis siquidem est hæc habere, vel nõ habere. Sed enim in talibus magis peculiare, ac suum, dicimus fortunam & prosperitatem. ingenuum nanq; dicimus fortunatum, ac prorsus cui talia bona exciderint, quorum ipse neutiquam dominus est. verumtamen ne hinc quidem proprie prosperitas diceretur. Est tamen fortunatus sæpenumero dictus. nam præter alicuius cõsiderationem, cum & alicui bonum aliquod agere contigerit, dicimus fortunatum. & eum cui iure infligi damnum debuerat, eiusmodi hominem lucrum facientem, dicimus fortunatum. Est igitur prosperitas, in agendo bonum aliquod præter cogitationem, & in non subeundo, vt debuit, malum. Cæterum potius ac magis peculiare in bono obtinendo prosperitas videatur. siquidem bonum capere, per se fe fortunatũ quiddam esse videatur. malum vero non subire, ex casu fortunæ. Est igitur prosperitas rationis expers, natura nanque fortunatus est, qui sine ratione ad bona impellitur, eáq; consequitur. Id vero naturæ est. nam animæ inest huiusmodi à natura, quo sine ratione impellamur ad ea, vnde bene habemus, eousque. vt si quis roget ita habentem, cur nam id tibi ita libet agere? nescio, inquit, sed libet. Simile propemodum lymphaticis. siquidem lymphatici citra rationem ad aliquid agendum impelluntur. Prosperitatem vero, suo ac peculiari nomine appellare non habemus: verum ipsam sæpe dicimus esse cansam, ac hanc causæ nomine alienum quiddam est, quoniam causæ & cuius

& cuius est causa, aliud est: & citra impulsum bona consequentem causa, causa dicta est. vt malum non subire, vel porrò minime animo deputatum, bonum capere. nanciscique bonum est profectò huiusmodi prosperitas ab illa distincta, videturque hæc ex rerum fieri interuentu, ex casúque prosperitas. & perinde tametsi est huiusmodi prosperitas, non tamen ad felicitatem talis (inquam) prosperitas fuerit peculiaris, cuius in ipso impulsus principium bonorum est † assuetudinis. Quoniam igitur est felicitas non sine bonis externis, & quæ à prosperitate (vt iamdudum dicebamus) oriuntur, felicitatem coadiuuant. De prosperitate igitur hactenus.

† a. l. acquisitiuus.

De honesta prohibitaq. honesto ac bono.

CAP. X.

QVoniam de singulis particulatim diximus reliquum iam fuerit vt in totum componendo singula accumulemus. Est igitur nonnisi nomen impositum in consummato probo honesta probitas. honestus & bonus namque dicitur, cum perfectè probus. siquidem virtutis bonum & honestum fatentur, sicut iustum honestum & bonum aiunt, fortem, temperantem, ac prorsus virtutum omnium. Quoniam igitur in duo distribuimus, vt alia quidem honesta: alia vero bona dicamus: & bonorum, alia quidem simpliciter bona, alia vero non: honesta porrò, vt virtutes & virtutũ actiones: bona certe, dominatum, opulentiam, gloriam, honorem, & id genus alia. Est igitur honestus & bonus, apud quem simpliciter bona sunt bona, & simpliciter honesta honesta sunt, talis nanq; honestus

&

& bonus. Sed apud quem simpliciter bona non sunt bona, is neque honestus & bonus: sic vt ne quidem bene valere videatur, cui simpliciter salubria non sint salubria. Nam si opulentia, & dominatus adueniendo quippiam offenderint, optanda non fuerint, sed talia quæ nō offendant, sibi esse optauerint. Qui autem talis sit, qualis correptus ex bonis, ne ei adsint, ne quidem honestus ac bonus esse videatur: sed cui per se bona omnia, bona sint, nec ab ipsis abluamur, vt ab opulentia & dominatu, is honestus & bonus.

De recta ratione.

CAP. XI.

DEeo quod est ex virtutibus rectè agere, neutiquam satis absolute dictum est. nam dicebamus ex recta ratione agendum esse. verùm ignarus interrogauerit id fortassis quippiam, ex recta ratione quidnam sit, & vbi recta ratio? Est nimirum ex recta ratione agere, cùm animę pars irrationalis non prohibuerit rationalem suam exercere actionem. tum demum enim ex recta ratione erit actio. Quoniam enim animæ partem, vnam quidem deteriorem habemus, alteram meliorem, semper deteriorem melioris causa obtinemus. sicut in corpore & anima, corpus animæ causa habere dicimur, cùm ita habuerit ne præpediat, sed ita constet, gatur & consurgat ad animæ opus perficiendū, quandoquidem deterius melioris est causa, ita vt secum meliore exerceat. Cùm igitur affectus menti non inhibuerit suum opus exercere, an non tum ex recta ratione fuerit? Ita propemodum. Verum fortassis dixerit quispiā, quomodo affectus habuerint, cum non impedientur? ac quandónam ita habebunt, vt non prohibeantur? Nescio. quippe dictu neutiquam facile est. Neque enim medicus, sed quando dixerit febri ęstanti ptisanam proferendam. at quo pacto febricitare sentiam? cum (inquit) impalluisse videris, at pallescentem quomodo sciero? hic ocurrit medicus, si non habes ex te (inquiens) vetalia sentias, nō habeo amplius quid dicam. Hoc pacto de aliis communis huic erit oratio. Similiter habet & in affectibus dignoscendis. aliquid nanque per sese sensu oportet coniicere. Quærat porrò & hoc fortassis quispiam, nanquid re ipsa ista cognoscens, ero continuo melior? nam sunt qui opinentur. Hoc certè est minimè, vt cæterarum scientiarum nulla discenti vsum præbet & actionem, sed habitum duntaxat, ita ne quidem hic, hæc scientia, vsum tradit. Felicitas enim est (vt fatemur) actio, non habitus. neque enim sciendo ex quibus constet felicitas, sed ex vtendo his, atqui horum vsus & actio est. nec est præsentis tractationis hoc tradere: quandoquidem neque vlla alia quæpiam scientia vsum tradit, sed habitum.

De amicitia, & amicis.

CAP. XII.

VErum enimuero inter cuncta huiusmodi nobis de amicitia dicere necesse est, quid sit, & in quibus, & circa quid. quandoquidem ad eorum vitam ipsam tendere perspicimus, & omni tempore bonum esse, quo ad felicitatem complectendam. Primum igitur videbitur melius percurrere, ac excutere quæ ambigua sunt.

Nam

Nam est in primis amicitia in familibus, ve videtur, ac dici solet. siquidem graculus (inquiunt) graculo assidet, semperque Deus simile agit ad simile. dicitur quoque canis semper in eadem tegula dormitare. Interrogatus fertur Empedocles, cúrnam canis semper in eadem dormiat tegula, dixisse, quoniam simile canis habet tegulæ, & perinde ob similitudinem eò tendere. Aliis porrò visum est, potius in contrariis gigni amicitiam. amat siquidem imbrem terra (inquiunt) cùm solum exaruit. quippe quòd (inquiunt) contrarium contrario velit concilian. at in similibus nihil fieri contingit. siquidem simile (vt aiunt) simili non eget, ac talia iactantur. Iterum, vtrum operosum est amicum fieri, an facile? velut assentatores confestim assentantur, nec amici sunt, vt esse videntur. Dubitauerit in his quoque quispiam, num fuerit probus malo amicus, an ne? amicitia siquidem in fide & constantia. at malus, neutiquam talis. An malus malo amicus? Ne id quidem. Primum igitur definiendum qualem consideremus amicitiam. est nanque (vt opinantur) amicitia etiam erga Deum: atque inanimata, neutiquam reuê. Amicitiam nanque hic esse dicimus, vbi amor reciprocus. at erga Deum amicitia neutiquam reciprocum. & ne quidem amare fuscipit. alienum nanque fuerit, si qui piam dicerit Deum amare. At ne quidem ab inanimatis amorem esse continget reciprocum: amor tamen erga inanimata est, vt vinum, vel huiusmodi aliud. Ideo non erga Deum quærimus amicitiam, neque erga inanimata, sed erga animata, atque erga ea in quibus sit amare mutuo. Quod si quis deinceps cõsideret, quid sit amabile, videbitur

est igitur non quicquam aliud quàm per se bonum. Aliud nempe est amabile, & aliud amandum: quemadmodum consultabile & consultãdum. vtriq; enim bonum ineſt. Ita etiam amabile quidem, simpliciter bonum: amandum vero eodem modo bonum. Iterum amandum quidem, etiam amabile: at amabile non idem est, quod amandum. Hinc igitur & hac de causa est ambiguitas, num probus malo sit amicus, ánne. Connectitur nanque quodam modo per se bono sibi bonum, & amandum amabili. habetur autem & consequitur bonum iucundum esse, & commodum. proborum igitur amicitia est, cum se mutuo amauerint: amant autem se inuicem, quatenus amabiles: & amabiles, quatenus boni. non igitur probus, inquit, malo erit amicus. Atqui erit quandoquidem per se bonum comitatur commodum & iucundum si malus est qui suauis, hac de causa amicus. rursus quatenus commodus, eatenus amicus. Verum nonerit ex amabili eiusmodi amicitia. siquidem amabile bonum est: atqui malus non amabilis: non ergo propter amabile, sed propter amandum. Sunt nanque ab vniuersali amicitia quæ in ipsis probis est, hæ quoque amicitiæ quæ ex iucundo, & quæ ex commodo. qui ergo propter iucundum amicus, non tenet propter bonum amicitiam: neque qui propter commodum. Atqui sunt hæ amicitiæ, quæ propter bonum, quæ propter iucundum, quæ propter commodum. nec tamen eædem, & ne quidé proprias inter se inuicem alienæ, sed ab eodem quodammodo dictæ sunt, velut medicæ cultellum dicimus, medicum hominé, & medicã sciẽtiam. hæc non similiter dicuntur: sed cultellus,

quòd

quòd ad medicinam vtilis sit, medicus dicitur, at homo, quòd sanitatem faciat. scientia vero, quòd sit causa arq; principiò. Itidé & amicitiæ non itidem quæ proborũ, quippe quòd propter bonum, & quæ propter iucundum, & quæ propter commodum. Neq; dicuntur æquiuocæ. verum non sunt eædem: sed circa eadem quodãmodo, ac ex eisdem. Quòd si quis dicat, qui propter iucundum amat, ei amicus non est, quando quidem non propter bonum amicus est, is in amicitiam proborum demigrat. quæ ex his omnibus constat, quippe ex bono & iucundo, & ex commodo. proinde non est vere ex illa amicitia amicus, quæ propter iucundum, vel propter commodum. Vtrum igitur erit probus probo amicus, an non? siquidem non eget (inquit) similis simili. Hæc nimirum qratio, propter commodum indagat amicitiam. nam quatenus alter altero indiget, eatenus sunt amici, quatenus propter commodum conciliantur. cum alter definiatur quæ propter commodum amicitia, & quæ propter virtutem, & quæ propter voluptatem, æquum vtiq; hoc multo magis eos, qui virtute conciliantur. cuncta siquidem ipsis bona existũt, & iucundum, & commodum. Ceterum etiam probus malo. nam quatenus fortassis iucundus est, eatenus etiam amicus. Et malus malo. nam quatenus idem forte ipsis commodum, eatenus amici sunt. fieri namque intuemur, cum idem fuerit cõmodum, eos ob eommodum conciliari. proinde nihil prohibet, etiã malis aliquod commodũ esse. Constãtissima igitur, ac stabilissima, & honestissima, quæ inest probis amicitia. quippe quòd propter virtutẽ, ac per se bonum. Nam virtus incommutabilis

& quæ

& quæ per eam conciliatur amicitia, constantissima est. at quæ ex commodo stabilis non est amicitia, quippe quæ cum commodo elabitur. similiter etiam quæ propter voluptatem. Optimorum igitur amicitia, quæ per virtutem excitata est. multorum autem, quæ commodum, & quæ propter voluptatem. in oneribus, & his quæ obueniunt. Contingit autem etiam indignari cum malis amicis, paritérque admirari. Est vero non absurdum, cum enim amicitia principium ceperit voluptatem, propter quod amici sunt, itidem & commodum, simul enim hæc deficiunt, neutiquam etiam perduraverit amicitia. At sæpe perstat quidem amicitia, verum abusus amico est. ideo indignatur, neque ad iniuria. non enim propter virtutem cum hoc sibi fuerat conciliata, vt alienum non videatur sibi esse ex virtute. Quamobrem non rectè indignantur, qui amicitiam per voluptatem conciliarunt, quod existiment ipsam per virtutem duraturam, quod fieri non potest. non enim quæ propter voluptatem & commodum, ex virtute est. Voluptate igitur conciliati, non recte virtutem quærunt. neque enim comitatur voluptatem & commodum aliquod virtus: sed contrà, ea ambo virtutem consequuntur. Alienum enim nisi bonos, putare sibi fore iucũdos. *quandoquidem mali* (vt inquit Euripides) *ipsi sibi sunt iucundi, malus vero contabescit.* nec enim voluptatem virtus comes consequitur, sed virtutem voluptas comitatur. Vtrum vero etiam oportet in amicitia proborum esse voluptatem, an non? Alienum enim non videri oportere. nam si ab ipsis inter se inuicem auferas suauitatem, alios ad consuescendum in vita iucun-

dos amicos adeunt. nam ad simul vjuendum nihil maius est,quàm iucundos esse. quamobrè alienum est non arbitrari, probos maxime simul inuicem vitam agere. id vero citra iucundum non est. expedit ergo (vt videtur) his maxime iucundis esse. Quoniam autem distributæ sunt in tres amicitiæ species,in hisque ambigebatur,vtrum in ipsa æquabilitate amicicia esset, an in eo quod esset inæquabile. Est igitur in vtroque: nam proborum, per similitudinem perfecta amicitia est.at quæ per dissimilitudinem,ea quæ propter commodum. Nam eo modo copioso pauper, ob inopiam eorum quibus affluit diues,amicus est.ac eadem de causa,malus probo, siquidem propter virtutis inopiam, à quo sibi opitulatum iri putat, ei ob hoc amicus est.fit igitur propter commodum inter dissimiles amicitia.Hac de causa dixit Euripides,

Amat umbrem terra, cùm sólum exaresit.

His,vtpote contrariis,amicitia ob commodum exoritur.nam si libeat maximè contraria facere inter se inuicem vtilia,vt ignem & aquam componendo,ignis si desit humor,absumitur, quem sibi attrahit tanquam alimentum: tantum quidem, vt non succumbat. nam si superauit humor, ignis absumitur.si vero moderatus, conferet. Non dubium igitur,quin in maxime contrariis ob commodum sit amicitia.Deducuntur autem amicitiæ omnes, tam ipsa æqualitate quàm inæqualitate, in tres distributæ species. Est autem in cunctis contentio inter se inuicem amicitiis, cum nequaquam similiter anauerint,vel fecerint, vel supperunerint, vel cum id genus aliquid. & cum vnus quidem vehementer facit,alter vero deficit, in deficiendo inclamatio

matio est, atque incusatio. Præterea in quibus idem est amicitiæ finis, vt si vtrique propter commodum inter se inuicem amici concilientur,aut propter iucundum, aut propter virtutem,defectus qui ab altero,exploratus ac certus est.Si igitur plura,tu mihi bona contuleris, quâ ego tibi,non ambigo quin tu de me bene meritus,à me plus amari debeas.Vbi autem non hac amicitia amici fuerimus, ibi maiores differentiæ:defectus siquidem ab vtroque incertus. vt si propter voluptatem vnus quidem sit amicus, & propter commodum alter,inde oritur ambiguitas,neque enim qui commodo excedit, voluptatem censet dignam quæ commodo rependatur,nec qui voluptate superat, dignam gratiam in ipso commodo se existimat accipere. idcirco in eiusmodi amicitiis magis exoriuntur differentiæ. Qui vero ex inæqualitate amici sunt,nempe excedentes opibus, vel alio huiusmodi aliquo, non sibi censent amandum esse, sed ab inferioribus amari oportere existimant. At amare melius est quàm amari. siquidem amare voluptatis actio quædam est, & bonum: ab eo autem quod ametur,nulla actio est.nèpe cognoscere, melius quàm cognosci. cognosci enim & amari etiam in carentibus anima existimat. cognoscere & amare in rebus animatis. Rursus beneficium esse melius quàm secus. qui amat,quatenus amat,beneficus est: amatus vero, quatenus amatur, non. Sed homines honoris cupiditate incensi, amari quàm amare malunt:quòd quatenus amantur,videantur præcellere.amatus siquidem voluptate, vel copia, vel virtute præcellit. At honoris cupidus eminentiam affectat.& qui excellunt, sibi non aman-

dum esse arbitrantur, quòd in quibus excedunt, amantibus rependi opinantur. Item ipsis sunt deteriores illi, ob hoc non censent amare debere, sed amari. Sed qui egenus pecuniarum, aut voluptatum, aut virtutis, is affluentem suspicit & amat, quòd ea consequatur, aut se consecuturum opinetur. Sunt autem & aliæ ex consimili affectu conciliatæ amicitiæ, & ex eo quòd cuipiam bona velint, in quibus non est cuncta hæc comprehendens facta amicitia: nam sæpenumero alij bona volumus, attamen cum alio vitam agere malimus: vtrum hoc amicitiæ dicere oportet, an consummatæ amicitiæ nempe per virtutem affectus? in ea siquidem amicitia hæc insunt cuncta. nam cum alio nemine vitam agere libuerit, si quidem iucundum, & commodum, & virtus inest probo, cui bona in primis voluerimus, & cum ipso viuere & bene viuere, & non cum quoquam alio magis. Nunquid ibi & erga se amicitia, an non? id nunc omittamus, dicemus posten. sed enim nobis ipsis cuncta volumus, nempe nobiscum viuere vitámque dacere vna volumus. id ferè etiam necessarium, & bene viuere, & viuere ac bonum velle, non cuiquam alij magis. Rursus similium affectuosi in primis sumus nobis ipsis. nam si labamur, vel in huiusmodi aliquid decidamus, consestim instamur. Hac de causa videatur erga se sibi amicitia. Talia quidem certe, vt in similitudine affectationem, & bene viuere, & id genus alia, aut erga nos ipsos dicimur referre amicitiam, aut in eam quæ perfecta sit, in ambabus enim sunt hæc omnia: nempe vna vitam agere, & esse vellc, & bene esse, ac cætera omnia in his sunt. Rursus videatur ferè in quibus iustum est, in eisdem esse

esse amicitia. quamobrem quot iustorum sunt species, totidem & amicorum. Iustum certe est, & hospiti erga ciuem, & seruo erga dominum, & ciui erga ciuem, & filio erga patrem, & vxori erga virum, & quæcunque simpliciter alię conciliationes, & amicitiæ sunt in horum singulis. amicitiarum vero hospitalis validissima videatur. neque enim vllus est communis, de quo ambigatur, finis, vt inter ciues. siquidem ambigunt propter excessum inter se inuicem, nec amici permanent. Nunc demum illud dicendum est, vtrum erga se sit amicitia, nécne.

De amicitia erga se.

CAP. XIII.

QVoniam igitur perspicimus, vt paulo ante dicebamus, quòd ex singularibus amare cognoscitur: singularia vero nobis ipsi in primis velimus: nempe bona, & esse, & bene esse, & similium affectantissimi nobis sumus, & nobiscum viuere præcipue malimus. Quòd si ex singularibus cognoscitur amicitia: singularia vero nobis ipsis inesse volumus: non dubium quin ita erga nos sit amicitia, quemadmodum & iniuriâ erga nos ipsos esse dicebamus. Nam quemadmodum alter quidem afficiens iniuria, alter vero affectus iniuria, vnus & idem est: & ob hoc, ne quidem esse videbatur iniuria: est nimirum, vt dicebamus, in animæ partibus consideratione iactantes. quandoquidem est videre, cùm plures non consentiunt, tum aduersum se esse iniuriam: ita igitur hic erga se esse videatur amicitia. Nam quoniam amicus est (vt fatemur, cum demum voluerimus impense ami-

cum dicere) vna mea & huius anima est. At quando animæ plures sunt partes, tum vna fuerit anima, cùm erga se inuicem consenserint ratio & perturbationes, ita nanque vna erit, perinde atque si vna facta sit, erit erga se amicitia. Hæc autem erga se erit in bono amicitia, quandoquidem in eo solo animæ partes bene inter seinuicem habent, quando inter se non differunt, quoniam malus nunquàm sibi amicus est: se nanque semper oppugnat, nempe incontinens cùm quid per voluptatem nequiter egerit, mox pœnitentia affligitur, ac se exercuciat, idem & in aliis vitiis malus habet, sese oppugnando, ac sibi aduersando. Est autem amicitia etiam in ipsa æqualitate, vt sociorum, per æqualitatem numero & potestate boni. Neuter siquidem ipsorum debet altero plus sibi asciscere, neque numero bonorum, neque potestate, neque magnitudine, sed ex æquali habere socij aliquid cæpiunt. At per æqualitatem, patris erga filium & subditi & imperantis, & potioris & deterioris, & vxoris & viri est consideratio: ac simpliciter vbicunque inter potiorem & deteriorem in amicitia ordo intercessit, hæc nanque est ratione in dispatilitate amicitia. Neque enim vnquam æquale vllus ex bono dabit, si melior deteriorique dederit: sed maius semper ei qui excedat. Id quippe est quodammodo ratione æquale, cùm minus bonum capit deterior eo qui melior est.

De affinitate.

CAP. XIIII.

AMicitiarum omnium, quæ iam memoratæ sunt, in primis cognatus est amor, qui in affinitate, eáque ex parte in filium. Et cur nam pater filium magis amat, quàm filius patrem? verum (vt nonnulli inter multos recte ajunt) quòd pater beneficus erga filium sit, quódque filius de patre benemeritus sit? hæc igitur causa in amicitia per commodum conciliata esse videbitur. quemadmodum & quæ per scientiam spectatur, ita quodammodo hic habebit. Est igitur idem finis atque actio, neque aliud aliquid præter actionem finis. vt tibicini eadem actio atque finis. perflare enim tibias et & finis & actio est. non autem ædificationi: nam præter actionem alius est finis. Est igitur amicitia actio quædam. nec finis alius est præter actionem in amando, sed illud idem. Pater igitur semper magis quoquomodo satagit, ob hoc quòd eius factio sit filius, id quod in aliis cernimus. omnes siquidem erga quod ipsi effecerant, sunt quodammodo benevoli. pater igitur filio, vtpote suæ factioni, bona vult, memoria ipséque adductus. ideo magis filium pater diligit, quàm filius patrem.

An benevolentia amicitia sit.

CAP. XV.

EXpedit autem iam dictas & eiusmatas amicitias existimare, sintne amicitiæ, vt benevolentia videatúrne amicitia. Simpliciter igitur benevolentia neutiquam amicitia esse videatur: siquidem frequenter multis, aut videndo, aut audiendo aliquid de aliquo bono, benevoli efficiamur, an tum etiam amici, an ne? neque enim si quispiam Dario apud Persas existenti benevolus (quemadmodum fortassis)

fuerit confestim etiam erga Darium illi fuerit amicitia. At amicitiæ beneuolentia quandoque initium esse videbitur. Fiat nempe beneuolentia amicitia, si voluntatem asciuerit qui bona potest præstare, ei præstandi in quo sit beneuolentia. Moris certe beneuolentia est, & erga mortem. nemo siquidem aut vino, aut cuiquam alij inanimato suaui bono beneuolus esse perhibetur. sed si quis morum studiosus, erga ipsum beneuolentia. Neque citra amicitiam beneuolentia est, sed in eodem: iccirco amicitia esse videtur.

De concordia.

CAP. XVI.

COncordia autem est confinis amicitiæ, si proprie modo dictam accipias concordiam. nam siquis Empedocli astipuletur, arbitretúrque sicut ille esse elementa, nunquid concorserit Empedocli, an ne? vel si quid aliud tale? Primum certe non est concordia in eis quæ sub intelligentiam, sed quæ sub actionem cadunt. & in his qui idem cognouerunt, sed si cum hoc intelligendi idem delectum habeant, circa quæ pariter intelligunt. Nam si ambo dominari cognouerunt, hic quidem se, ille vero se, nunquid sunt concordes, an non? cæterum si ego me velim imperare, & ille me, iam concordes hoc pacto sumus. Est nimirum concordia esse, in eis quæ sub actionem cadant, cum eiusdem voluntate. circa statum igitur dominantis, in eisdem quæ sub actionem cadant, proprie dicitur esse concordia.

Quomodo

Quomodo probus sese amabit.

CAP. XVII.

VErum quoniam est (vt diximus) sua alicuius erga se amicitia, vtrum probus sese amabit, an ne? est certe se amans, qui sua de causa agit omnia, vbi modo aliqua suggeratur vtilitas. Malus igitur sui amans erit. iua enim de causa agit omnia. probus vero non. hac enim de causa est probus, quòd alterius causa id agat. & proinde sui amans non est. Atqui omnes ad bona prosiliunt, opinantúrque sua in primis esse oportere. idque præcipue manifestum est ex opulentia ac dominatu. Probus igitur alij hæc statuet, nec vt officiosum in primis sibi, sed si alium viderit qui his commode magis vti possit, facile concesserit. Alij, hoc inscita quadam non facient. neque enim opinantur talibus bonis abusuros, vel etiam ob honoris cupiditatem imperant. Probus vero horum neuerum efficiet. & perinde ne quidem propter huiusmodi bona sui amans erit, verum si honestas postularit. id enim solum nemini alij concesserit, at commoda & iucunda cesserit. Itaque in delectu honestatis sui amans erit. at vbi commodum ac iam dicta voluptas affectabitur, improbus erit, non bonus. Vtrum probus sese maxime amabit, an non? Est certe, vbi sese maxime amabit, est vbi non. Nam cùm dicimus probum bona cedere quæ ad vtilitatem tendant, amicum magis quàm se amicum amauerit ita, verum amico concedens sibi honestatem accommodat, eóque modo ista concedit. Est igitur vbi amicum se magis diligat, estque vbi se maxime. in ipso nanque commodo, ami-

cum.at vbi honestum & bonum, ipse sese maxime diligit. Est igitur boni etiam amans, nec sui amans.solum enim siquidé sese amat, quòd bonus.Malus autem sui amans est.neque enim habet quapropter se amet, sicut honestum aliquod,sed citra hæc ipse, quatenus ipse est, sese amabit. & perinde hac de causa proprie sui amans diceretur.

De eo quod sibi satis.

CAP. XVIII.

Dicendum de eo quod sibi satis, & non altero indigente.vtrum qui sibi satis egerit amicitia,an nè? nempe ipse sibi satis erit, etiam ob hoc, siquidem etiam poëtæ talia iactitant. Cùm dæmon bene dederit, quid, amicis opus est? Vnde etiam gignitur inopia? Vtrum qui cuncta habeat bona,quique sibi satis sit, amicis egebit,an tum etiam maxime? cui enim bene faciet,aut quo cum vitam ducet? neque enim iocus deget. Quòd si his opus erit, neque contingunt hæc citra amicitiam,qui sibi satis est, egebit amicitia. Quæ igitur in sermonibus consueta capi similitudo ex Deo, neque illic recte, neque hic fuerit vtilis. Neque enim si Deus sibi satis, nec vllo indigens,ob hoc etiam nos nullo indigebimus. Est nimirum iactatus de Deo huiusmodi sermo. nam quoniam bona cuncta obtinet Deus, ac sibi satis est.quid faciet? neque enim dormiet. Inspiciet aliquid, inquiunt: id nanque pulcherrimum, & maxime peculiare. Quid igitur inspiciet? nam si quicquam aliud inspiciet, id erit melius.hoc vero absurdum est, vt se quicquam melius habeat Deus. Ipse igitur sese

sese inspiciet. at hoc delirum. nam homini qui sese inspiciat, vt pote attonito,inclamamus.quid igitur Deus inspiciat omittamus, neque de eo quòd sibi Deus satis sit,consideremus, sed de homine. Vtrum qui sibi satis sit, is egeat amicitia, nécne? quòd si quis amicum spectans viderit quid sit,& qualis amicus, talis qualis alter ego esse, tum vehementer amicum facies,quemadmodum dictum est, hic alter Hercules, alter amicus ego. Quoniam igitur difficillimum est (quemadmodum quidam dixere sapientes) sese cognoscere, & suauissimum: nam se nosse, iucundum: ex nobis ipsis certe nos non possumus inspicere. Quòd autem non nobis possumus, hinc certum quòd aliis inclamamus, nec nobis cognita quòd eadem faciamus. id vero fit, aut quia bene volumus nobis, aut propter affectum. at nobis hæc ad recte iudicandum obstant plerisque. Quemadmodum igitur si velimus ipsi nostram spectare faciem, in speculo obtuemur, itidem esse cùm nos cognoscere volumus, amicum spectantes nosse potuerimus.est si quidem (vt diximus) amicus alter ego. Quòd si iucundum est se nosse, idque scire non est sine altero amico, opus erit amicitia, qui sibi facilis sit vt se cognoscat. rursus etiam si honestum (vt est) benefacere, eum qui à fortuna bona obtineat, cui benefaciet? quo cum vitam aget? non enim solus deget. nam vitam ducere cum alio,& iucundum & necessarium est. Quòd si hæc honesta & iucunda, necnon necessaria, & hæc sine amicitia esse non possunt, opus erit amicitia qui sibi satis sit.

De mul

De multorum amicitia.

CAP. XIX.

VTrum multos habere amicos expedit, an paucos? Neque profectò multos (vt paucis absoluam) neque paucos oportet. nam si multi erunt, amorem in singulos distribuere erit operosum, in cunctis siquidem aliis imbecilla natura nostra, in plurima peruenire non potest. neq; enim visu diutissime possumus: sed si plus mediocritate institeris, ob imbecillam naturam deficit, nec auditu, neque aliis eiusmodi omnibus. Qui igitur amare non possit, deficit: iúsque fuerit vt inclametur coarguatúrque, quòd amicus sit, nec amet, cæterum hac ratione esse non postulat amicitia. Rursus si multi, nũquam mœrere desierint, inter multos nanque par est, vt aliquod semper accidat infortunium, vnde irritari necesse sit, neque porro paucos, vnum vel duos esse expeditis: sed inter parum & multum, vt tempus, atque ad amandum satis sit impulsus.

Quomodo amico vtendum sit.

CAP. XX.

DEinceps considerandum fuerit quomodo vtendum sit amico. Est profectò non in omni amicitia coniectatio, sed in qua se inuicem amici obiurgant. Atqui non in aliis eodem modo se obiurgant, sicut in ea quæ patris erga filium, eadem non est inclamatio, vt par fuerit nonnulli, quemadmodum ego tibi, & tu mihi, quòd si non, hic tam vehemens fuerit inclamatio. At in amicis inæqualibus non est par, est vero patris erga filium amicitia in minime æquali, itidem vxoris erga virum, aut vernæ erga dominum, protsúsque deterioris & melioris. In eiusmodi non erunt inclamationes, sed vbi pares amici, & in ipsa amicitia talis erit obiurgatio. Proinde considerandum, quo pacto vtendum amico fuerit, in ea demum amicitia, quæ inter pares fuerit conciliata.

Magnorum Moralium Aristotelis finis.

LECTORI.

Moralium etiam Eudemiorum libros (vt & alij fecere) hunc Magnorum Moralium volumen subiecimus, qui, quanquam eadem, qua & Nicomachij pertractent, ea tamen sæpenumero diuerso explicant modo. Aristotelis autem operibus inseri solent cum (cuiuscunque illi fuerint) eos ex ipsius depromptos officina Peripateticos approbarint. Sextus tamen Quartum, Quintum, & Sextum libros (quanquam in Græcis reperiantur exemplaribus) cum iidem ad verbum sint cum Quinto, Sexto, Septimóque Nicomachiorum: ne idem pœnitus bis frustra repeteretur.

ARIST

ARISTOTELIS STAGIRITAE, PERIPATETICORVM Principis, Moraliū Eudemiorum

LIBER PRIMVS.

SVMMA LIBRI.

Circa beatam vitam, ac felicitatem considerationes quàplurimæ: Et non dari ipsius bene Idæam.

De beata vita agendum esse: de eóque in qua consistat, variæ opiniones.

CAP. I.

QVi numinis sententiam à Delo edisserit, vestibulo templi inscripsit: Non in eodem omnia conuenire, Bona honestum & Iucundum. Nam iustitiæ quidem cultum, rem esse pulcherrimam, sanitatis præstantissimam, rei verò amatæ consecutionem suauissimam. Quod nos nequaquam concesserimus. felicitas enim cùm optima sit & pulcherrima, eadem etiam iucundissima existit. Cæterum inter considerationes varias, quæ in vnaquaque re naturáque exercienda negotium faciunt, & contemplatione egent, aliæ ad cognoscēdum tantum pertinent, aliæ

aliæ vero ad acquisitionem, & negotia spectant. Quamobrem quæ in sola contemplatione posita sunt, opportuno tempore (id quod methodi proprium munus est) à nobis pertractabuntur.

Ante omnia vero considerandum, in quonam vita beata consistat, & quo pacto ad eam perueniatur. Vtrum, quemadmodum homines pari, magni, & colore differētes, sic quibus nomen beatorum contigit, natura fiant. An per disciplinam, velut certam eo destinatam scientiam. An per exercitationem. haud enim pauca, neque natura, nec arte aliqua, sed consuetudine sola parantur: vt mala malis, bona bonis. Aut nullo quidem horum modorum, sed aut Dei alicuius afflatu, quod fanatico furore correpti, aut numine instincti accidit. Aut etiam fortuna. plurimi enim felicitatem idem quod secundam fortunam esse arbitrātur. Patet igitur beatitudinem euenire, vel per hæc omnia, vel quædam, vel vnum aliquid. nam ad hæc principia referūtur omnes rerum generationesque ab intelligentia profectæ actiones ad eas, quæ à scientia fiunt, transierri queant. Porrò bene beatéque viuere in tribus maxime rebus consistit, iis nempe quæ potissimum expetuntur. Nam prudentiam alij, alij virtutem, alij vero voluptatem vt summum aliquid eligunt, contendúntque inter se de harum magnitudine & potestate, quænam ad felicitatis consecutionem vim adferat vberiorem. Vnde fit, vt quidam prudentiam virtuti, alij prudentiæ virtutem, nonnulli vtrique voluptatem anteponant, quocirca ad bene beatéque viuendum, quidam vnum ex his, alij duo, nonnulli omnia requirunt. Et qui de his præcipiūt, aliqui omnibus scopum quendam recte viuendi

propo

propositum esse,qui modo ex electione viuere iam queant:vt sunt honor,gloria,opes,eruditio quem spectans quisque, omnes actiones peragit.Qua propter vita proposito fine carens, insignis stultitiæ argumentum est. In primis vero apud sese quisque, nec temerarie, nec segniter constituere debet,quánam parte beata vita consistat,& quid sit,quo sine nemini ex contingat. Neque enim sanũ esse,& id,& quo sine nequeat consistere sanitas,pro eodem reputari non debent.ita nec recte viuere idem cum eo est, citra quod id nemo consequatur, quod idem etiam in aliis innumeris obseruatur.Sunt autem causæ eiusmodi,non equidem vitæ,sanitatisve propriæ,sed communes(vt sic loquar) omnium habituum & operationum, nam absque respiratione neque vigilia nec motus, nec bonum aut malum in vniuersum vllum subsistit.Aliæ vero propriæ sunt magis vnuiscuiusque naturæ,quas ignorare non conueniat,neque enim ex æque cum iam dictis ad bonam habitudinem acquirendam faciunt carnium esus,atque cibo ingesto deambulatio. Atque hæc sint quæ difficultatem controuersiámque pariunt, dum quid sit recte viuere,& vnde contingat homini inquirituri:nam id, quo sine nemo queat beatus esse, nonnulli felicitatis partem existimant. Verum omnes omnium de his opiniones persequi superuacuum sit,quando & ægrotis, ac delirisis,& pueris quædam videatur,quæ nemo sanæ mentis in quæstionem posuerit.Ratione enim opus non est,sed his quidem ætate proueniore, qua corrigatur iudicium:illis vero punitione politica medicáve,quæ dolori inferendo plagis, vim habet haud minorem.Similiter & vulgi, de rebus omnibus ferè pronunciantis obmittenda sententia est,absurdum quippe ratione cum iis contendere, qui non rationem, sed mulctam mereantur.

Dubitationes de vita excellentissima:& eam secundum diuersos in diuersis poni generibus.

CAP. II.

PErrò cũ in omni negotio quæstiones oriãtur,patet etiam de vita excellentissima dubitationes,opinionésque occurrere, quas sit expendere operæpretium.cõtrouertentium enim argumentis rationes contrariæ demonstrantur. Ignorare insuper haudquaquam conuenit subtractationis principium ea,quibus omnis cõsideratio destinatur, scilicet,è quibus bene recteque viuere contingat(beate enim parcius dicere conuenit, ob spem quæ in singulis à bonis honestisque viris percipi solet.)Nam si vel in fortuitis,vel iis quæ natura eueniunt, sita est vita, honestas, commodiásque:spes eius præcidatur,multis quippe, qui frustra eò cura sedulitatéque enitantur,siue id quod in ipsis est, siue studium actionémque spectes. Verum si in operatione penes ipsum positam,& in eo quaisquisque sit bene viuere constituatur,& communius & diuinius bonum fuerit illud quidem, quia pluribus participare liceat:hoc,quòd operationes huiusmodi vel illiusmodi formare habeat necessum. Equidem quæ de his ambigunsi constiterit, quid vere tandem felicitatem oportear appellare. An pro animo, hoc vel illo pacto disposito,vt quidam sapientes veteresque existimarunt, definire eam conueniat:an vero

l'ro totius hominis statu, aut operationum potius qualitate & modo. Distinctis autem inter se vitæ conditionibus & studiis, felicitatem nonnulli haudquaquam in eis collocant, sed necessariorum gratia tantum experi contendunt: cuiusmodi sunt artes odiosæ, vt appellantur, & quæstuariæ. (Odiosas autem voco, gloriæ tantum destinatas, mechanicas autem voco, sellularias & mercenarias: quæstuarias autem, seruo cauponicisque artibus comparatas.) Ergo cum ad vitam bene beatéque transigendam tria (vt supra diximus,) velut potissima bonorum genera ordinata sint, virtus, prudentia, & voluptas, totidem etiam vitæ genera enasci constat, quas omnes mentis saltem compotes adipisci & sectari cupiant: nempe ciuile, philosophicum, & voluptuarium. Philosophus enim prudentiam contemplationémque veritatis: ciuilis, actiones honestas, eas inquam, quæ à virtute proficiscuntur: voluptuarius vero corporis voluptates expetit, quapropter, vt supra dictum est, alium quàm priores, felicem beatúmque arbitratur. Vnde Anaxagoras Clazomenius à quodam interrogatus, quemnam beatissimum iudicaret, nullum, inquit, ex iis quos existimas, sed qui à felicitate alienissimus tibi videatur. Animaduerterat enim nisi magnum, pulchrum, aut diuitem, neminem felicis appellatione dignum illi censeri: cum contra sibi felices beatique haberentur, qui, iustis honestisque actionibus tranquille incumberent, diuinâque aliqua contemplatione participarent. Cæterum recta syncerâque iudicatio de rebus difficultate vbique plena est, cum in primis de iis, quæ obscura omnium cognitioni exposita vulgus arbitratur, vt quid in vita expetendum sit, quóue comparato plenam cupiditatem consequantur. Multa quippe mortalium vitam circunstant, & molestam faciant & acerbam vt sunt morbi, dolorum intentio, tempestates, vt si hæc considerans optio à principio detur, non nasci, potius quàm hæc experiri velint. Qua conditione vita puerilis est, ad quam nemo prudens, etiam si quem redierit. Ac multa quidem, vel voluptatis dolorúmque expertia, vel inhonestis saltem voluptatibus iuncta, eiusmodi sunt vt non esse omnino quàm viuere, melius iudicetur. Ac in vniuersum, si congeras cuncta, quæ vel agúntur vel patiuntur homines nó volentes (quia nec ipsius gratia) adiectis infinitis temporum spatiis, nihilo tamen magis viuere quàm non viuere eligatur. Eodem pacto neque ob cibi veneríque voluptates, si reliquis destituta fuerit, quas vel cognitio vel visus, aut sensus quispiam alius suppeditarit, nemo nisi seruile mancipium magopere sibi vitam exoptandam iudicarit, patet enim à bruto ita affectum hominem nihil differre, adeo vt bos Aegyptius, quem vt Apin colunt, nos monarchas multis modis antecellat. Eadem ratio est de somni voluptate. Quid enim refert, siue à prima natiuitatis die ad vltimam vsque, mille annis aut circiter somno profundo sepultas, an vitam plantæ viuas. illæ enim eadem propemodum, qua infantes, vita participant. nam & hi vt primum in vtero concepti sunt, excrescunt quidem, sed velut iugi somno sopiti. Vnde constat, nequaquam nostræ cognitioni expositum, quid rectum illud bonúmque in vita sit. Quocirca Anaxagoras, ambigentem quendam scitantémque quare viuere

potius quàm non viuere expetendum esse, iussit cœlum mundique totius constitutionem & ordinem contueri: sentiens vitæ cupiditatem, non nisi scientiæ alicuius gratia laudabilem esse. Cæterum qui Sardanapalum, aut Smindyriden Sybaritam, aut alium quemcunque vitæ voluptuariæ indulgentem, beatum prædicant, hi in lætando felicitatem posuisse videntur. Rursum alij reperiuntur qui nec prudentiam nec corporis voluptates, actionibus à virtute prætulerint: quippe quas non gloriæ alicuius gratia sectatur: tum etiam cum felicitatem minime consequuntur. Sed & multis illudibus appellatio non contingit, nam nec reuera ciuiles sunt, qui honestas per se actiones expetunt: neque alij habendi studio & gratia diuitiarum vitam eiusmodi capessant. Inde manifestum est felicitatem ad tria vitæ genera transferri: ciuile, philosophicum, & voluptuarium. neque clam est, quæ harum circa corporis voluptates consumetur: quæ item, qualisque sit: tum quo pacto fiat: vt non sit necessum quæ sint, sed num ad felicitatem, & quo pacto conferant perquirere: item an voluptates honestas vitæ applicare oporteat, an alio pacto quopiam inter sese communicent. sunt enim & voluptates aliæ, quibus in rationibus colligendis beatum non absque dolore tantum, sed iucunde etiam viuere arbitrantur. Verum de his postea dicetur. Virtutis vero prudentiæque naturam excutiemus quæ sit, & vtrum beatæ vitæ partes existant, vel ipsæ, vel operationes ab ipsis profectæ. iunguntur enim felicitati, si nõ ab omnibus, certe ab insignioribus, & pretio aliquo dignis.

Socra-

Socratis opinio de virtute: ac ipsius redargutio.

CAP. III.

SOcrates igitur, senex ille finem summũ posuit homini virtutis cognitionem, & quid sit iustitia: quid fortitudo, & quæ pars reliqua eius inquirit. Et recte id, quando scientias virtutes omnes arbitrabatur, vt iuxta hũc nosse iustitiam & iustum esse coincidant, quemadmodum & geometriã architectonicámq; didicisse, & geometram architectũmque esse. Quocirca, nõ quo pacto, & ex quibus fiat, sed quid sit virtus vestigat, id quod in scientiis contemplatiuis vsu venit. neq; enim aliud est Astrologiæ, Geometriæ, physiologiæq; officium, quàm vt naturam subiectarum rerum norint & intelligant. sed enim ad eas ipsas nihil obstat, ad res necessarias multas vtiles nobis frugiferásque fieri. Verum alius est actiuis scientiis, alius cognitioni contemplationiq; finis propositus: vt sanitas medicinæ, recte iuris legúmque constitutio politicæ. Ergo, cùm res quidem honestas cognoscere pulchrũ sit, in virtutis tamen consideratione, non tam quid sit, quàm è quibus petatur, cognoscendum est. Neq; enim scire quid sit fortitudo magnopere, sed fortes esse potius volumus: non scire iustitiam, sed iusti esse: quemadmodum sani esse beneque habere, quàm sanitatem bonúmq; habitum cognoscere. Probationem vero horum omnium colligere per rationes oportet, adhibitis testimoniis exemplisque apparentibus. Potentissimũ vero est, in omni probatione confessum omnibus testimonio proposita firmare posse, si id nequeas, omnino vel aliquam verisimilitudinem adferre. residet enim penes omnes aliqua

veritatis confessio, quæ nostris confirmantibus queant adduci. Nam & ex quæ vere quidem, sed minus aperte dicuntur, perspicua fiunt, si cõsueta notioribus cõmutaris, rationes porrò in vnaquaq; methodo, vel philosophice, vel secus adhibentur: quæ etiam in politicis haud supervacue ita accommodantur, vt non solum quid, sed quare quid (quod philosophi est proprium) in vnaquaq; intelligatur. Qua in re animaduersio accurata requiritur. Sunt enim quidã, qui vt philosophi esse appareat, nihil, si nihil appareat discere, ignorantes peregrinas incidunt, tractationésq; inanes aduocãt, idq; vel perignorantiam, vel etiã per insolentiã: qua fit, vt nonnunquam periti rebúsq; agendis idonei, ab eiusmodi vitentur, qui hæc nec intelligant, nec in agẽdo industria vlla valeant. Cuius rei causa est inscitia quæ in vnaquaq; re nihil est aliud quàm inopia iudicij, qua proprie omnes à peregrinis distinguãtur. Recte vero habet, si causæ rationẽ, réque demonstratã studiose discusseris. Tum (vt modo dictum est) nõ solum certis rationibus, sed apparétibus sæpe potius insistere oportet, animúmq; aduertere. nã eas, nisi queas soluere, violẽter ad fidem habẽdam pertraheris. quocirca sæpe quidem id quod demonstratur ratione, verum existit quidem, sed non ea ex causa, quæ forte adfertur. nam & ex falsis vera colliguntur: quemadmodum in Analyticis ostenditur.

Bonorum diuisio, ac in quo membro felicitas sit constituenda.

CAP. IIII.

HAec præfari, à primis obscurioribúsq; exorsi, ad manifestiora progredierur, quid sit felicitas vestigaturi. Quæ omnium quidem consensu inter humana bona, maximum est & præstantissimum. (Humana adficio, quia excellentiori fortasse cuidam cõgruat, vt Deo alicui, nam reliqua animantia homine inferiora, huius appellationis prorsus sunt expertia. Neque enim felix dicitur, equus, auis, piscis, aut aliud quodcunque animantis genus: nisi forte naturæ bonitate præstanti diuináque re aliqua fruatur, vnde nomen hoc trahat. sed alia quidam bonorum participatione aliud alio commodius, inconmodiúsve viuit, quod ad eum modum habere deinceps excutietur. Nunc videndum, quòd bona, alia sunt agibilia, quædam non, idque intelligas, quòd vt entia, quæque motu carent, ita etiam bona nonnulla. atq; hæc fortasse natura sunt præstantissima. Alia vero agibilia quidem, sed agibilia præstantioribus homine. Quia vero agibile bifariam dicitur (nam & quorum gratia agimus, & quæ propter illa actione participant, vt sanitas & diuitiæ, quarũ horum gratia fiunt, salubria quæsuatiaque inter agibilia connumeramus) patet & felicitatem inter agibilia homini præstãtissimum dicendum esse.

Non dari ipsius boni Ideam.

CAP. V.

ITaq; considerãdum quod sit optimum illud, quibúsque modis dicatur. Id tribus potissimum opinionibus constat. Omnium enim bonorum excellentissimum inesse ipsum bonum. Ipsum autem bonum esse, quod & primum sit, & aliis suæ bonitatis causa: quorum vtrumque Idex boni comperit. Vtrunque dico, & primum

esse,& causam bonorum,quibus adfuerit.Iuxta hanc enim bona maxime dici,vt quę participatione, similitudinéq; huius primi boni, reuera bona & ipsa existant. Sublata enim Idea, participantia quoq; auferri:quippe quæ ex eius participatione nomen boni sortiuntur. Primum autem eum habere modum ad posteritis, vt bonū ipsum boni Idea sit,quæ vt reliquæ à participantibus seperatur. Verum huius opinionis consideratio alterius exercitationis est,& logicę magis.refellentes enim,communésq; rationes nulla alia scientia subsistunt. Porrò si breuiter hæc dicere conuenit,pronunciamus primum.Ideas non boni solum,sed cuiuscunq; alterius inutiliter cōtentioséque affirmari. Plurimi autem modi sunt,tum peruagatarum populariúmq;, tum philosophicarum rationum,quibus hæc inquisitio fieri solet. Deinde si maxime Ideas,atq; Boni Ideas concesserint, nihil tamen id vel ad vitam honestam,vel actiones contulerit. quoties enim ens,toties & bonum dicitur. Quemadmodum enim ens (vt alibi quoq; ostensum)significat quid sit res,aut qualis, nonnunquam quanta,aut quando,& præterea in eo ponatur interdum quod moueatur,aliquando vero quod moueat:sic & bonum in singulis his ordinibus conspicitur. Substantia enim mētem & Deum,qualitas iustum,quantitas mediocre,quando tēpus & opportunitatem, motus docentem doctúmq; complectitur. ergo vt ens non vnum est in prædictis consideratū,& ita nec bonum. & proinde neq; vna scientia & entis,& boni. Sed & nec cōformia inter sese ad eandem considerationem pertinent,vt tēpus & mediocritas:sed alia aliud tempus,alia aliam mediocritatem spectant. Vt oppor-

opportunitas mediocritásq; in alimento, quas medicina & gymnastice:circa actiones vero bellicas ars militaris. & sic alia de aliis tradit doctq;-multo itaq; minus ipsum bonum vna aliqua scientia comprehendi queat. Præterea in quibus prius & posterius fuerit,eis communem quandam Ideam & separabilem nequeas constituere. sic enim sit aliquid primo prius. prius enim & commune & separabile est,eò quòd ablato communi, necesse sit & primum tolli. vt si duplum multipliciū primum est,non licet multiplex communiter prædicatum separari, quippe quòd duplo prius est: siquidem Ideam communem esse contendas. perinde enim fiat, ac si commune illud separabile reddas.nam si iustitia bona est,& fortitudo erit. Præterea considerandum quidnam vocent ipsum bonum. Ipsum quidem adiectum eo videtur, vt communem rationem intelligas,rationem,quæ quid aliud est quàm æternum & inseparabile? Verum album diebus multis nihilo magis albū est quàm quod vno. quapropter commune bonum idem cum Idea censeri nō debet:omnibus enim inest.Rursum vero ostendendum, quōnam pacto in præsentiarum bonum demonstret. Nunc equidem confessa bona demonstrat,ex iis penes quę bona residere in confesso est. Ex numeris quod iustitia & sanitas bonum.ordines enim & numeri sunt, vt numeris vnitatibúsque inesse bonum affirmetur,cùm vnum ipsum bonum sit. Verum ex cōfessis,vt sanitate,robore modestia,adstrue te oportet & in immobilibus magis honestum esse:omnia enim hæc ordo quidam & quies. quòd si sic habet, alia vtique magis bona sunt: quippe quæ hæc intra sese complectantur. Veru-

haud germana demonstratione probatur, vnã esse ipsum bonum, quòd numeri concupiscant. Non enim appetere manifeste dicuntur, sed simpliciter admodum concupiscentiam etiam dicunt, quàm quo pacto quis tribuat vita expertibus. Itaque operæ precium est circa hæc nonnihil occupari, neq; committere, vt citra rationem transmittantur, quæ ratione adhibita non difficulter persuadeatur, & affirmare omnia entia bonum aliquid appetere, verum id quidem vnumquodq; enim proprium bonum expetit: oculus visum, corpus sanitatem, sic etiam reliqua. Verùm non esse ipsum bonum eiusmodi dubitationes habet, & politicæ inutile esse. proprium enim bonum videtur, quemadmodum & in aliis, vt gymnasticæ bona habitudo. aut enim nulli boni species, aut omnibus ex æquo vtilis est. Porrò non agibile, similiter neq; commune bonum, neq; commune, neq; ipsum bonum est. Si nanq; mediocri bono insit, nihil operabitur. neq; enim quomodocunq; medicina in quolibet operabitur, sed vt sanitas acquiratur. similiter & reliquæ artes singulæ. Verum quot modis dicatur bonum, & quod in eo sit pulchrum, & quod agibile & non agibile: eiusmodi autem bonum est id, cuius gratia: non est autem in immobilibus: liquebit, quòd neque commune, neq; ipsum bonum quod quæritur. Idea boni existat. illud enim immobile est, nõ agibile: hoc vero mobile, sed nihilo tamen magis agibile. Id autem cuius gratia, finis est. præstantissimum, primúmq; omnium & causa inferiorum. quocirca rerum homini agibilium ipsum bonum finis subiectus, scilicet omnium rectarum, politicæ, œconomicę, prudentiæq;. Qui habitus ab aliis qui-

quidem distinguuntur, eò quòd eiusmodi sunt: vetustiores à se inuicem quomodo distinguantur, post explicabitur. Cæterum finem causam insetioribus esse ostendit ratio, qua finem definientes, reliqua eò bona demonstramus, quòd finis causa existant. velut sanum vt sit corpus, quia causa est aliqua, ea vtiq; ad ipsum confert. porrò sanum esse tanquam causa mouens sanitatis est, quæq; vt alij bono sanitas sit facit. Præterea neque hoc monstratur, sanitatem bonam esse scilicet, nisi sophista sit, non medicus is qui ea de re disputat. hi enim in aliena harena sese iactant, & cauillantur: neq; vllius artis principia monstratur. Id vero quod homini vt finis bonum est, cùm omnium quæ quidem possunt ab homine fieri, sit præstantissimum, videndum præstantissimum quotics dicatur: siquidé hoc præstantissimum est: initium disputationis aliud sumentibus.

*

ARIST

ARISTOTELIS MORALIVM EVDEMIORVM LIBER SECVNDVS.

SVMMA LIBRI.

De virtute in vniuersum. Quo pacto inter vitia virtutes constituantur, ac inter se opponantur. De voluntario, volente, ac electione. De fine, ac iis quæ ad ipsum ducunt: ac quis sit ipsius virtutis finis.

Bonorum diuisio. Virtutem in opere exaltere quoq; sit ipsius vsus & opus.

CAP. I.

POst hæc autem de sequentibus, aliud principium constituentibus, dicendum. Omnia enim bona aut extra nos sunt, aut in animo posita sunt: præstantiora autem animi bona, quemadmodum & pecualiter oratione distinguimus. Prudentia enim virtus & voluptas in animo sunt, quorum aut nonnulla, aut omnia fines omnibus esse videntur. Animi autem bona, alia habitus & potentiæ sunt, alia operationes & motus. Quibus ita positis, & de virtute fateamur præstantissimam dispositionem esse aut habitum, aut potentiam singulorum, quorum vsus aliquis opúsve extiterit. Id autem inductione manifestum fiat. Quemadmodum enim vesti & opus aliquod & vsum assignamus, præstantissimúmque eius habitum virtutem dicimus: sic & de animo sentiendum. Est enim aliquod eius opus præstantiorísque habitus præstantius opus, & vt sese habitus ad inuicem, ita actiones ab ipsis profectæ habent: ac opus vniuscuiusque finis. Vnde manifestũ est opus habitu præstare. finis enim quã finis, vtiq; excellentissimus est, quando & supra concessum, finem & vltimum & optimum esse, vtpote cuius gratia cuncta fiant. Patet igitur opus habitum dispositionémq; excellere. Verum opus bifariã dicitur. In aliis enim ab vsu diuersum est vt ædificatoriæ domus, non ædificatio: medicinæ sanitas, non sanatio, neq; medicatio. in aliis vero vsus opúsque non distant: vt vsus visio, mathematicæq; scientiæ speculatio. quocirca necessum, vt quorũ opus in vsu consistat, vsum habitu præstare. His ita determinatis dicimus opus negotij etiam virtutis opus esse: verũ non eodem pacto, vt sutoriæ, sutionisq; calceus. Et siquidem sutoriæ, bonique sutoris virtus est aliqua, opus erit ipsius bonus accommodatúsq; calceus, eodé modo & in reliquis. nam & animę opus est vitam rebus inferre: eius vero vsus vigilia: quandoquidem somnus desidia quædam est & quies. Quapropter cum opus vnum atque idem sit necessario, animæ virtutisque opus fuerit vita composita & honesta. id vero bonũ angelius, quod felicitatem supra vocabimus. erat enim ea præstantissima nobis. Portò fines in animo constituti bona excellentissima sunt. ipse vero habitus, & actus, quia est melior dispositione operatio, erit & optimi habitus optima etiam

etiam operatio: virtus autē optimus habitus est, quocirca operatio virtute siue anima profecta, præstantissimum bonorum est, cúmq; felicitatem præstantissimum illud esse cōstet, erit ea animæ excellentis operatio. Hæc igitur perfectiū quispiam est. vita vero & perfecta & imperfecta, similiter & virtus: quippe quòd alia integra sit cōtáque, alia vero particula tantum. Vnde & imperfectorum quoque imperfecta operatio est, quo ostenditur, felicitatem esse vitæ perfectæ & secundum perfectam virtutem operationem.

Felicitas quid.

Atq; hoc in definitione genus recte cōstituunt esse testantur communis omnium consensus, qui bene agere, beneq; viuere idem, quod felicē beatúmq; esse censent: quorum vnumquodq; vius est & operatio, vitáque & actio. actiua enim vita * vsibus etiam comparata est. nam saber ficta conficit, equi ictiam vsui futura. Tum etiam quod nec die tātum vna, nec puerili, neq; omni ætate felicitatem constare posse dicimus. Quocirca friuola est Solonis sententia, negantis vllum vllum beatum esse, nisi vbi finem attigerit. Nihil quippe imperfectum felix esse potest, cùm integrum non sit. Deinde laudes virtutis actionibus earúmq; encomiis impenduntur, & coronantur, non qui vincere quidem possint nec vincant tamen sed victores. Sed & iudicium, quo qualis quisq; sit cōstituitur ex operibus, spectat. Præterea ob id non laudari felicitas solet, quia reliqua vel partes eius existunt, vel per ea fiunt, aut ad ipsam referuntur. quamobrem aliud est * prædicatio, aliud laus, aliud item encomium. Encomium enim oratio est, facta cuiusque singularia exponens. Laus vero vniuersalia celebrans. Prædicatio autem finem intendit. Vnde

*χρησικ.

*ἐυδαιμονισμός

Vnde manifestum redditur interdū, quo de eo sermonem instituat, quare media vitæ parte, boni honesti; pranos nihil antecellat: nihil enim discrepat inter dormientes est. Somnus enim est vitæ otium, non operatio. Quapropter nutritiuæ partis virtus, quemadmodū nec corporis pars totius virtutis nequaquā censeri debet: eo quòd in somno vim suam vberius exerat, agátq; nutritiæ facultas: cùm contra sensitiua, cōcupiscēsque dormientibus sint imperfectiores, quatenus motu non participant: phantasiæ vero, nisi mortuo, aut alio quopiam malo præpeditæ fuerint, sapientum efficaciores.

Anima duas esse partes: rationē participantes: virtutis item duas esse species.

CAP. II.

VErum quia virtus animæ est, non accidentarie, de anima considerandum deinceps fuit. Dicimus erit. Sunt enim humanæ animæ duæ partes, quarum vtraque ratione participat, sed non eodem modo, altera enim vt imperio, altera vero vt obsequentiæ auscultationisque nata: si quid præterea fuerit rationis expers, prætermittatur. Neque vero refert in partēsne diuidi anima queat, an nequeat. sunt enim illi facultates diuersæ, tum illæ etiam, quas memoratimus supra. Quemadmodū in curua superficie concauum conuexúmq; separari non possunt, item in eadem rectum & album. quanquā rectum est, quod album non est, nisi per accidens subsistantia sit eiusdem licet. Ita si quæ pars animæ præterea adscribitur, obmittitur, vt nutritiuale. humanæ nanque animæ hæ partes propriæ sunt, quocirca nec nutritis, nec cōcupiscibilis

bilis facultas existimari hominis propria debet. Ex naturæ enim humanæ conditione necessum est rationem, ac rerum agẽdarum principium tum operandi potentiam inesse. Porrò quia ratio non imperat rationi: sed affectionibus & cupiditati, oportet & has quoq; partes assignari. & quemadmodum bona habitudo ex singulis corporis virtutibus constat: ita & animæ virtus quatenus finis, è singulis conflatur. Virtutis vero duæ species sunt, moralis alia, alia intellectiua. neq; enim iustos tantum, sed etiam intelligentes, sapientésque laudamus, quia virtutem, eiúsve opus laudibus celebrari supra ostendimus: hæ vero cùm non operentur, ipsæ quidem operationes tamen virtutum existunt. Quia vero intellectiuæ partes cum ratione sunt, à parte rationem habente vendicantur, quæ imperium obtinet in anima, nempe quæ ratione participat. Morales vero irrationalis quidem pars sint, sed quæ necessario sequitur dicentem. neq; enim interroganti, cuiusmodi sit moribus aliquis, respondemus sapiens vel callidus, sed magnanimus aut confidens.

Moralem virtutem circa iucunda, ac tristia versari.

CAP. III.

His itaq; consequens, vt de virtute morali primum quid sit, & quæ eius partes considereturad hæc enim etiam reducuntur ea, per quæ fiant. Oportet autem inquisitionem, quemadmodum in aliis, ita fieri, vt prius cõstet quod omnes quærunt, & proinde per ea quæ vere quidem sed non perspicue dicuntur, ea quæ & vera sunt, & perspicua colligere. Perinde enim & hæc vestigatio habet, ac si sanitatẽ finire disposi-

tionem corporis optimam instituamus: & Coriscum illum, qui in foro sedet, nigerrimum esse dicamus, quid enim sit alterutrum horum ignoramus, proinde quo quid sit vtrunque cognoscatur, operæpretium est quo pacto habeat prænouisse. Primum igitur constituatur, præstantissimam actionem à præstantissimis virtutibus produci, & in singulis quid optimum sit efficere, idque ab vniuscuiusque virtute. Vt è laboribus, commodis, nutrimentóque idoneo bona habitudo oritur, ex habitudine vero optima, optima etiam elaborant homines: deinde omnem dispositionem ex iisdem hoc vel illo pacto illatis nasci & corrumpi velut sanitas ex laboribus, alimento, & anni tempore. quæ inductione patent. Proinde & virtus, talis dispositio est, nascens à motibus animæ præstantissimis, & vnde animæ affectiones, operáque præstantissima proueniunt, & ab iisdem aliquo modo & fit, & læditur. ad ea vero vsus ipsius à quibus augetur & labefactatur, circa quæ & rectissime vitam disponit. Cæterum circa iucunda tristiáque virtutem versari argumento sunt punitiones, quæ vt medicationis vice per contrarix vsurpantur in aliis, ita per hæc quoq; fiunt. Patet igitur virtutem moralem circa iucunda tristiáque versari.

Quid per hæc nomina, Mos, Affectus, Potentia, ac Habitus significetur.

CAP. IIII.

Quoniam vero mos, vt nomen indicat, à consuetudine incrementum capit: (Adsuefacit enim operatrix facultas exercitatione non

naturali, vt hoc vel illo pacto moueatur: etsi inanimatis id non contingat: nemo enim lapidem quemlibet crebro sursum iactum, itidem facere, nisi vi extrinsecus adhibita vidit) recte morem animæ iuxta imperantem rationem vocari, ac potentia qualitatem sequi dicimus. Neque vero prætereundum est, iuxta quas animæ affectiones quales quidam mores dicantur: iuxta potentias vero passionum à quibus passibili, iuxtaque habitus modum erga affectus, dicuntur mores, vel affecti aliquo modo, vel passionibus minime obnoxij. Cæterum diuisio constituatur deinceps ex affectuũ, potentiarũmque & habituum animæ enumeratione. Voco autem affectus, iram, metum, verecundiam, cupiditatem, & in vniuersum quæ per se voluptatem, tristitiáve sensitiua sequitur: & secundum hæc quidem qualitas nulla formatur, sed afficiuntur homines iuxta potentias. Voco autem potentias, quibus fit, vt commore aliquid agere dicamur, vt iracundus, stupidus, amoribus deditus, verecundus, impudens. Habitus vero sunt, quibus afficitur, vt hæc secundum rationem nobis insint, aut contrarium: vt fortitudo, modestia, timor, intemperantia.

πάθη.

Morales virtutes omnes circa medium inter excessum ac defectum versari: ipsarúmque enumeratio per exempla adumbrata.

CAP. V.

QVibus ita determinatis, constituendum. In omni continuo diuisibilique excessum, defectum, mediúmque reperiri, atque hæc vel mutuo ad se inuicem vel nostri respectu: vt gymnastica, medicina, ædificatoria, gubernatoria, & quæ

& quæcunque actiones aliæ, siue iuxta scientiam institutæ, siue scientiæ expertes, aut artificiosæ, siue inartificiosæ motus enim continuum quidpiam est, actio vero motus. In omnibus vero scientia & ratio medium nostri respectu, & quid optimum sit præcipit: idque passim habitum gignit præstantissimum, quod etiam inductione & ratione probari potest. contraria enim contrariis pugnant, extrema vero & mediis & sibi. medium enim vtrumlibet est ad vtrumlibet vt æquale minore quidem maius, maiore vero minus existit. Itaque necessarium est virtutem moralem circa mediam quædam versari, & medium quidpiam virtutem esse. Restat igitur vt dicatur cuiusmodi medietas virtus sit, & circa quæ versetur media: quæ omnia dilucidius exemplis, velut in tabula adumbratis, sumantur enim Iracundia, doloris carentia, mansuetudo. Confidentia, timor, fortitudo. Impudentia, stupor, verecundia. Intemperantia, sine sensu vita, modestia. nam oppositum modestiæ, quod hic ἀναισχυντίαν vocamus, nomine vero caret. Vindicta, Lucrum, damnum, iustum. Prodigalitas, sordes, liberalitas. Iactantia, dissimulatio, veritas. Adulatio, odium, amicitia. Placendi studium, contumacia, grauitas. Mollities, affectio, tolerantia. Ostentatio inepta, pusillanimitas, magnanimitas. Profusio sumptuosa, illiberalitas, magnificentia. Versutia, stultitia, prudentia. Hæc atque eiusmodi affectiones animis accidunt, ac ab excessu defectúque nomen acquirunt. Iracundus enim dicitur, qui vehementius, & citius, & ob plura quàm decet exardescit. Dolore autem vacans deficit, in quibus, & quando, & quomodo conueniebat. Con-

fidens, qui non metuit nec quæ decebat, nec quando, nec quomodo. Timidus vero qui metuit quæ non conuenit, nec quando, nec quomodo. Similiter & intemperans cupiditatibus indulgens, & qui modum nesciat in re quacunque tandem. Sensu vero humano caret, qui nec quantum expedit, nec secundum naturam concupiscit, sed omnis affectionis, ad instar lapidis expers est. Lucri cupidus, qui undequaque quæstum aucupatur. Negligétes vero, aut nusquam aut à paucis certo conquirunt. Iactabundus, plura quàm possideat ostentat. Dissimulator, pauciora. Assentator, plura quàm deceat laudat, odio prosequens, pauciora. Qui nimis ad voluptatem comparat orationem, placendi studiosus. Verum qui ægre aut panca ad gratiam dicit, contumax appellatur. Et qui nullum dolorem, etiam, si expediat, sustinet, mollis. Qui vero omnem, proprio quidem & simplici nomine caret, sed translato, obduratus, & ruminosus, miserissique natus dicitur. Ostentator inceptus, qui pluribus se dignum arbitratur quàm deceat. Pusillanimus, qui paucioribus. Prodigus, qui omnibus sumptibus excedit. Illiberalis qui omnibus parcit. Similiter & parcus & prodigus: hic enim excedit erogando modum, aliter eum non attingit. Versutus, in omnibus & undequaque alios in vtilitatis captione anteuertit. Stolidus vero etiam istic cessat, vbi non oportebat. Inuidus, ob successum plus quàm deceat angitur. nam & dignorum successibus affliguntur tales. Contrarius huic nomine caret: is scilicet qui spectans indignorum successum, nihil commouetur tamen, sed expeditus est, & eorúmque alienorum, perinde ac solent, qui ventri tantum inseruiunt. ille vero difficilis est ob inuidiæ morbum. Quæ vero in singulis ita habeant per accidens, superuacuum est determinare. nulla enim scientia, vel contemplatiua vel actiua, ea ratiocinando, agendóve iungit. hæc enim contra deceptiones artium logicas adseruntur. Quocirca simpliciter hæc determinata nobis sufficiant, accuratius deinceps pertractanda, vbi de oppositis inter se habitibus disputabitur. Affectionum vero eiusmodi species ex eo nomen trahunt, quòd aut iuxta excessum temporis, aut secundum quòd magis quidque est, aut relatione ad aliquid differant, vt in quibus affectus exteruntur. Animo nanque præceps dicitur, eo quòd citius quàm oporteat prorumpat. Sæuus vero & immanis, eo quòd violentius prorumpat. Acerbus vero, quòd iracundi capiet occasionem. Percussor vero & contumeliosus à punitionibus ex ira profectis. Delicati autem gulosi, vinolentique, eo quòd vtroque alimenti genere nimis & præter rationem deliniuntur. Cæterum ignorari non oportet, quando quomodo pro vberiore passione capitur, id quibusdam ex his non competere. Vt adulter non ex eo vocatur, quia magis soleat coniugatis misceri, sed malitia eius tacti quædam expenditur. simul nanque & passio, & talem esse iunguntur, nec segregatur etiam ab eiusmodi contumelia. Vnde sæpe controuertitur, an qui congressus sit, etiam adulterium commiserit, vtputa si ignorans aut coactus fecerit. & qui percusserit, etiam contumeliatus sit. atque eodem pacto in reliquis.

Virtutes omnes morales circa dolores, ac voluptates versari: easque mediocritates esse inter extrema quæ & ipsa, & sibi invicem pugnant.

CAP. VI.

His ita peractis, non prætereundum, quòd duæ cùm sint animæ partes, virtutes etiam iuxta easdem distingui. alia enim rationalis partis contemplatiua, quarum opus est veritatis inquisitio, vel quomodo habeat, aut generatum: aliæ vero partis irrationalis cupiditatibúsque obnoxiæ. non enim, si in partes diuidi animus queat, idcirco omnes eius cupiditate participant. Mores vero honestos aut prauos efficere necessum in dolorum voluptatúmq; fuga, aut persecutione: id quod ex diuisionibus affectuum, potentiarum, habituúmq; patet. potentiæ enim & habitus affectionum sunt: ipsis vero affectus dolore voluptatéque finiuntur. Itaque & ex his & superioribus constat, omnes virtutes morales circa dolores voluptatésq; versari. Omnis enim animi voluptas in ea intendit, quibus meliores, deterioréue reddimur. etenim in dolorum, ac voluptatum fuga, & persecutione tum prauos fieri mores manifestú est, quando nec vt oportet, nec quas oportet persequuntur ac fugiunt. Ideóque promptum illud omnibus est, vt animum in voluptatibus & tristitiis imperturbatæ ac tranquille consistentem, virtutem definiant, contrariáque de vitio loquantur. Quandoquidem autem virtutem iam liquet habitum eiusmodi esse, quo & effectui optimorum reddantur homines, vt optime etiam ad ea disponantur (optimum enim præstantissimum illud est secundum rectam rationem, medium nempe

Virtutis definitio.

nostri respectu, excessus defectúsque) necessum est virtutem moralem mediocritatem in re qualibet esse, aut in voluptatibus doloribúsque, & in iucundis ac tristibus circa media quædam versari. Mediocritas vero illa interdum in voluptatibus consistit, in iisdem enim & excessus & defectus: interdum in doloribus: nonnunquam in vtrisque. excessus enim fit, vel nimis iucundis lætando, vel tristibus nimis dolendo, séque vel simpliciter, vel termini communis respectu: vt cum non velut vulgus, sed vir bonus, quemadmodum decet, commouetur. Quia vero habitus quidam est, iuxta quem in eadem re hic quidem ad excessum, alius vero ad defectum prolabatur, necessum est, vt quemadmodum hæc & sibi ipsis & medio contraria sunt, sic etiam habitus & sibi inuicem & virtutibus pugnare. Contingit autem oppositiones alibi quidem omnes iuxta perspicuas esse, alibi vero in excessibus, alicubi in defectu magis. Causa autem contrarietatis eius est, quia non qui & quæ semper inæqualiter, similiterve admodum, sed qui nunc quidem ab excessu, nunc autem à defectu citius transit ad medium, is contrarius magis videtur. Quemadmodum in corporibus laborando quidem excedere, quàm deficere, edendo verò deficere, quàm excedere, salubrius est. Itaque & delectus rerum earum, ij inquam, qui his in exercitationibus sunt, similiter habent. Pro rationéque hæc aut magis, aut minus conducibiles dicuntur, vt nunc quidem qui laborum, nunc qui continentiæ stabilitatísque studiosiores sunt, apti magis sanitati videantur. Et contra, cum à mediocri & ab eo quod ratio probat discedit ur, nunc quidem ignauus illo

laborúmque fugiens, non autem ambo, nunc vero luxu perditus & non famelicus ille defectu deterior dicetur. Id vero euenit, quòd natura non in omnibus æqualiter à medio distat. laboribus enim minus quàm voluptatibus capimur. quæ similiter circa animam habent. Contraria vero constituimus habitum, in quo magis excedunt, & in quem vulgus inclinatur: alter vero latet, perinde ac non existat prorsus. quia enim contingit rarius, non sentitur. Ita enim itam mansuetudini opponimus, & iracundum mansueto. nam etsi excessus contingat in mansuetudine exercenda, siue admittenda reconciliatione, siue non irascendo cum sit excessus alapis, pauci tamen eiusmodi reperiuntur, omnibus in alterum extremum propensis, ita nanque minime solet esse blanda.

Quarum actionum homo principium sit, & dominus.

CAP. VII.

POsteaquam igitur habitus circa quamlibet passionem, ac excessus defectúsque, & contrarios habitus, quos habent secundum rectam rationem homines, enumerauimus, superest, vt quid sit recta ratio, cuiúsve termini respectu, medium vocandum sit, exponatur. Manifestum vero omnes virtutes morales, omniáque vitia circa voluptates dolorésque excessus quosdam esse atque defectus. voluptates autem à memoratis habitibus affectionibúsque fiunt, verum optimus habitus rei cuiusque medius existit. vnde patet virtutes aut omnes, aut quasdam in mediocritate sitas esse. Quapropter aliud principium considerationi sequenti constituatur.

Etenim

Etenim substantiæ omnes secundum naturam principia quædam sunt, & possunt singulæ multa eius generis progignere: vt homo hominem, & animal, in vniuersum animalia animalia, plantæque plantas. Præter hæc vero solus omnium animantium homo actionum quarundam principium est: quippe quòd præter hunc nullum agere præterea dicitur. Sed enim ea propria vocantur, è quibus primum motus prodeuntur. iustissime vero omnium, è quibus aliter nihil queat produci, cuiusmodi penes Deum sunt. Immobilia autem, vt in mathematicis, non per se quidem, sed similitudine quadam principia appellantur. Hic enim ipso principio labefactato, labefieri omnes, quæ ab illo principio fluxere, demonstrationes oportet. cum ipsæ inter se demonstrationes altera alteram tantisper non euertunt, quantisper illa communis suppositio, vnde lucem istæ suam habent, non euertitur. homo igitur motus cuiusdam principium est, nam actio motus est. Quia vero principium, quemadmodum & in aliis, eorum quæ per ipsum sunt fiúntque causa existit: vt in demonstrationibus, ita hic quoque penes ea euenit. Nam si habente trigono duos rectos, necessum est tetragonum quatuor rectis constare, manifestum est quòd trigonus duos rectos habens causa eius existat. Verum si quid in trigono mutaris, necessarium est & in tetragono mutes: vt si tres habuerunt sex, & si quatuor, octo. sin vero non mutes, vt illud, ita hoc quoque habeat necesse est. Id ita necessario euenire ex Analyticis patet. verum in præsentiarum in tantum neque dicere accurate, neque non dicere conuenit. Nam si nulla alia triangulo causa est,

cut habeat, idipsum principium erit & causa, qua reliqua adstruantur. Quocirca si quædam sunt eiusmodi, vt etiam contra habere possint, necessario etiam principia sunt eiusmodi. nam ex necessariis nihil nisi necessarium concluditur: quæ vero à nobis oriuntur, etiam contraria euenire possunt, equidem quæ penes homines sunt, pleraque eius generis comperiuntur, atque ipsi talium etiam principia existunt. Quarum igitur cum q; actionum principium & dominus homo constituitur, ea patet fieri & non fieri posse, & in sua etiam manu esse, qui fiant vel non fiant, vt puta quorum ipse dominus est, vt vel sint vel non sint quæ vero in ipso sita sunt, vt faciat vel non faciat, eorum vtique causa existit. Quoniam autem virtus ac vitium, & vtrorumq; effectus, hi quidem laudantur, illi vero vituperantur: vituperantur autem laudanturque non quæ à necessitate, vel natura vel fortuna insunt, sed quorum ipsi causa sumus: quorum vero alios eorundem etiam laus vel nota erit. manifestum virtutem ac vitium circa eiusmodi versari, quorum causa quisque est, & actionis principium. Quocirca dispiciendum quorum causa, quorumque actionum principium homo existat. etenim confitemur omnes voluntariorum tantum, & eorum quæ electionem admittunt, neq; à volentibus deliberatóque suscipiuntur, causam quemque esse: inuoluntariorum vero neminem quaquam. vnde satis constat, voluntationum tantum virtutem esse ac vitium. Idcirco quid voluntarium, & inuoluntarium atque electio sit, cùm virtus his vitiúmque describantur, explicandum est. primum autem voluntariò ipsum, & inuoluntarium considerandum.

De voluntario.

CAP. VIII.

ETribus vero his vnum existere videtur, aut iuxta cupiditatem, aut electionem, aut intelligentiam. Nam voluntarium secundum hæc aliquid est. inuoluntarium vero præter hæc aliquid. Porro cupiditas in tres partes distribuitur, consultationem, irascentiam, & cupiditatem, itaque hæc distinguenda sunt, & primum quidem secundum cupiditatem. Omne enim, quod iuxta cupiditatem est, voluntarium vtique iudicatur, nam inuoluntarium omne violentum videtur, & si violentum sit, etiam acerbum erit: omne scilicet, quod coacti faciũt aut patiuntur, quemadmodum Euenus inquit: *Omnem rem violentiam molestam esse.* Itaque si quid molestum, idem etiam violentum erit, & contrà, quicquid vero præter cupiditatem est, id omne dolorem inferre iucundorum enim cupiditas est, itaque violenta etiã inuoluntaria sunt, & proinde quæ secundum cupiditatem, eadem voluntaria. hæc enim inter se inuicem sunt contraria. Porro omnis malitia reddit deteriorem, intemperantia autem malitia quædam esse videtur, intemperans, qui præter rationem sequitur cupiditates, volens igitur faciet, & voluntarium iuxta cupiditatem. absurdum enim sit, intemperantes reddi nos, iustiores fore. Ex his igitur voluntarium secundum cupiditatem iudicari queat, ex aliis vero contrarium. quicquid enim sit voluntarie, id fit à volente: quódque à volente, id voluntarium, nemo autem vult quod malum esse norit. Verum intemperans non quæ vult facit: siquidem intemperanter agere est ex cupiditate id quod

quod optimum quis arbitratur agere, vnde volentem nolentémque eúdem agere contingeret: quod est impossibile. Continês vero iustius agit incontinente. nam continentia virtus est: & proinde iustiores efficit sui studiosos. tum vero exercetur, cùm contra cupiditatem secundum rationem viuitur. Quocirca iuste, quemadmodum & praue agere voluntarium est. vtraque enim voluntaria apparent, & necessum si alterum voluntariũ sit, etiam alterum esse: quod vero praeter cupiditatem fit, volũtarium, idem igitur volens aget, & non volens. Sic etiam propemodũ sese de ira habet. Nam continentia & incontinentia, quemadmodum circa cupiditatem, ita circa iram quoque versari videntur. nam quod iræ repugnat triste est, & violenta eius cohibitio. itaque si violenta etiã inuoluntaria, & quod secundum iram fit, volũtarium. Videtur & Heraclitus, vim iræ contuens, repressionem eius permolestam attestari. *Difficile enim*, inquit, *iræ resistere est*. anima enim truitur, animóq; indulget ira. Sin impossibile eundem quippiam nolentem volentémque vnum idem facere, magis voluntarium est, quod à volũtate, quàm cupiditate, aut irascentia fit: argumento est, quod multa facimus etiam absque ira, & cupiditate. Superest igitur, vt, an quod volunt homines, idcirco fit voluntarium, consideretur: videtur nãque & id impossibile, quando & supra constitutum est, malitiam reddere iniustiores: ac intemperantia quidem malitia est. Contrarium vero vitæ vemit. eò quòd nemo quæ mala arbitratur, velit, quæ tamen facit intemperans. Itaque si iniuria afficere spontaneum est, id autem ex volũtate: ergo intemperans factus non iniurius, sed temperate priore

priore illo iustior erit, quod est impossibile. Voluntarium igitur non esse quod iuxta cupiditatem fit, neque inuoluntarium quod contra cupiditatem fit, patet. Sed & neque id quod secundum electionem, ex iisdem manifestum est. nam quod ab electione sit, demonstratum est inuoluntarium non esse: sed magis quod quisq; vult, id voluntarium, verum contingit etiam nõ volentem tamen spontaneum aliquid agere, atque solum id est demonstratum. multa insuper repentino motu facimus: eligit autem repente nemo. Etenim si trium horum aliquod voluntarium est necessario, erit aut secundum cupiditatem, aut electionem, aut intellectũ, ex quibus cùm duo priora non sint, relinquitur vt in eo quòd contemplando quis agat situm, voluntarium illud dicamus. Cæterum paululum progressi oratione, finem tractatui de volũtario inuoluntarióque imponemus. Eorum enim quæ vi aut non vi eueniunt, consideratio prioribus cognata est ac propria. omne enim violentum inuoluntarium, quocirca de violento considerandum est, quid sit, quóve pacto ad voluntariũ inuoluntariúmque se habeat.

De violento.

CAP. IX.

Videtur autem violentum & necessarium, visque & necessitas voluntario persuasioque in rebus agendis opponi. In vniuersum autem violentum necessitatémque etiam inanimatis assignamus. Nam & ignem vi coactúmq; decessum ferri cernimus, verum, quando vero secundum naturam proprijmque impetum fertur, nec violentia, nec voluntarium subest, sed nomine

nomine caret oppositio, verum cùm præter hæ contingũt, vi dicimus fieri. Eodem pacto & animalia & inanimata vi multa cum faceré, tum pati animaduertuntur: quando scilicet præter naturalem impetum ab externo aliquo mouentur. Quod in anima quidem expertibus simplex principium est, sed in animatis sæpe simplex, vt in quibus non semper ratio cupiditásque consonant. Ac cæteris quidem animalibus quæ admodum & inanimatis violétum simplex est quippe quæ cupiditati (nam ea viuunt) rationi minime contrarium habeat, homini vero ambo insunt certa quædam ætate, ea scilicet quæ rebus per rationem agendis idonea est. neq; enim vel puerum vel feram agere dicimus. Proinde, cui violentum omne molestum esse, nec vi quisquam sed gaudens agere videatur, magna de temperante intemperantéque controuersia oritur, quòd vterque contrarios intra se impetus sentiens agit. Vnde temperantem vi seipsum à seruium cupiditate abstraxisse aiũt. dolet enim ducens cum resistente cupiditate. Intemperans autem vi, præter rationem rapitur, minus tamen affligitur. nam cupiditati lætus indulget, quippe qui suauibus intendit: quocirca non vi, sed volens agit, quia dolore vacat. Porro persuasio violentiæ necessitatíque opponitur, temperans vero ea sectatur, de quibus persuasit sibi non vi, sed volens. nam cupiditas citra perturbationem trahit, quippe quæ ratione caret. Quæ igitur ij soli vi inuitíq; facere videantur, quæ & ob eandem, scilicet ob similitudinem, quæ & animata agere dicimus, exposuimus hactenus. Sed enim si & quod in determinatione positum istic fuerat, adiiciatur, soluitur quod dictum est.

Quando igitur foris quippiam præter impetum intrinsecum mouerit sedarítve, vi id fieri asseuerauimus: quando vero secus, non vi. In temperante autem intemperantéque insitus impetus duplex (vtrunque enim habet) & neuter vi & coactus, sed volens vterque agit. nam principium quod foris est, præter naturalem impetum, siue moueat, siue motum impediat, necessitatem vocamus: vt si quis manu, & voluntate & cupiditate retinentis arrepta, percutiat alium, verum si intrinsecus principium fuerit, vis non est. quandoquidẽ & voluptas inest & cupiditas, quæ statim à natiuitate in omnibus deprehẽditur. Atq; his ferè duobus à natura quippiam inesse determinamus, eo scilicet, quòd à natiuitate statim à natiuitate inest, & quòd generatione existente facile consequimur, vt senectus, canities, ac alia id genus. Itaque non secundum naturam facit alterutter, sed secũdum naturam simpliciter, sed non eandem. Quæstionibus igitur de temperãte intemperantéque, virum vi & non volens agat alter aut vterque, aut vi simul inuitíque ambo, & si vis voluntaria sit, num vólẽtes simul & nolentésque agant, ex dictis hactenus occurrendũ. Verum & aliter vi coactíque agere dicuntur, nõ dissentientibus inter se mutuo ratione & cupiditate, quando scilicet id faciunt, quod molestũ quidem & sr uoluum iudicant, sed neglectũ, damnum aut mortem inferat. hæc enim omnes, aut coactos facere aiunt: aut non faciunt autem omnes. nam obmittere quidem licet, sed ferendũ incommodum. Verum ex his alia quidem violenta, alia vero non violenta forte quis dixerit. Quæcunque enim eorum, per quæ vel facere, vel non facere penes ipsum est, etiam si non vo-

leat

lens facit, tamen & facere sponte dicitur, & non vi: quæ vero penes ipsum non sunt, vi quo iam modo, sed non simpliciter fieri dicūtur, eò quòd non illud ipsum eligit, sed alicuius gratia agit. Verum ex his est quoddam discrimen. Nam ridiculus fuerit, si, vt contactus quis vitaret, occidisset alterum, vi se vt coactúmque fecisse dicat. Maius enim acerbiúsque malum oportet, nō facienti proposirum sit. Sic enim coactus, & non ei faciet, scilicet quando malum boni gratia, vel ob maioris mali repulsionem agit, sæpe mauitus. neque enim penes ipsum hæc sunt, quoecirca & amorem, & iras quasdam, & naturalia nonnulla inter inuoluntaria cōumerant: quia violenta nimis & supra naturam sunt, vnde & veniam merentur, eo quòd vi cogere naturam soleant. Sed & magis vi, inuitéque facere videtur, qui facit ne vehementius aut leuiter doleat, vel etiam ne gaudeat. nam ad ipsum refertur vniuersum, quod ferendo natura est. Verū quæ neque naturalis cupiditatis, nec rationis sunt, non debet penes ipsum esse censeri, quamobrem phanatici, & qui futura prædicunt, quamlibet intellectus opus faciunt, non tamen id penes ipsos esse assueramus, neque vt faciant quæ fecerunt, neque vt dicant quæ dixerunt. Sed & nec per cupiditatem. Itaque & intellectus quidam affectúsque, aut actiones secúdum eiusmodi rationes & intelligentias, in nostra potestate non sunt: sed quéadmodum Philolaus inquit, rationes quædam sunt nobis potentiores. Ergo voluntariorum, ac inuoluntariorum consideratio, eorum quæ vi eueniunt tractatui iungenda est, atque hæc ita sint inter sese distincta. Nam qui spontaneum maxime interpellant, in se coactos

actos dicunt, vt in eam animi sententiā veniēte. Et quia finem id iam habet, & voluntarium, nec cupiditate nec electione terminatum est, reliquum est vt ea quæ iuxta intellectum fiunt, determinentur. Videtur autem inuoluntario contrarium esse voluntarium, & quod cuiusq; gratia sciens quis facit. interdum enim nouit quòd pateresit, non tamen quòd occidat, sed seruet potius, vt Peliades petebant quidem poculum, sed vt amatorium & vino plenum, id vero venenū erat. ignorans autem quem, cui, & quid, ex ignorantia nō per accidens agere dicitur. quod autem ab ignorante tali fit, inuoluntarium est. ergo voluntarium contrarium est. Quæ igitur penes ipsum sunt, vt facere obmittat, facit nō ignorans & per se, ea vtique voluntaria sunt, & voluntarium id ipsum est: quæ vero ignorans, ex eo quòd ignorat ea, inuitus facit. Porro quia scire & intelligere bifariam capiūtur, vel vt habeatur, vel vt vsurpetur scientia, qui habens non vtitur, interdum ignorans merito dicitur. interdum vero nequaquam, velut si per negligētiam non vtatur. Similiter & is vituperetur, qui vel facilium vel necessariorum peritiam, & per negligēsiam, aut dolorem aliquem voluptatémq; non vestiget. Hæc loco huic inserenda videbantur. De voluntario igitur & inuoluntario hoc modo determinatum sit.

De electione.

CAP. X.

De electione vero deincepr dicemus, expositis primum nonnullis quæstionibut. Ambigat enim fortasse quis, in quo genere orianrur, tum in quali constituenda sint, aut eadémne

aut diuersa sint voluntarium & inuoluntarium. Maxime vero quidam asseuerant, & quærenti etiam ita forte videri queat, electionem ex duobus his alterum esse, scilicet aut opinionem aut appetitum. vtraque enim consectanea videtur. Verum appetitum non esse patet ex eo, quòd tum aut voluntatem, aut cupiditatem, aut iram esse necessum sit: nemo quippe nisi horum aliquid patiens appetit. Ira porro cupiditasque etiam feris ineste: electio vero nequaquam. Attamen quibus hæc ambo insunt, multa absque ira cupiditatéque eligunt, sed dum passionibus affligunt, non eligunt, sed tolerant. Præterea cupiditati iræq; semper dolor iungitur, multa vero nos absque dolore eligimus. Voluntas insuper & electio idem non sunt. volunt enim interdum etiam ea homines, quæ impossibilia norunt, vt omnibus hominibus imperare, immortalem esse, id quòd nemo sciens impossibile elegerit: sed in vniuersum, quæ & si non per se, sed sibi tamen impossibilia vel factu vel obmissu norit, manifestum electionem esse rerum penes nos sitarum. Similiter clarum, nec opinionem esse, neque simpliciter, si quis aliquid putet, cùm ejusmodi quid sit, quod viribus nostris paretur, multa vero opinione concipiamus, quæ penes nos non sunt, vt diametrum commensurabilem. Porro nec vera est nec falsa electio, sed & nec rerum penes nos sitarum opinio, quæ faciendum aliquid vel non faciendum arbitramur. Commune vero id est de opinione & voluntate. nemo enim finem, sed ea quæ fini conducunt sequendo conferunt eligit: quemadmodum nemo finem esse, sed ambulare, sedere, sanitatis gratia, neque felicitate potiri quisquam eligit, sed

sed quæstus studium & periclitationes, felicitatis adipiscendæ gratia. Et in vniuersum declarat semper eligens, quod, cuiusve gratia eligat. est enim aliud id cuius gratia, & quod gratia alterius eligit: vult autem maxime finem, vt in pretio & sanum esse, feliciter beatéque viuere. Itaq; patet aliam & opinionis & voluntatis rationem esse. voluntas enim & opinio maxime finem spectat, quod non facit electio. Ergo electionem patet, nec voluntatem, nec opinionem, nec simpliciter vllam animi perceptionem esse: quo simul elucet, & quid sit, quidve ab iis differat, ac vt se ad voluntarium habeat. Porrò possibilium esse aut non esse, alia ejusmodi sunt, vt de iis suscipiatur deliberatio: alia vero vt non suscipiatur. quorum enim generatio penes nos non est, etiam si fieri non fieri possint, sed quæ vel natura vel aliis ex causis fiunt, de iis sciens nemo consultare instituat. Verum quæ non tam fieri non fieri possunt, sed in consultationem etiam venire solent, ea sunt quæ pro arbitrio facere non facere possumus, quapropter non de remotis apud Indos, nec de circuli quadratura deliberamus: nam illa ad nos non spectant: hoc vero fieri nequit. Sed & nec de omnibus quæ à nobis queant fieri. vnde manifestum nec opinionem simpliciter electionem esse, eligibilia vero etiam agibilia, rerum scilicet penes nos existentium. Proinde miretur forte quis, quo pacto medici, quæ scientia comprehendantur, in deliberatione ponant, cùm id non faciat grammaticus. Ratio eius ex eo constat, quòd aut ratiocinando, aut sensu error omnis committatur, quorum vtrumque in Medicina contingit: in grammaticis vero iuxta sensum

& actionem quam spectant, in infinitum progrediuntur. Quoniam igitur neque opinio, neque voluntas est electio, est certe velut vtrunque, & non ambo, ex improuiso enim nemo eligit, sed cùm faciendum videtur, conspirátque voluntas: quæ cùm ambo eligenti insint, vtroque constabit electio. Considerandum autem quomodo insint hæc: idque ex ipso nomine primum. Nam electio non simpliciter est, sed alterius ad alterum, vnde considerationem consiliúmque requirit, & proinde ex opinione consultatiua constituetur. Neque enim de fine, qui rebus omnibus quidam propositus est, sed de iis quæ ad finem, suscipitur consultatio, id vero omnes consultamus, donec ad nos transtulerimus generationis principium. Quòd si nemo eligit, nisi re prius consultata expensáque, melius sit an deterius: volúit autem quæ possibilia nobis sunt, non quæ ad finem erit electio cupiditas rerum penes nos sitarum, deliberatiua. enimuero omnes quæ eligimus, eadem volumus: nec tamen quæ volumus, omnia eligimus. Porro deliberatiuam facultatem voco, cuius principium est consultatio, quæ & concupiscit id, quod vtile decreuerit. Quapropter nec reliquis animantibus, nec omni ætati aut homini electio inest, eo quòd nec consultare, nec causam quare quid cueniat iudicare queat. Opinationem tamen faciendúmne quippiam sit, nihil vetat pluribus inesse, sed ratione perspicere nequaquam. animæ enim pars deliberatiua rationes causásque vestigat. Nam si cuius gratia, vna ex causis exstit, (nam quare quid, causa est, & id cuius gratia quid est aut fit, vt profectionis facultatum comportatio, quandoquidem eius gratia profi-

ciscuntur) constat eos qui proposito fine carent, consultationi parum idoneos esse. Quapropter cùm quis facit aut negligit quæ penes nos sunt, vt faciamus vel non faciamus, idque non ignorauerit, volens vtique aut facit, aut non facit. Cæterum multa eiusmodi citra consultationem præcogitationémque agimus, vnde necessum omne eligibile voluntarium esse, non autem voluntarium statim eligibile, item quæ ex electione fiunt, omnia voluntaria sunt, non autem voluntaria omnia ruxta electionem. Similiter ex his manifestum, affectiones recte in voluntarias, inuoluntarias, & consultatas distribui: quæ esti non sint accurata, veritatem tamen modo aliquo attingunt. verùm, de inceps de his in tractatu de Iustis. Electionem igitur nec voluntatem simpliciter, nec opinionem esse patet, sed opinionem cum appetitione, quando ex consultatione concurrunt.

De fine, & in quæ ad finem ducunt: vbi virtutis assignatur definitio.

CAP. XI.

ET quia consultantes omnes gratia alicuius consultant, & scopum habent præfixum certum, quoniam respiciunt vtile, de fine quidem nemo deliberat, qui principium est & fundamentum, quemadmodum in contemplatiuis scientiis suppositiones: de quibus breuiter sub principium: verùm in Analyticis accurate disseruimus. Cæterum consideratio de iis quæ ad finem ducunt, partim vero inartificialis apud omnes est, vt bellum gerant nécne, his quibus hoc in consultatione est. Obuium autem magis est quapropter id est, cuius gratia cõsultatio

existit, vt opes, vt voluptas, au aliquid aliud huiusmodi, quodcunque finis est vice, nam consulit quisquis consilium capit, vel finem rectè perspexerit constituerit quæ tendit enim eò consulendo quomodo hic finis. In ipsum adducatur, vel quomodo ipse perduci in finem possit. Finis autem semper natura bonus est, de quo & particulariter consultant, medicus de remedio adhibendo, dux de castrorum metatione, quibus finis propositus est bonum, id scilicet, quod simpliciter optimum. Verum quod præter naturam est, ex aliqua peruersitate, non id quidem vere, sed apparens bonum est. cuius rei causa est, quòd enim quorundam visus, non nisi iis quibus facta natura sunt, applicari potest: vt sunt visibilia. neque enim videre licet, quorum visio non sit, neque audire quorum nulla auditio. Sed per scientiam etiam, ea quorum scientia non est, possunt fieri. neque enim æqualiter sanitatis morbiq; eadem est scientia, sed illius quidem iuxta, huius autem præter naturam. Sic & voluntas secundum quidem naturam boni est, præter naturam vero mali. & voluptas natura quidem bonum, præter naturam vero, & ex mētis quadam euersione, malum. Verum cuiusq; corruptio euersióq;, non in quodlibet, sed in contraria & media competit. hos enim limites transgredi non licet. Et quia error non in quælibet, sed in contraria committitur, quibus contraria sunt, tum in ea contraria quæ iuxta scientiam opponuntur, necessum est, & errores & electionem à medio ad contraria ferri. Porrò cōtraria sunt, medium, maius & minus, eo quòd iucundum & triste sic habeāt, vt ab anima iucundum quidem bonum iudicetur, iucundius vero

vero melius, & triste malum, tristius & deterius vnde patet circa voluptates & dolores, virtutes versari, circa eligibilia nanq. consistunt. Electio autem circa bonum, malum, & apparentia, quæ natura sunt voluptas & dolor, versatur. Quoniā igitur ipsa virtus moralis ipsa mediocritas est, omnisque circa voluptates & dolores versatur, vitium autem circa excessum & defectum, & ea prorsus, in quibus etiam virtus consistit necessum est, virtutem moralem habitum esse electiuum mediocritatis, quo ad nos, in iucundis & tristibus, iuxta quæ qualis quisq; moribus dicitur, dolens gaudénsve. dulce nanque suue amarum diligens, non qualis quidam moribus dicitur. *Virtus quid*

Virtutem actionem non peccabilem, scienmque rectum reddere.

CAP. XII.

QVibus ita determinatis, dispiciatur, vtrum virtus electionem reddat non peccabilem scienmque rectum: nempe vt cuius gratia deberat, tantum eligatur, vt nonnullis videtur, rationem absoluat, id quod temperantiam diximus, quippe quæ rationem non euertit. Sed enim virtus & temperantia discernuntur ab inuicem, de quibus post erit dicendi locus. quibus enim cunq; rationem rectam præstare virtus videtur, id causa existit, cuiusmodi etiam temperantia. Cæterum eam laudabilium esse, præmissis dubitationibus, ostendetur. Porro scopum quidem licet esse rectum, verum in iis quæ ad scopum aberrare. rursum scopo etiam falso proposito, in iis quæ ad ipsum tendunt, recte habere. interdum vero vtraque fallunt.

Vtrum igitur virtus scopum, an ea quæ ad scopum tegit? Asseueramus autem scopum à virtute constitui. quocirca nec collectione, nec ratione aliqua hæc demonstrabuntur, sed vt principium hoc positum nobis esto. Neque enim medicus considerat, an esse sanum, sed vtrum deambulare, an non deambulare oporteat. Neque gymnastes an bene habere, sed vtrum luctari vel non luctari expediat. similiter neque alia vlla circa finem occupatur. Quemadmodum enim in contemplatiuis suppositiones principiorum locum obtinent, sic & effectiuis finis, & principium est & suppositio. quoniam si hoc sanum esse conuenit, necessum est hoc esse, siquidem illud expectes: quemadmodum ibidem, si triangulo duo recti, necessum est hoc consequi. Cogitationis igitur principium finis est, actionis vero cogitationis terminus. Si igitur omnis rectitudinis, aut ratio causa est, aut virtus, si ratio non fuerit, per virtutem finis, non quæ sunt ad finem, constituetur. Finis autem est id cuius gratia: omnis enim delectio alicuius est de aliquo: cuius igitur gratia medium est, eius causa virtus, quæ id cuius gratia eligit. Verum quæ deceat consecutio alterius est facultatis, quæ id cuius gratia eligit. non enim ipsius est electio, sed eius quod ipsius gratia. Equidem finis gratia agere oportet, verum vt finis rectus præfigatur, electionis munus est, cuius causa est virtus quocirca qualis quisque sit, ex electione iudicamus, non quid, sed cuius gratia faciat expendentes. Similiter & vitium contrariorum gratia electionem efficit. nam si quis cum in potestate sua sit bonum agere malumque omittere, agat contrarium, necessum est hunc homo-

sti studiosum haud quaquam esse. Itaque virtus & vitium voluntaria sunt, cùm nulla necessitas ad mala perpetranda cogat. inuoluntaria enim cùm turpia sint, non vituperantur tamen: contràque bona non inuoluntaria, sed voluntaria laudantur. Postremo omnes laudantes vituperantésque, electionem magis quàm facta intuemur, etiamsi virtute sit eligibilior operatio. Faciunt item mala quidem coacti, sed eligit ea nemo. Sed & quia difficile electionem cuiusmodi sit perspicere, idcirco ex operibus qualis quisque sit iudicare necessum habemus. itaque eligibilior actio, sed laudabilior electio. Ex positis igitur hæc eueniunt, & consentanea sunt apparentibus.

ARISTOTELIS MORALIVM EVDEMIORVM LIBER TERTIVS.

SVMMA LIBRI.

De virtutibus moralibus omnibus, fortitudine excepta.

De fortitudine, forti, & eorum extremis.

CAP. I.

MEdiocritates igitur esse in virtutibus, eásque electiuas, & contraria earum vitia, quæq; sint, vniuersaliter dictum est. Singulatim vero vnamquanque persequentes primum de fortitudine dicemus. fere enim apud omnes in confesso est, & fortem circa terribilia versari, & fortitudinem vnam è virtutibus esse. Distinximus autem in tabula superiore, vtrum cõfidentia & fortitudo, cùm aliquo pacto sibi inuicem opponantur, etiam inter se cõtraria sint. Vnde manifestum, qui ab iis habitibus nomen habent, etiam inter sese inuicem opponi. quemadmodum timidus. nam is magis quàm deceat timere, minus vero audere dicitur. & confidens qui ipse quoq; ex eo quòd huiusmodi sit, minus scilicet, quàm deceat timens, magisq; quàm deceat audés nomen trahit. vnde & audax ab audacia denominatur. Quocirca cùm fortitudinis circa timores audaciámq; habitus præstantissimus: decet vero nec vt audaces, qui in nõnullis deficiunt, in aliis vero excedunt, agere: neq; timidorum instar, qui in eodem peccãt, non eodem tamen sed contrario modo: audendo enim deficiunt, timendo vero excedunt: manifestum est mediam audaciæ timiditatisque dispositionem fortitudinẽ esse. is enim habitus optimus. Videtur autem fortis metu vacare vt plurimũ, timidus autem metui obnoxius esse. Et hic quidem multa, pauca, magnáque, & parua metuit, illaque vehementer, & citoille vero contra, aut prorsus non, aut leuiter, ægre & raro, & non nisi magna. & hic quidem vehementer terribilia sustinet: ille vero nec leuiter quidem horrida. Quæ igitur sustinet fortis primum, sibine, an alteri terribilia? Etenim si alteri terribilia sustineat, nihil videatur magnificum fortem esse. sin vero sibiipsi, necessum est nõ nisi magna & horrida terrorem incutere. Itaque si terribilia vehementer, vehemens: sin leuiter, infirmus etiam meus fuerit. vnde contingit fortem multos maximosque terrores formidare. Verum videtur timidum contrarie fortitudo præparare, vt in eo quòd aut nihil aut pauca timeat, eáque & leuiter & ægre. Sed enim horribile, quemadmodum & iucundum & bonum, bifariam dicitur. alia enim simpliciter, alia vero cuidam iucunda bonaque vocantur non simpliciter: ac contra praua & minime iucunda, quemadmodũ quæ prauis vtilia sunt, & quæ iucunda pueris, quà pueri sunt: sic etiam terribilia alia simpliciter, alia vero alicui. Quæ igitur timidus metuit, quà timi-

dus

dus,nemini terribilia sunt. Alia rursum leuiter, alia plurimis timentur. Et quæcunque naturæ humanæ horribilia sunt, ea simpliciter terribilia vocamus: fortis vero ad hæc intrepide habet, sustinétque eiusmodi, quæ partim ipsum quoque terrent, partim vero non. qua enim homo est, terribilia illi quoque sunt, qua vero fortis, non sunt, aut certe leniter, aut nequaquam. Terribilia tamen dicuntur, quæ à plerisque timeri solent, quocirca hiç habitus laudatur. Quemadmodum enim robusti, sanique appellantur, non vt illi nonnullis laboribus frangantur, aut hi nullo excessu debilitentur, sed ex eo, quòd vel prorsus non turbantur, aut simpliciter aut leniter, à quibus multi & pleriq. valetudinarij enim & infirmi & timidi communibus vulgaribúsq; passionibus afficiuntur, sed citius vehementiúsque quàm solent. multi præterea, quibus multi afficiuntur, ea vel non prorsus vel leniter ipsos rangunt. Quæritur autem num fortí nihil sit terribile, neq; metuat quicquam. An nihil vetat, pro eo ac dictum est ipsum quoque timere: fortitudo enim rationem sequitur, ratio vero honesta capessere iubet. quocirca qui non per hanc sustinet, is aut stupidus est, aut considens. verùm qui ob honestum tantum non metuit, solus fortis est. Timidus igitur quæ non decet metuit: audax vero in quibus non oportet, audet: fortis vero in vtroq. agit quod decet, & proin medius existit. nam quæ ratio dictat, ea & metuit & sustinet. quæ magna, acerba, interitúmque inferentia nisi sint honesta, subire haud iubet. audax vero etiam non iubente ipsa subit: timidus vero ne si iubeat quidem: solus autem fortis ipsius iussui obtemperat.

De quinque speciebus fortitudinis non veræ.

CAP. II.

Species autem fortitudinis quinque sunt numero. eadem enim sustinent, non tamen eadem ob causas. Vnde vna ciuilis, quam veræ cuidia parit. Altera militaris, ex peritia vsúque rerum profecta: non quemadmodum diuit Socrates, vt horribilia, sed vt auxilia horribilium cognoscantur. Tertia per ignorantiam & imperitiam: velut est puerorum insanorúmq; fortitudo, qua hi horribilia sustinent, illi vero serpentes manibus prehédunt. Alia rursum ex spe nascitur, qua laute conuiuati ebrií que pericula suscipiunt, nam vinum spem solet addere. Postremo alia ex affectuum impotentia rationis expert, vt amore iráve accensorum. nam siue amet quis, audax potius quàm timidus erit, multáq; pericula sustinebit. velut qui in Metaponto tyrannum occidit: & in Creta fabulas recitauit. Siue ira commoueatur: nam extra se rapitur animus. Vnde & ferę syluestres fortes dicuntur, nec sunt tamen, concitatæ enim sunt eiusmodi: non concitatæ, quemadmodum & audaces, in æquales sunt vehementer. Maxime autem naturalis est ab ira profecta fortitudo: inuita enim ira. quapropter & pueri optime pugnant. ciuilis autem propter legem existit. Cæterum harum nulla secundù veritatem comparata est: ad cohortationes tamen in periculis vsum adferunt hæc omnia non mediocrem.

Quæ dicantur horribilia.

CAP. III.

De horribilibus igitur cùm simpliciter iam dixerimus, non ab re fuerit de his fusius determi

determinare. In vniuersum igitur horribilia dicuntur metus effectiua, ea scilicet quæ dolorem inserit corruptiuum. Nam quibus alia afflictio incidit, alium etiam dolorem, diuersumque affectum, non metum parit. nam qui molestiam aliquam prospicit, velut eam, qua inuidi aut zeuli, aut pudore suffusi affliguntur, aliud nomen sortitur, eò quòd metus eorum tantum malorum est, quorum natura interitum vitetur inferre. Quocirca nonnulli quamlibet molles, fortes tamen sunt in quibusdam: & nonnulli duri ac tolerantes, timidi. Videtur enim propemodum proprium fortitudinis munus esse, circa mortem eiúsque acerbitatem recte affici. nam si algorem quis & calorem, progeo ac ratio dictat, sustinet, cum à periculo absint, verum ad mortem mollis sit & timidus, non ob aliud, nisi ob interitum: alius vero ad eadem quidem mollis erga mortem autem intrepidus, ille quidem timidus, hic autem fortis iudicari sanè queat. periculum nanque iis constare terribilibus tantum dicitur, quæ in propinquo habent eiusmodi interitus effectiua, apparet autem periculum, quando prope cernitur. Terribilia igitur, circa quæ versari fortis assolet, dicta iam nobis sunt, eò quòd appetentia effectiua doloris corrupti, oportet nec procul, sed in propinquo apparere, nec magnitudine humanæ virtutis proportionem excedere. Quædam enim necessium est, omnibus terribilia videantur, omnésq; percellant. Nihil enim vetat, quominus, quemadmodum calida frigidáque & alia quædam corporis humani habitus vires q; superant, ita animi affectionibus nonnullis opprimamur. Timidi enim & audaces secundum habitus decipiuntur.

tur. illis enim non horribilia, horribilia tamen videntur, & quæ leuiter metuenda sunt, vehementer audaci vero contrarium, horribilia animosa videntur: & quæ vehementer, leuiter. vitorum autem fortis vera horribilia maxime. Quocirca nec si quis ignoranter pericula sustineat, fortis est, velut qui fulmen, ex insania ferat illarum, ac si cognoscat quantum sit periculum, ex iræ impetu agat. quemadmodum si Celtæ, sumptis armis, occurrant fluctibus, cuiusmodi furiosa fortitudo prorsus Barbarorum est. Nonnulli vero ob alias voluptates pericula sustinent. nam & ira voluptatem habet quandam, cum spe nempe vltionis sumendæ. Verum nec si ob eiusmodi, nec ob alias voluptates, malorúmve grauiorum fugam mortem obeat, vere fortis quisquam propterea merito dicatur. Nam si mori iucundum sit, sæpe per intemperantiam mortem accersat luxui, quemadmodum & hodie, cùm ipsa quidem morte minime, sed inferentibus eam fatuitas existentibus fit, vt quidam per incontinentiam certum sibi concilient interitum. Non ignari etiam certam mortem propositam, quo ex genere nullus fortis videatur. Neque si, quis dolorem fugiens, (quod solent multi) mortem accersat, fortis fuerit. Quemadmodum enim Agathon inquit, prauí homines qui doloribus victi, mortem eligunt, veluti Chironem fabulæ perhibent, ob dolorem vlceris mortem optasse, licet immortalem. Non procul ab his distant qui ex peritia pericula sustinent, id quod plerique solent militantes. Id nanq; contrarium Socratis sententiæ, opinantis scientiá fortitudinem esse. neq; enim quia nouerint horribilia, qui super mucronibus iaculorum ingredi

didic

didicerunt, id auſi ſunt, ſed quia præſidia contra læſionem explorata habent. Neq; enim qui audacius pugnant, ideirco fortes ſunt: quemadmodum nec robur, nec diuitiæ iuxta Theognidem fortitudinem gignunt. Vir enim, vt inquit, paupertate domatur omnis. Manifeſta namque quidam ſuſtinent pericula, eo quòd diſcrimen nullum futurum nouerunt, cum paratum ſit præſidium, argumento eſt, quòd malis iam veteris imminentibus, retrocedunt. Inter omnes igitur partes ea videtur virtuti proxima, quæ ex verecundia naſcitur fortitudo. Quemadmodum & Homerus Hectorem ſcribit, periculo obiiſſe verecundia impulſum. *Hectorem verecundia capit, primus namque Polydamas me reprehenderit.* atque ea eſt quam diximus ciuilem. Cæterum vera neque hæc eſt, neque alia ex his vlla, ſed fortaſſe ſimilis eſt ferarum, quæ impetu feruntur, neque enim vel ob ignominiam, vel ex ira, vel quòd non morituros ſe arbitrentur, aut quòd facultatibus præſeruatiuis inſtructi ſint, ſuſtinere horribilia opinor. nam ita nihil horribile eſſe iudicarint. Et quoniam virtus omnis eſtimatiua eſt, nempe vt ſupra diximus, quòd omnis gratia alicuius, eius nempe quod honeſtum eſt, huius inſtinctu eligatur, patet fortitudinem, quia virtus eſt, horribilia gratia alicuius ſuſtinenda docere, neque ex ignorantia, vt quæ iudicium format, neque ob voluptatem, ſed ob ſolam honeſtatem, quoniam ſi non ſit honeſtum, ſed furioſum, quia turpe, id nequaquam facit. Circa quæ igitur verſetur fortitudinis mediocritas, & quorum ſit, & propter quid, & horribilia quam vim habeant, ſatis in præſentia cum explicatum videtur.

De temperantia, & eius extremis.

CAP. IIII.

POtro de temperátia & intemperantia deinceps diſſerere conabimur. Intemperans autem multifariam dicitur, interdum enim quando non eſt caſtigatum nec emendatum, quemadmodum incaſtratum dicimus, quòd caſtrandum non ſit, quorum caſtrari nonnulla poſſunt, alia non poſſunt. (dicimus enim incaſtratum, & quod caſtrari non poſſit, & quod cùm poſſit, non ſit tamen caſtratum) ſic & intemperans dicitur, vel quòd tempetiem caſtigationémque natura non admittat, vel quod admittat quidem, ſed nunquàm ſit caſtigatum, veluti puer in iis peccatis quæ recte moderatur temperans: iuxta eam enim intemperiem homines intemperantes dicuntur. Rurſum & id intemperans dicitur, quòd vel ægre, vel non omnino caſtigatione vlla emendari queat. Multifariam autem cum dicatur intemperantia, patet circa voluptates quaſdam & dolores verſari: tum quòd ex diſpoſitione circa eas varia, & à ſe inuicem, & ab aliis homines differant, prius autem deſcripſimus quo pacto intemperantiam appellaremus. tractemus. nam eos qui nullo ſenſu erga eas commouentur, inſenſatos alij, nonnulli aliud nomen imponunt. Verùm non eſt noſtra hæc affectio neque vulgaris, eo quòd magis ita alteram partem peccetur, & quòd connatitas ſit omnibus iucundorum eiuſmodi ſenſus & definitio. Huiuſmodi autem ſunt, quos Comici inducunt agreſtes homines, qui nec moderata quidem neceſſariáque vlla ſuauitate mulcentur. Et quia temperans circa voluptates

versatur, necessum est etiam cupiditates quasdam illi propositas esse. Itaque quæ sint ista, explicare oportet. neque enim circa omnes cupiditates, omniáque suauia versatur temperantia, sed opinione quidem circa sensibilia duo, gustabile scilicet, & tangibile, reuera autem circa tangibilia tamen. Nam circa visionis voluptatem, quæ citra veneris cupiditatem pulchrorum, aut dolorem, qui turpium aspectu nascitur, aut eam quæ ex auditione suauiter consonantium, aut secus, aut quæ olfactu fragrantium aut fœtidorum prouenit, non versatur temperans, neque enim vel patiendo, vel non patiendo dicitur intemperans. Siue igitur quis aut pulchram statuam, aut equum, aut hominem cernat, vel suauiter audiat canentem, nec bibere nec edere, nec veneri indulgere velit, sed pulchra quidem videre, & canentem audire, is intemperans minime videatur, quemadmodum nec Sirenum cantibus deliniti, sed circa duo hæc sensibilia versantur, quę & reliquorum animantium sensibus incurrentia, dolorem, voluptatémve cient: ea scilicet quæ gustu tactúve sentiuntur. Cæterum quæ reliquis sensibus suauia existunt, nullum ferè illis sensum mouent, vt circa proportionum pulchritudinis connexionem nihil magnopere moueri videantur, sed & nec auscultationibus sonorum ritéque consonantium, neque suaue aut grauiter olentibus: nec omnes sensus acutius percellant. Sed & odoribus ij gaudent maxime, qui per accidens, non per sese oblectant. Dico autem per se, quibus gaudemus nec sperantes, nec recordantes aliud, velut cibi aut potus. nam ob aliam, hoc est edendi bibendique, voluptatem iis gaudemus, per quę

vero, vt est lucorum & florum. Quocirca scite Stratonicus dixit, illa quidem pulchre, hæc vero suauiter fragrare. Et quia gustabile aliquod, non omnem voluptatem ferę attingunt, nec quantum extremo linguæ apice, sed quantum toto gutture sentitur. quapropter gulones non optant linguam longam, sed quemadmodum Philoxenus ex Hyride, vulturis guttur. Itaque circa tangibilia, vt simpliciter dicam, intemperantia est constituenda, circa ea, quæ etiam intemperans versatur. nam vinolentia, edacitas, luxuria, crapula, etiam omnia eiusmodi circa sensus prædictos sunt: quas in partes intemperantia diuiditur. Verum qui visum, auditione, olfactúque excedit, non dicitur intemperans. citráque ignominiam tales errores vituperamus, & prorsus circa quæ non dicuntur consentientes, incontinentes vero nec temperantes sunt, nec intemperantes. Insensatus igitur, aut quocunque alio nomine appellare conueniat, qui in omnibus deficiat, quibus solent plerunq; omnes participare, atque lætari. Verum qui excedit, intemperans est. omnes enim his & natura gaudent, & aliquo etiam modo concupiscunt, nec tamen sunt, vel dicuntur intemperantes, etenim consecuti, excedunt magis quàm oporteat gaudendo: non consecuti magis quàm oporteat dolendo. Sed nec dolore etiam vacantes dicuntur. non enim deficiunt gaudendo dolendóve, sed magis excedunt. Quia igitur circa hæc est excessus defectúque, manifestum quòd & mediocritas, qui habitus optimus est, & vtriq; contrarius. Itaque temperantia habitus præstantissimus, circa quæ intemperans versatur, quæ in dictis iucundis sensibilibus tenens medium,

insensilitatis intemperantiæque mediocritas existit. Excessus vero intemperantia est. Defectus autem nomine caret, aut supra positas appellationes sortitur. Accuratius vero deinceps de iucundorum genere pertractabitur, vbi de continentia incontinentiaque agemus.

De mansuetudine, & eius extremis.

CAP. V.

EOdem pacto de mansuetudine, rigiditateq; sentiendum est. Nam & mansuetum quendam esse ergà dolorem ex ira proficuum cernimus. Supra enim iracundo, rigido & agresti (omnia enim hæc sunt dispositionis eiusdem) seruilem, & insensatum oppositimus eo quòd ira vocentur, quotquot non mouentur ad iram quibus oporteat: sed lacessiri facilis humiléque sese præbeant ad contemptum. opposita enim sibi inuicem sunt, celeriter & ægre, leniter & vehementer, & dolor quem iram dicimus. Hîc tempore durans, ei qui breui. Quoniam vero quemadmodum & in aliis, hic quoq; excessus defectúsque repetitur: rigidus enim eiusmodi, qui citius magis, longioréque tempore, tamen nec quando, nec quibus oporteat, ac in multis afficitur: Seruilis autem contrarius quispiam est. Medius autem inter inæqualitatem consistit: & quia vterq; habitus vitiosus est, patet medium horum æquanimitatem esse. neq; enim præcurrit, aut excedit: neque quibus non oportet irascitur, nec quibus oportet non irascitur. Quocirca cùm & mansuetudo circa eadem affectiones versetur habitus optimus, erit & mansuetudo mediocritas quædam, & mansuetus inter rigidum seruilémque medius.

De libe-

De liberalitate, & eius extremis.

CAP. VI.

SVnt porrò & magnanimitas, & magnificentia, & liberalitas mediocritates. Liberalitas enim circa acquisitionem amissionémque facultatum versatur. Nam qui omni acquisitione gaudet, omnique amissione dolet, vtrunque magis quàm oportet, illiberalis est. qui vtrunq; minus quàm oporteat, prodigus. qui vero vt oportet vtrunque, liberalis. vt oportet hic, velut in aliis etiam expono, quemadmodum recta ratio dictat. Et quia illi quidem in excessu defectúque sunt: nam vbi extrema sunt, isthic & medium, quod præstantissimum est in quaque specie, & vtum: necessium & liberalitatem inter prodigalitatem, illiberalitatémque circa facultatum acquisitionem, & amissionem mediam consistere. Bifariam autem facultates quæsuatámque vocamus. alia enim per se est facultatum possessio, velut calcei & vestis: alia vero per accidens: nec tamen ita, vt si quis lancæ calceis vice vtatur, sed velut emptio, conductióq; mercenaria, emuntur enim & calcei. Pecuniæ autem cupidus præ quæstu accidentario circa numismatum possessionem occupatur: illiberalis vero, & prodigus circa accidentarium lucrandi modum. nam ille quidem in acquisitione naturali augmentum quærit: prodigus vero in necessariis deficit: liberalis autem ex abundanti copiæ largitur. Species vero harum differre dicuntur, eo quòd magis & minus circa particulas offendunt: vt illiberalis, parcus, sordidus, turpis lucri cupidus. Parcus enim, eo quòd non ero ger, dicitur. Turpis autem lucri cupidus, quòd

omnia corrodat. Sordidus, qui vehementer in exiguis obnititur. Deceptor vero depilatórque, qui iniustus ex illiberalitate est. Ita contra prodigorum hic quidem cautus est, qui inordinate consumit: ille vero inconsideratus, qui in eo qué ferre dictat ratio, durare dolore non potest.

De magnanimitate, & eius extremis.

CAP. VII.

DE magnanimitate autem, ex iis quæ de magnanimis dicta sunt, determinare oportet eo quòd vt in aliis iuxta affinitatem & similitudinem, quoad latent progredi conuenit, ita & de magnanimitate tractantibus idem vsu venit. Quocirca nonnunquam contrarij eadem affectant. quemadmodum prodigus & liberalis, perfractus & grauis, audax & fortis. circa eadem enim versantur, & cognati sunt aliquousque. nam & audax & fortis pericula sustinet, sed hic quidem sic, ille vero aliter, quæ plurimum inter se distant. Dicimus autem magnanimum iuxta nominis appellationem, velut vi & magnitudine animi instructum. Itaq; & grauí & magnifico similis videatur: quandoquidem omnes virtutes quodammodo sectatur. nam recto iudicio de rebus maximis pariter & infimis bonis pollere laudabile est. Videntur autem ea magna esse, quæ optimo habitu instructus prosequitur, circa eiusmodi scilicet iucunda. Magnanimitas vero est præstantissima. dicat autem in vnoquoque maius & minus recte iuxta sapientis virtutisq; præscriptum, vnde vel ipsa omnes virtutes, vel ipsam omnes consequuntur. Præterea contemptiuus dicitur magnanimus. Singulæ vero virtutes rerum præstantionem magnarum sunt contemptrices. vt fortitudo periculorum. id enim magnum inter tutpia deputat, & neque multitudinem omnem iudicat formidandam, & intemperans voluptates, liberalis opes multas magnásque spernit: id quod magnanimi esse videtur, eo quòd in paucis occupetur. atque hæc magna sunt, eo quòd nec cuiuslibet iudicium spectat. Magis quippe magnanimus spectat quid vni sapienti probetur, quàm multitudini, vt vulgo. Quemadmodum ad Agathonem dixit Antiphon, maligne defensionem laudantem. neglectus enim propria maxime affectio magnanimi. Porrò nec vitæ, nec opum, quibus studere magnopere videntur homines, curam gerit, sed tamen honoris, itaque & dolet ignominia affectus, & indigni subiectus imperio: gaudet autem principatum assecutus. vnde contraria videntur. nam circa honores occupari, & quæ vulgus sentiat de se contemnere, non sunt consentanea. quocirca accuratius hæc discutere oportet. Nam honor exiguus & magnus bifariam capiuntur. aut enim à multis is & vulgaribus, aut ab illustribus ille contingit. qui rursus pro re, in qua euenit, differt. magnus enim non solum honorantium multitudine aut qualitate, aut pretio æstimatur, sed veritate. vnde & principatus & reliqua præclara, & studio digna bona censentur, quæ reuera eximia existunt. Quocirca nulla virtus magnitudine caret, qua & amplificare & ius reddere videtur in quibus fuerit. sed enim & inter cæteras virtutes magnanimitas eminet. quare peculiari vocabulo hæc præditus magnanimus appellatur. Quoniam vero bona alia honorabilia sunt, alia vero, vt supra determinauí-

dDd 4

musex quibus alia ex vero eximia, alia parua sunt: quibus nonnulli cum digni sint, seipsos dignos etiam arbitrantur, in iisdem solet elucere magnanimus. Quadrifariam vero hæc discernuntur. Nam & dignum esse iis, & sese dignum iis iudicare contingit. Interdum vero & mediocribus dignum iis quoque se dignum iudicare. Nonnunquam vero econuerso vtralibet harum sese inuicem componuntur. nam cùm exiguis aliquis dignus, magnis atque honorabilibus se dignum arbitratur, alius maximis dignus, parua se dignum existimat, prior quidem hic est exiguis dignus, magnâque affectans, vituperationem meretur, dedecens enim id est, ac minime honestum, præter dignitatem quippiam consequi. verum & is vituperandus, qui præsenti honore dignus, eum tamen auersetur. restat, iam vtrique horum contrarius, qui cum rebus magnis dignus sit, seipsum etiam dignum arbitretur. hic laudabilis & inter hos medius est. Et quia circa honoris electionem fruitionémque circa honorabilia reliqua bona dispositio est præstantissima magnanimitas, & quemádmodum ostendimus non circa vtilia occupatur, ipsa mediocritas cum primis laudabilis, manifestum etiam magnanimitatem esse quandam mediocritatem. Ex contrariorum autem, hoc quod diximus indignum, maximis sese dignum arbitrantem, lentitudo, tales quippe lentos dicimus, qui magna venditant, cùm non insint. Verum vbi dignus magnis, se indignum censet, pusillanimitas appellatur. pusillanimis enim est, qui præclara meritus, iis sese indignum iudicarit. Itaque magnanimitatem necessium est mediocritatem esse, inter pusillanimitatem & lenti-

lentitudinē. Porro quartus ex his, neq; omnino vituperatione dignus, neque magnanimus, in nulla re magni quippiam consecutus. neq; enim vel dignus existit, vel ita de se ipso censet, quapropter non est contrarius. Nam etsi planè contraria inter se videantur, magnis dignum magna, & paruis dignum exigua debere sibi arbitrari, contraria tamen non sunt, eo quòd hic reprehensione careat, quandoquidem ex rationis instinctu agit, & eadem quæ magnanimus naturæ conditione. Cùm vterque quibus dignus est, sese dignum arbitratur, magnanimus ex iis, quibus dignus est sese dignum censebit, pusillanimis vero cùm magna insint ei bona honorabilia, si eis se indignum iudicat, quid faceret, si paruis dignus esset, aut igitur magnis se dignū iudicans, lentus, aut pauciorum. quocirca nemo pusillanimem dixerit, qui inquilinus tantum, se non imperio dignum censeat, séque subiiciat, verum qui honesto loco natus sit, imperiúmque non magnam iudicarit.

De magnifico, & eius extremis.

CAP. VIII.

MAgnificus autem non ex qualibet operatione, electionéve dicitur, sed ex sumptibus: nisi forte per translationem ita vocetur. Circa sumptu autem magnificētia non est. nam μεγαλοπρεπὲς, id est decens, in ornatu: ornatus vero non in quibuslibet, sed in necessariorum excessu consistit. Verùm qui in magno sumptu decentem magnitudinem eligit, eámque mediocritatem cum eiusmodi voluptate expetit, magnificus est, qui vero amplius quàm par sit, & præter modum, is nomine caret: tametsi quan-

dam affinitatem inter sese habent, quos vocant ineptos & prodigos. Nam qui opulentus dilecti hominis nuptiis sumptus suppeditat, eum apparatum se decere arbitratur. Qui frugales paucáque desiderantes excipienti conueniat, parificus. Verum qui nuptiali apparatu eos excipiat, nec ob gloriam, neque pro autoritate peculiari aliqua, prodigo similis videtur. Verum qui pro dignitate iuxtáque rationem id faciat, magnificus est. decorum enim iuxta dignitatem est, quandoquidem nihil præter dignitatem decet. decorum autem esse oportet. etenim decentis est agere iuxta dignitatem, & quod deceat, & circa quid deceat, aliud enim decorum est circa familiaris, aliud circa amati nuptias, atque ipsi etiam in tantum aut eiusmodi: vt ipse iactaculum, Cimonem non Themistoclem, quod humiliore fortuna hactenus esset, decere arbitrabatur. ille vero, cui qualitcunque sit dignitas perinde est, nullus est horum. De liberalitate vero similiter se habet. nã liberalis aliquis est, qui do libere

De indignatione, verecundia, amicitia, gratitudine, veracitate, vrbanitate.

CAP. IX.

ET fere etiam sic cætera circa mores, vel laudabilia vel vituperabilia. nam alia excessus, alia defectus, alia vero mediocritates sunt passiuæ, quemadmodum inuidus & alienis malis gaudens. iuxta hos enim habitus dicitur. Inuidus quidem angi, dignorum successibus: vero in eadem passione nomine carere, sed ei affectioni obnoxius, notus est, gaudendo indignorum vel casibus vel successibus, item & dignorum lætando. Medius vero inter hos est indignabundus, & quod veteres νέμεσιν vocant, à dolendo, ob indignorum successum. quapropter & Nemesin Deam esse arbitrantur. Verecundia mediocritas est inter impudentiam & stuporem. Nam qui nullam de se existimationem moratur, impudens: qui omnes, stupidus: qui vero apparentes quasdam modestiæ, verecundus. Amicitia vero medium inter inimicitiam & adulationem. Nam qui omnibus pro cupiditate sua arcunde congreditur, adulator est: qui vero voluptatem omnem vitat, odiosus. verum qui nec sectatur, nec refugit omnem voluptatem, sed quod optimum videtur in congressu obseruat, amicus est. Grauitas vero mediocritas est inter contumaciam, & placendi studium. Nam qui nihil in conuictu alteri largitur sed contemnit, contumax: qui vero omnia omnibúsque se subiicit, placendi studiosus est: qui vero alia quidem largitur, alia non, grauis appellatur. Verus autem & simplex, quem rigidum vocant, inter dissimulatorem & iactabundum medius est. Nam qui sua deteriora mentitur quàm sunt, atque non ignorans, dissimulator: qui vero maiora prædicat, iactabundus est. verum qui vt habeat exponit, verus, & iuxta Homerum sapiens appellatur. & in vniuersum, hic quidem verè, ille falsi amator est. Potrò vrbanitas mediocritas est: & vrbanus inter rusticum & scurram medius. Quemadmodum enim circa alimentum, vorax & * terius differunt, quòd ille nihil aut pauca aut ægre admittat, hic vero facile omnia, sic rusticus habet ad importunum aut scurram. nam ille ridiculum nihil aut ægre admittit, hic vero omnia & prompte & suauiter.

* σιτικῶς.

Verum

Verum neutrum ita decet, sed quædam admittenda ioca, quædam non: idque iuxta rationem, quod facit vrbanus. Demonstratio autem eadem, quandoquidem & eiusmodi est vrbanitas, & nō quem transferentes dicimus, æquissimus habitus, & mediocritas laudabilis, extrema vero vituperabilia sunt. Duplex autem vrbanitas est. alia enim quæ ridiculis gaudet, ioci sque etiam in ipsum scommate iactis, alia quę iocos huiusmodi perexhibere aliis potest. Diuersę quidem à seinuicē, sed mediocritates ambæ nā qui & exhibere iocū aliis potest, quo afficiatur iyncere iudicans, & qui in se dictum ferre ridiculum, inter importunum & frigidum medius est. Quæ determinatio melior est, quàm si illuso, quomodocunque affecto, molestum esse quod dicitur alteratur: quippe quòd magis placere, ea moderatione prædito conueniat. hic enim recte iudicat. Cæterum omnes hæ mediocritates etsi laudabiles sunt, non tamen virtutes dici debent, neque earum contraria, vitia: quippe quòd hæc omnia ex affectionum diuisione, carere electione constat. vnaquæq; enim harum affectio quædam est, & quia naturalis est, ad naturales etiā virtutes refertur. naturales enim quodammodo virtutes hæ sunt, vt ex sequentibus patebit, cum prudentia. vnde & inuidia iniustitiæ (nam ad alium spectant actiones ab ipsa profectæ) & indignatio iustitiæ, verecundia modestiæ adscribitur. quocirca & eo in genere modestiam definiunt, verus autem & vanus eiusmodi, vt ille sapiens, hic stultus sit, verum medium magis extremis cōtrarium est, quàm ipsa sibi, eo quod illud cum neutro iungatur, & sit, hæc vero frequenter, sūntque nonnūquam timidoaudaces, ac par-

tim prodigi, partim illiberales, & prorsus vitio e inæquales. Nam cum recte inæquales sint, medij existunt, medio namque extrema aliquo modo insunt, verum contrarietates non videntur extremis similiter iuxta medium amb æ inesse, interdum enim iuxta defectum, aliquando iuxta excessum insunt, quorum causa sunt duo illa supra commemorata, paucitas ergà iucunda insensatorum, & quod contrarium magis esse videtur, in quo magis peccatur: tertium vero, quòd rarius, minus contrarium videtur: vt audacia ad fortitudinem, & prodigalitas ad liberalitatem. De reliquis igitur virtutibus laudabilibus ferè dictum est, itaque de iustitia deinceps dicendum erit.

*

Pro Quarto, Quinto, & Sexto sequentibus libris lecti Septimum, Sextum, ac Septimū Nicomachiorum. Hos enim ex eo loco transtulisse nullo pretextu mutauerim, cum in Græcis exemplaribus viderim.

ARIST

ARISTOTELIS MORALIVM EVDEMIORVM LIBER SEPTIMVS.

SVMMA LIBRI.

De amicitia, ac eius speciebus. De amicitiæ multis, quæ circa hæc sunt considerandis. De benevolentia, concordia, ac proletaria.

De amicitia, vbi dubitatur, an sit in similibus vel in contrariis.

CAP. I.

DE amicitia, quid sit, & quale sit, quis item amicus, ac vnus simpliciter tantum dicatur amicitia, an multifariam: & si multifariam, quotnā modis: insuper quo pacto sit amico vtendum, quidve iustū amicum, nihilominus exercienda nobis sunt, quàm ea quæ de moribus electa honesta eligibiliáque traduntur. Nam inter ciuilia officia vel potissimum est, amicitias inter se hominum mutuas conciliare. Eámque ob causam virtutem vtilem existere dicimus, quòd amici esse nequeunt, qui mutuis inter se iniurijs confligantur. Præterea iustum iniustúmque maxime circa amicos versari omnes cōfitentur. Et sanè videtur vir bonus etiam amicus esse, ac amicitia moralis quidam habitus: vt si iniuriā quis cauere instituat, homines inuicem reddat amicos, eo quòd veri amici nunquam mutuo, quemadmodum & iusti, inferant iniuriam: quocirca aut idem prorsus, aut cognata inter sese amicitia iustitiáque existunt. Præterea inter bona præstantissima reputamus paratum esse amicum: & malum grauissimum solitudinem, amicorúmque carentiam interpretamur: quòd omnis vita, spontaneáque hominum conuersatio his constet, quæ cum familiaribus aut cognatis, aut aliis nobiscum degentibus vel liberis vel parentibus vel vxore transigitur. Et propria quidem iusta, quæ ad amicos spectant, solum ad nos pertinent, verùm quæ lege constituta, non æquidem nos, sed alios respiciunt. Verùm multa ambigi circa amicitiam solent. Primum quidem quòd foris assumitur, vt plerunque dicitur. Videtur enim nonnullis simile simili amicū esse, vnde natum est quod fertur, Deus similem semper adducit ad similem. etenim graculus ad graculum, & fur furem cognoscit, & lupus lupum. Sed & physiologi vniuersam naturā rerum describentes, principium hoc constituunt, similia ad similia contendere. Quocirca & Empedocles eandem fœmellam fictili incumbere aiebat, ob similitudinem, quam cum eo plurimam haberet. Atque hi quidem ad hunc modum amicum definiunt. Alij vero contrarium contrario amicū asserunt. amabilia enim desiderabiliáque omnibus amica sunt: & siccum humida, non sicca appetit: vnde & terra pluuiam optare dicitur, & rerum omnium mutationem gratā esse. ea vero in contrarium fit. Et simile simili inimicum, & figulus (quod dicitur) odit figulum. Insuper & animan

animantia quibus ex eodem victus suppetit, hostilia inuicem sunt. Opiniones igitur hæ cuiusmodi distant ab iis, quæ simile amicum, & contrarium inimicum censent. Minus certe semper ei quod plus est, hostile existit, inimicitiamque dies exorditur. Præterea & loca inter se dissidentia contrariorū sunt. amicitia enim cōtrahere videtur. Alij vero contraria amica putant, & Heraclitus increpat Poëtam dicentem, quòd lis inter Deos & homines pereat. Neque enim harmoniam consistere inquit, citra acutum & grauem sonum neque animalia absque mare & fœmina duobus contrariis, quæ duæ opiniones de amicitia sunt in vniuersum plurimum discrepantes. Verum aliæ magis cognatæ sunt, & propriæ apparentium. aliis enim inter prauos amicitiam constare non posse, sed inter bonos tantum, aliis contra, absurdum videtur, si mater liberos non amare asseratur, cum & inter bruta amicitia intercedat tanta, vt etiam pro sobole sua mori recusent. Alii tantum vtile amicum arbitrantur. argumento illis est, quòd omnes id prosequuntur. inutilia vero abiiciunt. Vnde Socrates ferunt ille saliuam proiiciens, & capillos vnguesque præscindens, particulas se inutiles omnes abscidere dicebat, & postremo etiam corpus ipsum cum mortuum fuerit, & quòd nullis porrò vsibus accommodari queat. verum vbi vsui est, velut in Aegypto, reseruant, quæ omnia contraria inter se maxime videntur. nam inutile simili, ac contrarietas similitudini, ac contrarium inutilissimū contrario suo maxime repugnat, quippe quòd contrarij sit contrarium corruptiuum. Insuper videtur aliis quidem facile amicos comparare, aliis vero rarissimum hunc cognoscendo quo-

quoniam citra successum non contingit. Cum felicibus amicitiam omnes captant, verum alij, ne in iisdem quidem infortuniis persistentibus, credendum iudicant, quippe qui fallacia quadam, ficta quæque cum calamitosis conuersatione, bonorum amicitiæ sese insinuent. Sed addocendus etiam postremus, qui & opiniones de his rectissime exponit, & dubitationes contrarietatesque soluit, quod sit, dum apposite explicantur, quæ videntur contraria. eiusmodi enim ratio maxime apparentibus consonat. Contingit autem oppositiones manere, quando quod dictum est, verum sumptum fuerit: interdum vero secus.

Quale sit id, quod ametur, iucundum, an bonum.

CAP. II.

DVbitationem autem habet, vtrum iucundum, an bonum id sit, quod ametur. Nam si id maxime concupiscimus, erit eiusmodi potissimum amor. Neq; enim amator dicitur, qui non amet semper. Et cupiditas semper ad iucūda fertur. nam & iucundum, quod volumus bonum amamus: verùm aliud est iucūdum ac bonum. male quibus & aliis cognatis determinare conabimur, his principiis constitutis. Quæ cupiditate aut voluntate appetūtur, aut bona sunt, aut apparentia bona. Quapropter & iucundum concupiscibile est, quia apparēs bonum: quippe quòd aliis bonum iudicetur, aliis appareat tantum, etiamsi non iudicetur. neque enim in eadē animæ parte sunt, phantasia. Patet igitur amicū & bonum & iucundum esse: quo determinato, alicra iam suppositio præmittenda. Bonorum enim alia simpliciter bona sunt, alia alicui non

simpliciter, atq; eadem simpliciter & bona, simpliciterque iucunda. Nam quæ sano corpori conducunt, simpliciter corpori bona: quæ vero laboranti tantum, non simpliciter appellamus, velut sunt medicamenta, & sectiones. Similiter & iucunda simpliciter vocamus, quæ integrum sanámque corpus oblectant: vt in clara luce, nó in tenebris cernere: verum laboranti ex oculis contrarium, & vinum iucundius esse iudicamus non linguæ ex vinolentia corruptæ, quæ ne insipsum quidem acerum discernat, sed sensui syncero. Similiter & in iis quæ animam spectant, non quæ pueris aut bestiis, sed cordatis probantur: vtrorumque igitur memores, hæc eligimus. Et quemadmodú pueri ac bestiæ habent ad cordatum, sic prauus, stolidúsque ad moderatum & sapientem. iis vero iucunda sunt, quæ iuxta habitus incidunt, quæ sunt bona & honesta.

De tribus amicitiæ speciebus: & quæ ipsarum propriè sit amicitia. CAP. III.

QVis vero bona multifariam dicuntur, aliud enim quia tale sit, aliud quia vtile ac ferens: sic & iucúdum, aliud simpliciter ac bonum simpliciter, aliud vero quod alicui vile tur bonum, quemadmodum in inanimatis contingit ob singula hæc aliquid nos eligere & amare: vt & hominem. alium enim quód virtute præditus, alium quia bonus & frugiferus, alium quia iucundus ob voluptatem. Amicus autem fit, quando amatus redamatque: neque id ignorat ab ipsis. Quocirca necessum tres amicitiæ species esse: neque iuxta vnum aliquid omnes, neq; vt vnius generis species, neque omnino æquivoce dicantur, ad vnam enim quandam rem & vnam referuntur, quemadmodum medicinale. etenim animam medicinalem, & corpus, atque insuper etiam instrumentum & opus dicimus, sed proprie primum, per quod tatio eius medicis inest, velut instrumentum medicinale, quo medicus vtitur, nec tamen instrumenti ratio medici rationi inest. quocirca in omnibus primum illud quæritur. Et quia primú vniuersale est, vniuersaliter etiam capitur quod fallit, itaq; & in amicitia non possunt omnia apparentia reddere. Ratione enim vna minus congruente non arbitrantur cæteras amicitias esse, aliæ vero sint quidem, sed nō similiter: aliæ vero, cum prima nō cōueniat, vt vniuersalis, siquidé prima esset, neq; aliæ esse amicitias inquiunt. Verùm, vt modo dictú est, multæ amicitiæ species sunt: quoniam tripliciter dici amicitiam determinauimus, cum alia ob virtutem, alia ob vtilitatem, alia ob iucúditatē oriri dicatur. Et sanè quæ commodorum gratia nata est, plerunq; est amicitia qui sciunt ice, quia vtiles diligere solent.

Τὸ λοιπὸν ὑπάρχοι ἂν ἐκ τῶν φίλων ἐκάστῳ.

Et nondum Athenienses cognouerunt Meganenses. Quæ vero ob voluptatem contrahitur, iucundum est: mutatis enim pro ætate moribus, etiam iucundú mutant. Quæ vero à virtute proficiscitur, optimorum, vnde manifestum est priorem amicitiam, bonorum esse mutuum erga se inuicem amorem, mutuámq; electionē. Amicum enim est amatum amanti, amicúsque item redamans amato. Ea igitur sola inter homines est, quippe qui soli electionem sentiunt, cæteræ autem etiam feris inter se sunt, vbi etiam aliqua mediocris elucet vtilitas. Atq; ita etiam cicera homini, & alia aliis amica sunt: quemadmodum regulus auis crocodilo, Herodoto teste:

& quemadmodum vates de conseſſibus transitionibúſque loquuntur. Et mali malos, cùm ob vtilitatem, tum ob iucunditatem amant: neque tamen amicos fatentur, cùm primæ ſint experti: quippe quòd prauus iniuriâ prauè inferat, quod amicitiæ legibus repugnat. Alij itidem amant citra amicitiam primam, quos tamè reliquas colere nihil vetat, ob voluptatem enim incontinentes ſeipſos ſuſpectos habent, nec ab iniuria mutua abſtinent. Quocirca nec ob voluptatem ſe mutuo amantes, dici amici debent: quando accurate diſquirentibus plane primam non eſſe conſtet, illa enim firma eſt amicitia, hæc vero prout hactenus diximus, non illa quidem, ſed ab illa profecta. Quapropter vt illo tempore pacto amicus eſſe aſſeratur cogere, eſt apparentia abſurdáque dicere. nam iuxta rationem communem quandam affirmare omnes amicitias licet. Supereſt igitur, vt prima tantum amicitia vocetur, interdum vero etiam omnes: ſicut æquinoce, neque ad ſeipſas quomodocunque habentes, neque iuxta vnam ſpeciem, ſed potius ad vnum aliquod relatas.

De amicorum diuerſitate: & qui proprè ſint dicendi amici.

CAP. IIII.

ET quia ſimpliciter bonum iucundúmque idem & ſimul eſt, niſi quid obſtet: & primus verus, & ſimpliciter amicus (nam talis propter ſeipſum eligibilis, idq; neceſſario, quemadmodum enim propter ſe bona quiſpiam appetit, & & ipſum talem eligi oportet) verus autem amicus etiam iucundus eſt ſimpliciter: videtur igitur quomodocunq; amicus iucúdus eſſe. Verumtamen magis de his determinandum, vtrum quod ipſi, an quod ſimpliciter bonum amicum ſit, & vtrũ actu amare cum voluptate, vnde & amabile iucundum, an non. hæc enim ad idem reducenda ſunt, & quod non ipſi bonum fuerit, non etiam ad ipſum pertinet. Atque hoc ipſum eſt quod quæritur, ſic eſſe bona, quæ ſimpliciter bona ſunt. eligibile enim eſt ſimpliciter bonum: ipſi vero, quod ipſi bonum: quæ conuenire oportet. Et virtus vna talé efficit, & ciuilis facultas etiã, quibus hæc non inſunt, ingignit, modo iam ante accommodatus & homo exiſtat. naturaliter enim ei bona ſunt, quæ ſimpliciter bona. Similiter & vir pro fœmina, & ſtupidus pro prædito indole, ob dulce vero, neceſſe eſt quæ pulchra ſunt, ſint & dulcia: vbi vero diſſonant hæc, iam non prorſus bonum, nam intemperantia interimere poteſt. Cum enim honeſtũ iucundúmq; diſconueniunt, in affectionibus intẽperantia eſt. Quia cum prima amicitia eſt ſecundum virtutem, erunt & ipſi ſimpliciter boni: non quia vtiles, ſed alio quopiam modo: quandoquidem bifariam, huic & ſimpliciter bonum capitur, & ſimiliter quemadmodum in conducibili & habilibus, vbi aliud eſt ſimpliciter cõducibile, & honeſtum, velut ſe exercitatio ad medicationem habet: ita que & habitus hominis virtus. Sit igitur homo ex rebus natura præſtantibus. nã virtus natura præſtantis ſimpliciter, alterius vero alicuius nequaquam, ſed huic bonum dicitur. Eadem quoque ratio dulcis eſt. Hinc igitur vestigandum, vtrum abſque voluntate ſit amicitia, quidve differat, & in vtro amare conſiſtat: & vtrum bonus eſſe etiam non iucundus queat, ſed non propter idipſum tamen. Amor igitur cùm

dicatur bifariam, vtrum qui actu est, eo quòd bonum iudicat, nō absq; voluptate esse apparet. patet autem, quemadmodum in scientia rerum cognatæ contemplationes disciplinæq; ipsæ ex sua facile intelliguntur, ita etiam familiaritū recognitiones expediæ fiunt cuius rei ratio eadē in vtrisq; est. Natura igitur simpliciter bonum, & simpliciter iucundum: & quibus bonum, iisdem etiam iucundum est. Quapropter similia similibus mox gaudent, & homini homo iucundissimus. Et quia imperfecta ea conditione sunt, etiam absoluta eiusmodi erunt. Est autē vir bonus perfectus, siquidem ergo amare actu mutuę familiaritatis & notitiæ, electio tum voluptas est, scilicet & amicitia prorsus simpliciter bonorum & iucundorum, quia bona iucundáq; sunt mutua electio. Atq; ea amicitia habitus, ex quo eiusmodi electio proficiscitur. nam opus vius actus est, qui non extra, sed in ipso amante consistit, cum potentia extra, vel in alio insit, vel euersum saltem existat. Quocirca in amante, quā in amato gaudiū est. Amari enim amabilis rei illud vero etiā amicitię actus est, & animati rei tum, cum prius etiam inanimatis cōperat, quando & ea quoq; diligūtur. Et quia amare actu est gaudere amato, quatenus amatū, & amicus est, qui amatur vicissim, erit amicus amico, non quā musicus vel medicus. Voluptas igitur ab ipso percepta, quā amicus, proprie amica voluptas appellatur. ipsum enim diligit nō ob aliud quidpiam, quàm ob rem nisi eo quatenus bonus est delectatur, non fuerit amicitia prima, neq; rem vllam interuenientem obstare decet, vt bonum ipsum non delectet. itaq; etiam si grauedolentia fuerit, aliqua obliterare, & mentis indo-

lentia fuerit, aliqua obliterare, & mentis indolentiam amplecti vetus amicus solet. Hanc igitur primam amicitiam esse omnes confitentur: alię vero propter hanc, & ali; quo modo videntur, & in controuersiam veniunt. Constantiam enim quandā habere amicitia videtur, ac sola ea constant est. nam pronunciatum à grauibus est, cōstant id esse, quod non cito fiat, neq; facile dissoluatur. cætera iudicio syncero vocant. Porrò nec citra fidem consistit amicitia firmacea vero experimentum requirit, vt inquit Theognis. Neque enim viri mulieriue mentem cognoueris ante periculum, velut de vi mentis sumptum. Eodem pacto & tempus requirit amicus, quia etiam amici ante contractam amicitiā cupiunt qui habitus, velut iam consummata amicitia, lateat. nam quia ad mutuam amicitiam propendent, & sibi inuicem omnia officia præstant, putarent non velle amici, sed re ipsa amici esse. Veràm quemadmodum in cæteris, ita hic quoque vsu venit. quemadmodū enim sani nō sunt fiatim qui id velint, ita nec amici qui esse volunt argumento est, quòd facile tales nondum assumpto experimento, ita nec calumnia circūueniātur. quòd experimentū quibus in rebus habent, in his facile se calūnię non prębent, in quibus autē non habent, persuadetur, si coniecturas calumniator adhibeat. Simul vero patet, nec inter prauos amicitiam constare posse: quippe qui iniqui sunt, & nemini sese committunt, ex sese aliis metientes. Vnde & boni facilius decipiuntur, nisi ea periclitatione diffidant. Etenim prauis natura bona amico præterunt, neq; quicquā amicū magis quàm res amat. nā tales amici non sunt: repugnant enim legi amicitiæ, amicorū cōmunia omnia asseréti. quādoquidē

amicus tebus ipsis præferendus est, non amicis res. Vnde prima amicitia inter paucos incidit eo quòd difficile sit multorum capere experimentum quandoquidem non omnibus, quemadmodum opottebat, possis conuiuere. Neq; ex æquo de veste & amico deliberate conuenit, equidem quod inter duo melius exiterit, eligere mentis saltem compos, & quo est visus olim vt deteriore. non præferret ei quod iudicet melius. In amicitia autem non facile pro vetere amico Incognitum assumet. neq; enim absque experimento est, neq; vnius diei amicus. qua propter in prouerbiũ abiit, Salis modius. Simul autem non eo tantum, quòd simpliciter bonus quispiã sit, ad amicitiam sufficit, sed vt etiam tibi sit amicus. Bonus enim quisque dicitur simpliciter, eo quòd bonus est: amicus autem, qui alteri bonus. simpliciter autem bonus amicũq;, in quo vtraque ista concurrunt. Ita q; quod simpliciter bonum alteri, hoc quanquam non simpliciter bonum: alteri vero bonus. eo quòd vtilis. amare autem vnã multos, & ipsum hunc amorem auertere, impossibile erga plures operari. In his autẽ constat recte dici, amicitiam constantiũ bonorum esse, quemadmodum felicitas sufficientium. etenim natura, non facultates, firmitatem habet. Verum multo rectius virtutem naturæ esse affirmatur, & tempus amantem indicare, infortuniaq; magis quam successus. In illis enim vere declaratur quod dicitur, Communia amicorum omnia: quippe qui soli bonis malisque natura, circa infortunia & successus in quibus consistunt, hominem præferunt, vel vt illa sint, alia vero non sint. Successus autem arguit non vesos amicos, & ad vtilitatem tantum compara-

tos. Tempus vero vtrosque. neq; enim vtilis statim amicus est, verum suauis & iucundus. Sed nec qui statim, suauis simpliciter est: quando perinde vt vino cibóque partim suauitas, partim vero celeritas percipitur, verum mediocri tempore suauitatem voluptatémque amittit, sic etiam hominibus vsu venit. nam quod simpliciter iucundum est, sine tempore & determinari debet. Fateatur autem & vulgus, dulce vocans, non solum quod compererunt, sed velut cum bibant, cúmque adhuc in manibus poculum est. Non enim id inde dulce est, quia compererit aliquis, sed quia non frequenter bibit, ac quia primum decipitur. Prima igitur amicitia, à qua cæteræ nomen trahunt, secundum virtutem est, iuxtáque eius delectationem, velut dictum est prius. Reliquæ etenim inter pueros, brutáque, & prauos contingunt. Vnde prouerbio dicitur, Æqualis æqualé delectat: &, Malus malo iucunde conuiuit. nam & praui nonnunquam se mutuo oblectant, non quatenus prauí, nec quatenus neutri, sed quatenus vel ambo (exempli gratia) strenui: vel hic quidé strenuus, ille vero parcus: quatenúsque bonum aliquod omnes habent, eatenus congruunt sibi. Vt præterea vtiles sibi etiam hos esse contingit, non quidem simpliciter, sed institutis. Sic etiam bono viro amicum malum esse contingit, nempe ad institutum aliquod vtilem: vt malus boni viri instituto, quale bonus habet, inseruiat. bonus intemperanti quidem ad illud quod habet institutum, malo autem ad id quod iuxta naturam existit. Valéntque bona simplicia quidem simpliciter, illi vero ex suppositione, nempe quatenus aut paupertati aut morbis conferi,

lidi; bonorum simpliciū causa: quemadmodū & pharmacum bibit, non enim bibere vult ipsum, sed huius mali pellendi gratia vult. Præterea amici hi esse possunt inuicem, qualiter & if sunt, qui boni non sunt. Iucundus enim esse possit, non quatenus malus, sed quatenus aliquid commune habeat vt si sit musicus. insuper quatenus vnū quiddā est omnibus, quod ferre possis: ideo quidem ad colloquiū apti boni habeantur, aut quatenus denique vnicuique congruant aliquid enim boni omnes habent. Tres igitur hę species amicitiæ sunt, & in his omnibus iuxta æqualitatem quodammodo amicitia appellatur. Nam & amici secūdum virtutem in æqualitate quadam virtutis sibi inuicem amici sunt.

De amicitia secundum excessum.

CAP. V.

ALia porrò in his differentia secundum excessum: velut est Dei erga hominem virtus (id enim aliud amicitiæ genus est) & in vniuersum velut principis erga subditum, quemadmodum & iustum aliud est. proportione enim æquale, numero vero minime. quo in genere sunt pater erga filium, & beneficus erga beneficia passum. In iis vero ipsis discrimina quædam elucent, quando alia est patris erga filium ratio, & viri erga vxorem: hæc quidem vt principis erga subditum, illa vero vt benefici erga beneficia passum. In iis aut prorsus non, aut certe non similiter redamare contingit. Ridiculum enim fuerit, si quis Deo exprobret, si non pro eo ac ab hominibus amatur, vicissim ipse diligat: aut principi, quod non æqualem amorem subditis præstet. Imperanti enim vt amet non vt amet, aut certe alio pacto conuenit. Verum obiectatione nihil est discriminis, siue vt in opulente erga facultates domesticas, & soboles suas, vel vt egens erga id quo potitur. Quocirca similiter se habet in amicis qui ob vtilitatem, & qui ob delectationem concilliantur. Nam hi quidem iuxta æqualitatem, illi vero iuxta excessum amici sunt. proin quemadmodū illi expostulant, si non ex æquo vtiles sint, ac beneficiis respondeant: sic hi etiam ob delectationem. quod in amatoriis vsu venit, vbi pereæpe ex ciuimodi causis rixæ suboriuntur, ignorare me scilicet eo qui amat, rationem esse diuersam in iis quæ animi promptitudinem spectant. quoc ieca contentionis causam amatus se eruminisse arbitratur. hæc (inquit) non diceret amans, ex eo scilicet, quòd rationem eandem esse existimat. Cùm igitur tres amicitiæ species sint, secundum virtutem, secundum vtilitatem, & secundum voluptatem, rursum hæ in duo distinguuntur. aliæ enim iuxta æqualitatem, aliæ iuxta excessum sunt: amicitiæ quidem vtræque amici vero iuxta æqualitatem tantum. Absolutum enim sit, amicum vocare virum puero, eo quòd amet & ametur. Nam etsi excellentem vicissim amare alicubi conueniat: si tamen redamet ipse, vt dedecus improperatur, vt qui amet indignum. nam dignitate quadam æqualitate q; ponderatur amicitia. Quædam igitur ex ætatis defectu, quædam vero ex virtutis, generis, aut alio quopiam, indigna æquali amore sunt. semper autem ab excellente, siue vtilitatem, siue iocunditatem, siue virtutem spectes, aut nullus, aut minor amor requiri debet. Verum in mediocribus excessibus merito controuer-

tur.

sia

sit oriuntur, paruum enim nonnunquam mihi me debet robore æstimari, veluti non ligni, sed auri vsus pondus præualet. Atqui paruum illud homines perperam iudicant, quibus domesticum bonum, magnum videtur, quia propinquum: alienum vero exiguum, quia remotum. cumque excessus interuenit, nec tamen quidem inquirunt, quo modo, ac an similiter redamari oporteat, perinde si quis amorem à Deo reposcat. Manifestum est igitur, amicos in æqualitate quadam consistere: redamare autem licere, vt amici non sint. Neque vero obscurum est, quia homines amicitiam iuxta excessum, ad quæ ad æqualitatem comparata est, antepenant: eo scilicet, quia & excellentia & amore potiuntur. quocirca nonnullis assentator amico gratior est. quippe qui vtrunque cui adulatur, videtur adstruere. ac sunt fere ambitiosi tales. nam in admiratione esse, excellentiæ cuiusdam speciem habet. Natura autem alij amatorij, alij vero ambitiosi nascuntur. Amatorius quidem, qui magis oblectatur amando, quàm dum amatur. Ambitiosus autem magis amari & in admiratione esse cupit, excellentiæ amicus: alter vero voluptatis, quam percipit amando. nam in actu necessario amans est. redamari autem per accidens contingit, & fatere potest amans autem non potest. Et est amicitiæ hoc peculiare, vt amare potius, quàm amari cupiant. amari vero iuxta id quod amabile facit, contingit. argumento est, quòd amicus, si non contingat vtrunque, cognoscere vult magis quàm cognosci: velut in excessibus summis faciunt fœminæ. vt Andromache Antiphontis, quæ cognosci velle videtur ipsius gratia, vtque bona

bono aliquo afficiatur, non afficiat: cognoscere vero, afficiendi amandiq; gratia. Quocirca in amorem etiam erga mortuos persistentes laudamus, quippe qui cognoscantur, non cognoscãtur. Plures igitur modos amicitiæ esse, & quot, tres nempe: item quòd amari & amici differant, qui iuxta æqualitatem & qui iuxta excessum amici sint inuicem, dictum est.

Quo pacto similium, quòve contrariorum dicatur esse amicitia.

CAP. VI.

QVia vero amicus etiam vniuersaliter dicitur, velut principio, adductis extratiis quibusdam opinionibus, ostendimus (nam alij simile, alij contrarium amicum pronunciant: dicendum etiam de his est, quo pacto hæc inter se erga expositas hactenus amicitias. Simile autem tam ad iucundum quàm bonum refertur: Bonum enim simplex est, malum vero multiplex. & bonus similis sibi semper, neque mores mutat: prauus autem & stultus sibi dispar est mane & vesperi. Quocirca nisi inter se pacisc antur mali, amici sibi inuicem non erunt, sed dissiliunt: quæ amicitia minime firma est. Quate eatenus simile amicum est, dum simile bonum sit. Interdum autem iuxta voluptatem consistit: similibus enim eadem iucunda sunt, & natura quodq; cuiq; iucundum est. Vnde & voces, & habitudines, & conuersationes cognatis inter se suauissimæ solent esse, cùm hominibus, tum cæteris animantibus. atq; hæc possunt etiã praui se inuicem diligere, & malus malo iucunde conuiuit. Contrarium autem contrario amicum, quemadmodum vtile. nam quod sibi simile, id

le, id inutile est. quapropter dominus seruo, & seruus domino inligei, & vt semináque inter sese mutuo, ac iucundum & desiderabile cõtrarium, vt vtile, non quá in fine, sed quá vt ad finẽ. Nam vbi consequutus est quod cõcupiebat, in fine quidem iam est, sed contrarium non cõcupiscit: veluti calidum, ipsum frigidum. Porro & contrarij boniq; amicitia quædam est: se inuicem enim per media desiderant, vt symbola, non vt ex ambobus vnum medium fiat. Per accidens autem contrarij desiderium est, per se autem mediocritatis. neq; enim se inuicem, sed medium concupiscent cõtraria. nimium enim algentes, ad medium reducuntur cùm exhalent, & calentes cùm frigefiunt. similiter & in reliquis. Sin vero non semper flagrauit cupiditas, non in medio erit, sed gaudebit natura iucundis citra cupiditatem in medio cõstitutus. Alij vero omnibus, quæ naturalem habitudinem egrediuntur, quæ species etiam inanimatis competit. Amare autem contingit, quando fuerit in animatis. quocirca nonnunquam dissimilibus gaudent, velut austeri facetis, irritabiles ad iram tardis, vt qui à se inuicem ad medium reducuntur. Per accidens igitur, velut ostensum est, contraria amica propter bonum sunt. Quot igitur species amicitiæ sunt, & quæ differentiæ, iuxta quas discernuntur amantes ac amati, & quæ sic vt amici absque illo vocentur, dictum est hactenus.

An quisquam sibi ipsi amicus esse queat.

CAP. VII.

VErùm an sibi quisquam ipsi esse amicus queat, vestigationem vberiorem requirit. Nonnullis enim videtur, sibi quisque amicus esse maxime: qui eodem vtentes canone, amicitias erga alios etiam iudicant. verùm secundum rationes, iuxtáque ea quæ amicitiã cõstituunt existere, partim repugnant, partim vero similia esse videntur. Quodammodo enim iuxta analogiam hæc amicitia est, simpliciter vero neq; quamuis eo quòd amari ac amare in diuersis duobus consistat, iuxta quæ magis hic sibi amicus est: velut in continente & incontinente dictum est, qui idem volens nolénsq. agit, quando partes aliquo ad se inuicẽ pacto habent. Ac rationem habent hæc omnia eandem, nam qui sibi amicus est, etiam inimicus sit, aut iniuria num se quispiam afficiat. Quæ omnia in duobus disiunctim considerantur. aut enim anima duplex quispiam est, aut hæc disiuncta non consistent: verum ab habitudine erga in seipsum pendent, velut etiam reliqui amandi modi determinati, iuxta quos rationes exquirere has solemus. videtur enim amicus esse, qui alicui vel vere bona, vel quæ arbitretur bona, alij euenire cupiat, non sui, sed alterius gratia.

* Alio vero modo, quo conuiuere optat ob ipsam cõuersationem tantum, non ob aliud quidpiam. veluti patres liberis quidem bona optant, sed aliis cõiungunt tamen quæ inter se inuicem omnia pugnant. ille enim si non quod sibi, hic autem si non quod est. Alij vero conuiuendi desiderium non ad amorem referunt. condolere quoque doloris, non ob aliud quidpiam nos dilectionem vocabimus. solent enim serui ita erga dominos condolere, qui ægrotantes plerunque sunt mœstiores, non ob ipsos quidem, & vero affectu, vel ut

velut matres solent liberis & aues nõnullæ vna cum enitentibus similiter dolore affligi. amicus enim non solum amico condolere vel maxime studet, sed simili etiam conturbatione affici, veluti simul cum sitiente sitire: alioquin enim non fuerit coniunctissimus. Eadem quoque ratio gaudendo: amicitiæ enim est, non ob aliud quidpiam, sed ipsum tantum gaudere. Præterea eiusmodi de amicitia dicuntur, vt æqualitas quædam sit amor: nec vna tantum amicitia iungantur veri amici, sed cuncta hæc simul conferantur in vnum. bona enim cupit alteri verus amicus. Quemadmodum & nemo sibi ipsi ob aliud quidpiam benefacit, neque ob gratiam: neque indicat quod fecit, quatenus vnus est, nam qui amorem patefacit, non amare quidem, sed velle amare videtur. Itaq; & simul esse & conuiuere, congaudere, condolere, absque hoc mutuo ne viuere quidem posse, (vna enim anima sunt) sed commoti, vnius illius veræq; amicitiæ est. sic enim vnus ille habet, ac sibi in hunc modum conuiuit. Omniáq; hæc in bono conspirant, in prauo autem dissentiunt, velut in incontinente. vnde & aduersus aliquando ipse sibi existit. Quatenus vero quisque vnus est, indiuisibilis ac per omnia desiderabilis sibi æquales boni sunt, & secundum virtutem amicis: malus autem non vnus, sed multi, & die eadem varius, & importunus ipse sibi. Quamobrem recte cuiusque erga seipsum amicitia, ad bonã probatisq; amicitiam reducitur. quia enim sibi ipsi & similis est & commodus ac vnus insuperq; etiam amicus sibi est & desiderabilis, qualis est secundum naturam: contrà vero prauus. Porrò bonus sibi nihil exprobrat, incontinentia

instar nec posterior prioribus succenset, velut mutabiles: neque prior posteriori, velut leues vanique solent. Præterea qui simpliciter bonus est, quæritur vt ipse etiam sibi amicus existat, quemadmodum & dictum est supra, duo in esse complecti, quæ ad amicitiam mutuam propendant, quæ distungere sit impossibile. Quocirca in homine amicitia erga seipsum constare posse videtur, non etiam in reliquis animantibus. neq; enim equus sibi ipsi amicus est, neque pueri, donec electionem per ætatem consequantur. iam enim puer pro cupiditate è seipso dissentit. Cognatorum amicitiæ similis videtur ea quæ cuique est erga seipsum, quandoquidem neutram à se queas distinguere: & si maxime differant, cognati tamen illi sunt, ac vnus ille quoad viuerit. Quot igitur modis amare dicatur, quibúsque omnes amicitiæ ad vnam primam reducantur, ex dictis patet.

De benevolentia.

CAP. VIII.

PRoprium vero huius considerationis fuerit de concordia benevolentiáque disquirere: quæ aliis eadem, aliis vero absq; se mutuo non esse videntur. Est autem benevolentia cum amicitia neque prorsus idem, nec plane diuersum. nam amicitia tribus modis distincta, neque in ea quæ velle, neque ea quæ voluptatem spectat, consistit. siue enim vtilitatem volunt, non ob illam, sed ob se hanc cupiunt. Videtur autem benevolentia quemadmodum & amicitia, non benevolentias esse, sed eius cui is bene vult. si in iuncto amicitiam constituas, benevolentiam etiam inanimatis tribues. quapropter benevo-

lentia circa moralem amicitiam consistit. vo-
tùm beneuoli tantum est voluntas: amici vero
vt quod vult præstet etiam. Ac amicitiæ omnis
principium est beneuolentia, ac omnis quidem
amicus beneuolus: non contra, omnis benevo-
lus amicus. incipienti enim similis benevolus
est. vnde & amicitiæ principium, non amicitia
appellatur.

De concordia.

CAP. IX.

CAeterum & consentire amici videntur, &
consentientes inter se concordèque amici
esse. verum non circa omnia amica versatur
concordia, sed circa res concordibus propo-
tas, quæque ad conuictum mutuum conducu-
nec iuxta cogitationem cupiditatémque tantum
concupiscere enim contraria licet, veluti in in-
continente: hæc ipsa quoque sibi repugnant.
Neque oportet simul pro electionis, simul & cu-
piditatis instinctu constare concordiam: quippe
quæ bonorum est tantum, praui autem eadem
eligentes & appetentes ipsi sibi incommodant.
Videtur autem concordia, quemadmodum &
amicitia, non dici simpliciter, verum alia prima
quædam, & natura recta, qua mali concordes
esse nequeunt: alia qua etiam praui inter se
conspirant, quando pro electione sua cupidita-
tèque res succedunt quódque concupiscunt & eli-
gunt, eiusmodi sit oportet, quo potiri ambo
queant. Nam si eas res appetant, quæ nequeant
ambobus contingere, certamen orturi cum ea-
tra inter sese concordes non soleant contende-
re. Est autem concordia, eadem de principa-
subiectionéque electio & voluntas, non alte-

tius, sed publici boni gratia. quocirca amicitia
quædam ciuilis concordia est. De concordia
igitur beneuolentiáque hæc dicta sint.

Cur magis amantes benefactis affectentes, quàm affecti dicantur.

CAP. X.

DVbitatur autem, cur magis amantes di-
cantur, qui ipsos affectos, quàm qui affe-
ctos facientes reddant: cùm videatur con-
trarium iustum esse, quod crediderit quis ob
vtile quidpiam, & quia commodate ei contin-
git. alium enim iuuari, alium vero impendere
decet. Neque id tantum est, sed natura etiam
eligibilior est actio: rationémque prorsus ean-
dem habet opus & actio & qui beneficium ac-
cipit, opus est benefacientis, quocirca & in ani-
mantibus peculiare in generando, natósq; con-
seruando, studium est. Et magis parentes sobo-
lem suam diligunt, quàm diligantur vicissim
ipsi, & effusiore charitate hanc matres comple-
ctuntur, quàm patres, ac nati itidem magis ex se
genitos, quàm genitores amant: quia præstan-
tissima est actio. & matres effusius quàm patres
amant, quia magis suum opus esse liberos ar-
bitrantur: & quia opus difficultate definiunt,
magis vtiq; generando matet affligitur. De ami
citia igitur, quæ vnicuique est erga se, quæq; in
plurimus versatur, hoc pacto determinatum sit.

Amicitiam omnem in æqualitate quadam consistere: vbi de ciuilitatis speciebus quadam.

CAP. XI.

VIdetur autem iustum æquale quidpiam
esse, & amicitia in æqualitate quadã con-

sisteremisi frustra dicatur, amatoria est æqualitas. Porrò omnes ciuilitates iusti quædam species sunt:communicatio enim quædam est: & commune omne ex iusto conflatur. Quocirca hæc omnia amicitia, iusto, & communatione quis diiudicarit, ac discrimina quidem tenuia habet. Et quia similiter habet anima ad corpus, vt artifex ad instrumentum, & seruus ad dominum: horum quidem nulla communicatio est, quia duo non sunt, sed illud quidem vnum: & quod vnius, nullum: neque diuisibile vtrique bonum, sed amborum vnius, cuius gratia est. Corpus enim instrumentum est congenicum, & seruus domini velut particula & instrumentum separabile: instrumentum autem, velut seruum inanimatus. Reliquæ autem communationes sunt, aut particulæ communicationum ciuilitatis, velut contribulium est, & quæ vocatur gregiorum. præterea quæstuariæ respublicæ. Verum ciuitates omnes communicationibus quibusdam continentur, & rectæ & transgressoriæ. quemadmodum enim in harmonijs, sicut in ciuitatibus vsu venit. quæ in regia quidem, paternis est: in optimipotentia, velut viri & vxoris. simplici autem Repub. fratrum. excessus autem in his, tyrannis, paucipotentia, & plebe, & iusta quidem totidem sunt. Quemadmodum vero æquale aliud quidem numero est, aliud proportione, sic & iusti & amicitiæ communicationis species sunt. secundum numerum quidem, vt socialis amicitia: nam ipsa definitione terminatur. secundum proportionem vero optimipotentia, optima & regia. Neque enim idem prius ipsi, subditóque iustum est, sed secundum proportionem. Sic & amicitia similiter patri & filio, neque absimilis in communicationibus ratio. Amicitiæ autem sunt, naturalis, socialis, communicatiua, & quæ ciuilis appellatur. Et naturalis quidem multas species habet: alia quidem vt fratrum, alia vt patris & filiorum: illa iuxta proportionem, hæc vero secundum numerum. propinqua enim socialis est, in qua singuli dignitate participant. Ciuilis autem maxime ad vtilitatem comparata est. nam quia sibi per se non sufficiunt, conueniee videntur & cõiectus mutui gratia. sola autẽ ciuilis, & quæ in illa transgressio committitur, non solum vt amicitiæ sunt, sed vt amici iuxta eas inter sese communicant, aliæ vero iuxta excessum. Potissimum vero iustum in vtilium amicitia consistit, eo quòd hoc ipsum ciuile iustum existat. alio enim pacto ferra & ars simul conueniunt, non communis alicuius (nam vt organum & anima) sed vtentis gratia: contingitque vt eam industriam id instrumentum consequatur, quę ad eius iuste conueniat, vt cuius gratia existit: ac in terebro id ipsum dupliciter: præstantior enim actus est perforatio ipsa. & in hac quidem specie corpus & seruus, velut dictũ est prius. Quærere igitur quo pacto amico conuiuendum sit, ipsum est iustum quærere. Nam in vniuersum omne iustum ad amicum pertinet: iustum enim aliquibus & inter sese mutuo communicantibus iustum est, & amicus communis est, alius genere, alius vero vitæ ratione. Homo enim solus non solum ciuile, sed œconomicum animal est: & non vt cætera aliquando se alteri, aut vino, aut mulieri contingens, aliquando vero fugiens & latitans: sed communicabile animans homo est erga ea, quibus cum naturalis cognatio

tio illi intercedit. quocirca & communicatio & iustum quodpiam erit, etiam si vrbs non sit. nam & domus & amicitia quædam est. Serui equidem & domini, velut artis & instrumentorum animæ & corporis communicatio est, verùm nec amicitiæ neque iustitiæ sunt, sed proportionale quippiam: quemadmodum & calubre non iustum est, sed proportionale. Mulieris autem & viri amicitia, velut vtile quodpiam, & communicatio. patris vero & filij, velut Dei erga hominem, & benefici erga accipientem, & in vniuersum natura imperantis ad natura subiectum. fratrum autem ad se inuicem, maxime secundum æqualitatem est socialis. Neq; enim spurius huic est demonstratus. ambobus autem pater Iupiter vocatus est meus princeps. hæ enim à quærentibus æquale dicuntur. Quocirca in domo primum fons & principium amicitiæ ciuitatisque & iusti oritur.

In omni amicitia compensationem fieri debere.

CAP. XII.

QVia vero tres amicitiæ species numerantur, iuxta virtutem, iuxta vtilitatem, iuxtá que iocundum, singulæ hæ in duo distribuuntur: quandoquidem vnaquæque harum & secundum excessum, & secundum æqualitatem existit. Iustum autem circa has ex controuersijs paternum in eo quod est iuxta excessum, proportione quæritur, non simpliciter, sed excellenter conuertim proportionale erga inferiorem flagitat: sic quod ab inferiore fit, in idem tendimus ita inter se disponuntur hæc, velut imperans ad subditum. sin minus, numero æquale quæretur, quemadmodum & in reliquis communi

municationibus vsu venit, vbi interdum numero, interdum proportione æquale postulatur. Nam si æquale numero argentum illatum fuerit, ibi æquali numero distinguunt: sin vero numero non æquale fuerit, proportionale erit. Excellens vero contrarie conuertit proportionale, iuxtáq; diametrum iungit. Ac sic quidem videatur inferiori reddi excedens, & ministerium publicum fuerit amicitia & communicatio, quocirca aliquo alio æquare, & proportionale reddere conueniet, honore scilicet, qui & natura principi & Deo tribuitur à subiectis. Sed & lucrum æquare cum honore conuenit. Ac amicitia quidem ad æqualitatem constituta ciuilis est. ciuilis autem vtilitati destinata est, & quemadmodum vrbes, sic etiam ciues sibi inuicem amici existunt. Et eodem modo non cognoscuntur ab Athenienſibus. Megarenſes, ac ciues ipsi, nisi inuicem vtiles fuerint. verùm ex manu in manum hæc amicitia est. Porrò hic & præses est & subditus, non naturale nec regium, sed quod in parte consistit: neque eius gratia vt benefaciat Deus, sed vt æqualitas sit boni ac muneris honorarij. ad æqualitatem autem prorsus comparata esse vult ciuilis amicitia.

Vtilem amicitiam, aliam legalem, moralem aliam esse: eáque accensationes fieri.

CAP. XIII.

CÆterum vtilis amicitiæ duæ species sunt: alia enim legalis est, alia moralis. ac regia ciuilis in æqualitate & rem ipsam, quemadmodum ementes & vendentes. vnde dicitur, Metees viro amico. Quando igitur ex pacto conuenitur, ciuilis est legalisq; amicitia, verùm

cùm rem arbitrio committunt, ad moralem amicitiam accedit,& socialem.quocirca potissimum in hac amicitia expostulatio est, eo quòd præter naturam.reliquæ enim amicitiæ sunt,& quæ vtilitatem spectat,& quæ est secundum virtutem. Nonnulli vero vtraque complecti volunt,& quidem vtilitatis gratia consuetudinem cum alio habent.moralem autem faciunt vt moderati.proinde fidem habentes legitimam non faciunt.Nam inter tres istas vtilis illa expostulationes habet frequentiores.virtus enim accusationis expers est.suaues autem, habentes erogantésque conciliantur.vtiles autem non facile in gratiam redeunt, nisi legitime, atque vt socios decet inter sese congrediantur.Inter vtiles autem amicitias, legitima ipsa quoque criminatione vacat. pecunia enim de controuertit decidit legitima,qua & æquale mensuratur.Moralis autem voluntaria conuentio est. quocirca lex alibi ita conuenientibus posita est, quæ in contractibus voluntariis vtrum recte habeatur, non interponitur.bonis enim inter sese iustum nullum est.hi vero vt boni, etiam contrahentibus. Licet autem in hac amicitia vtrinque accusationes ancipites fieri,quonam pacto vtrinque vtantur, quando iuxta mores non legitime eadem habent.ac dubium quidem, vtrónam modo iustum iudicare conueniat, an respectu rei præstitæ, quanta sit & qualis, an accipientis. Contingit enim interdũ,quod inquit Theognis:

Tibi quidem Deus parum est, multa vero ingens.

Nam contrarium euenire potest, velut etiam in oratione ait:

Tibi quidem iustus sit,quod mihi mortem asferat.

Minc igitur accusationes petuntur.nam ille quidem

dem repetit officium, vt qui rem magnam præstiterit,cùm adesset egentiaut si quid aliud diceat,allatum quàtum quidem potuerit,sed quod illi expediebat.hic autem contra, quantum illi par fuisset,non quantum sibi commodasset: interdum vero transsumpta expostulatione conroserit, ille enim quantulum ipsi contigit, hic vero quàm magnum pro facultatibus præstiterit.velut si in periculo cõstitutus,ille drachmę pretio adiucus sit,hic quidem periculi,allus vero argenti magnitudinem reputabit, velut in retributione pecuniæ fieri solet: nam & hic de his controuertitur. nam alius vt tuus, hic vero vt in præsentiarum res est,nisi concilient, iudicandum arbitratur.Ciuilis igitur amicitia conuentionem & rem ipsam intuetur, moralis autem ad electionem respicit. quocirca iustũ hoc magis est & iustitia inter amicos vsurpata contentionis causa. Vnde honestior amicitia moralis, vtilis autem necessaria magis. Equidem nonnulli moralem amicitiam præseferunt: verum vbi quid aduersum experiuntur,declarant sese diuersos.nam quidam ex bonorum facultatumque copia, honestum persequuntur: quapropter & honestiori rei amicitia quædam est. Quocirca manifestum vt hęc distinguenda sint. Nam si morales amici sunt, ad electionem spectandum est,num æquale vel secus alteri sit ab altero postulandum: verùm si vtilitatis mutuæ gratia conueniunt,& ciuiles,quantum quisque commodatic, expenditur. Quod si hic quidem ex more,ille vero ex vtili statuat, non pulchrũ quidem,sed factu necessarium tamen,vt boni id constituamus. similiter & in altero: vt quia moralites quidem de rebus non iudicat, at nihil

simulat, in amicitia tamen contentus alter in talem amicum incidisse sit. Moralem igitur secundum electionem esse patet: quoniam essi magnis beneficiis acceptis vel ob facultatum penuriam non rependit, sed quantum potuit præstitit, rectè habet. Atque ita Deus pro facultatum modulo nostrarum sacrificia æstimat. verum ementi, ac mutuo ad vsuram danti, nisi amplius istinc prouenturum polliceare, non sufficeret. Vnde multæ accusationes in amicos oriuntur, nisi iustum illud puro iudicio prospiciatur. difficile enim est ad vnum quidem exquirere quæ non recta se inuicem spectant, velut inter amantes vsu venit. alius enim ob conuiuendi voluptatem complectitur aliumille vero ipsum propter vtilitatem. Verum quando is amor recessit alio superueniente aliquo, sit alius. ac non inter sese rationicinantur, velut Python & Parmenes altercabantur, & in vniuersum quæ præceptoris erga discipulum ratio est. Neque enim scientiam & facultates vno aliquo metiri conuenit. Ac velut Prodicus medicus erga meretrem maligne persoluentem & cithœrœdus & rex, hic enim vt iucundo, ille vero vt vtili emeretur. & quia persoluere beneficium opertet, iucundum seipsum exhibet, & ad hilaritatem prouocat, sic viciſſim ille alia promittit. Quo autem pacto hæc diiudicanda sint, etiam hinc manifestum fit. nam vtique hoc loco vno quopiam hæc mensuranda sunt, verum non nummo, sed ratione. proportio enim mensurandi est, quemadmodum & ciuilis communicatio solet. Nam quo pacto inter agricolã sutoremve communicatio constabit, nisi ex proportione æquetur opera. Nam qui non eodem respectu

ad inuicem agunt, mensuram habent proportionem, velut si hic quidem sapientiam, alter vero pro sapientia pecuniam à diuite postulet. Deinde vero quid datum sit considerandum erit. nam si alter ex aceruo minori partem dederit, ille vero ex maiore non multiplicem, inæquitia vtique afficit.

An bono virtutis præstandum sit beneficium.

CAP. XIIII.

Accurrit quidem hoc loco prima controuersia: an ve viles conuenire seipsos affirmandum sit, ille vero minime, sed iuxta aliam quampiam amicitiam. Porro discutiendum, an bono iuxta virtutem amico præstandum sit beneficium & auxilium, an retribuenti facultatibusque instructo. Quod idem problema est prorsus, an amico potius quàm viro bono sit benefaciendum. Et siquidem amicus idem etiam vir bonus fuerit, non sit difficile iudicatu. nisi forsasse quis alterum amplificet, alterum vero imminuat, amicitiæ vehementiam tribuens, bonitati vero mediocritatem. sin secus fuerit, nulæ quæstiones oriuntur. Velut si hic quidem erat, non erit autem: ille autem erit, sed non erat, non erit autem: ille autem erit, sed non erat. vel hic quidem factus est, non est tamen. vel est, non erat, neque erit: verum illud labefactari fuerit. Quocirca nihil dicit Euripides, scilicet, rationem rectam adferri, vbi merces rationis inferatur, opera illis operum vice præbeat. Nec omnia patri conueniunt, sed & matri aliis quamlibet sit præstantior pater. Neq; enim bona sacrificantur omnia, neque omnes honores, sed quosdã admittit. Forasse igitur sunt, quæ virtuti præstare oporteat, alia rursum quæ bono:

nempe cui nō alimentum & necessaria propria competant. consuere enim illi oportet. Et quoniam viuere recte decet, ei præstanda non quæ ipse, sed vtilis largiatur, verūm qui id faciendi præter quàm decet, omni amaro idem præstantior. Neque iusiæ sunt, quæ in orationibus amicitiæ definitiones cōstituuntur. etsi enim omnes amicitiam exprimant, non tamen eandem determinant. vtili enim cōpetit velle alteri bona, & benefacienti. Nec tamen hæc amicitiæ definitio id vere exprimit, sed alij esse, alij vero conuiuere assignatur. ei vero qui voluptuarius amicus est, communis dolor. communisq; lætitia tribuitur. Atque omnes quidem hæ definitiones amicitiæ quandam ostendunt, nulla vero propriè vnam exprimit. Nec singulæ singulis amicitiis congruunt, etiam si videantur, velut electio est exhibendi, quæ & ei quidem secundum excessum faciendi competit, qui suo operi id intexuere vult, ac eroganti vtique conuenit, & vt sit, & ei retribuat, verum non huic, sed iucundo conuenire decet. Nōnulli autem amici sese inuicem iniuria afficiunt. res enim magn. sed non habentem amant, quocirca & illis amici, vt cur voluptuarius vinū suscipit? & quia vtilitati desinit esse vtilitas. vtiliores enim, ideirco molestè ferendum est, ac si minus pro maiori susceperit, hoc autem obiiciunt. illud enim nunc quærunt bonum, iocundum prius aut vtile quærentes.

An filij omnibus sufficient, amico indigeat de amicorū numero: & vtrū sui amatum abesse velit.

CAP. XV.

COnsiderandum autem est de sufficientia amicitiæq; conditione, quo pacto habeant ad

ad sese inuicem ipsarum facultates. Quærat enim forte quispiam, num per omnia sufficienti amico sit cuiuscunque vir bonus sufficiētissimus, & vna cū virtute beatus, quid habeat opus amico. neq; enim vel vtilibus, vel prouidis, vel alieno consortio sufficiens opus habet, quippe qui abunde sibi ipsi coniuere, adesseq; posset. Veluti Deus, qui cùm nulla re egeat, nec amico etiam opus habet, quocirca & homo beatissimus minime omnium eget amico, nisi quatenus impossibile est ex sese sibi sufficientem esse. Vnde necessum est optime viuēti amicos paucissimos esse, neq; comparandis amicis operam illum dare. sed negligere non vtiles tantum, sed ad mutuum conuictum etiam suaues. Atque hinc sane perspicuum euadit, nec vsus, nec vtilitatis gratia, sed propter virtutem tantum verum amicum esse. Etsi cùm re nulla egemus, tum magis omnes, suis etiam bonis fruituros, magisque in quos conferant, quàm à quibus accipiant beneficia quærunt. Et accuratiore iudicio pollemus, rerum copia affluentes quàm egeni, magisque tamen amicos conuictui idoneos requirimus. De hac autem quæstione considerandum est, vtrum aliud quidem rectè dicatur, aliud vero lateat propter parabolam. Manifestum equidem id quidem, sumentibus quid viuere actu sit, atque vtinam, patet enim id esse sentire & cognoscere, quocirca & conuiuere est simul sentire & cognoscere. Verùm idem sentire & cognoscere cuique maximè expetitur, ob congenitam omnibus viuendi cupiditatem, ac viuere ipsum cognitionem quandam disponit. Verùm si quis derahat hæc, & cognitionem constituat ipsam per se & non per se, id equidem latebit, velut in

oratio

oratione scriptum est, re ipsa tamen licet non latere) nihil referat, si alium pro seipso cognoscat. Sed quod simile viuere alium pro seipso diuersum est, rationabile autem est, suum cognoscere & sentire eligibilius esse, quocirca cognoscere & sentire eligibilia esse, quocirca cognoscere hæc duo in oratione oportet, viuere & eligibile, quod bonum ex his constat, quando id inest eadem natura participantibus. Quoniam igitur in eiusmodi serie, altera semper in altero ordine continetur, & cognoscibile vitæ eligibile est, & vt in summa communicatio determinatæ naturæ, quocirca idem velle sentire est eundem talem quendam esse velle. Et quoniam non secundum nos ipsos horum vnumquodque sumus, sed participatione facultatem sentiendo cognoscendóque sentiens enim sensibilis redditur, vt iuxta hoc, vt secundum quid sentit qua & cuius, & cognoscibilis redditur cognoscens) eodem pacto & viuere semper volumus ob iuge cognoscendi desiderium, hoc ob quia & ipse cognoscibile quippiam esse cupit electionem esse cupit, electionem autem coniectus stultum forte quispiam iudicarit. In congressibus primum etiam animalium cæterorum vt simul edere, simul bibere. quid enim aut in communi, aut sensim sermonem conferre differre? deinde etiam sermone communicare, cuiuslibet est. Adde quòd qui amicos idoneus est discere videri non vult. Docentis enim amicitia non est, quando similitudo quædam est amicitia, sed videtur tamen, equidem suauis bonus omnes cum amicis communicamus, quandoquidem scilicet quódque suauitatis adiicit, & qua præstantissima quisque potest. Ex his autem alia voluptatem corporalem, alia musicam, alia phy-

cam contemplationem habent. Audacia porrò congrediendi amicos decet. Vnde quidã inquit, Labor, sane procul amici, quocirca voluptate alia non diiunctos esse oportuit. Vnde amor maxime, vt videtur, amicitiæ similis. bene enim viuere amor cupit, non equidem quàm oportuit potissimum, sed iuxta sensus. ratio ergo illa dubitando proserpsum autem opus sic constitisse viderunt. Vnde patet hæc ambigentem nobis imponere. Veritas autem hinc consideratur, amicus enim esse vult, vt prouerbium habet, *alter Hercules. & alter ipse.* Atqui diuulsus est dissicileque quæ ab vno discesserũt, vnum esse. Atqui iuxta naturam quidã, quæ cognitissima est, similis est, iuxta corpus vero diuersus, ac etiã iuxta animam diuersus est. iuxtáque partes animæ diuersus nihilominus idẽ individuúsque amicus esse vult. Itaque amicũ sentire, scriptum quodammodo sentire necessario est, cognoscereque, ac si quid molestum amico incidit, in eo collætari ac conuiuere amico sine dubio iocundum est. accidit enim, vt illius sensus aliquis nobis simul ingeratur, præsertim si qua diuina voluptas est. Causa vero huius est, quòd suauius est semper in meliore bono sese contemplari. Hoc autem nunc quidem affectus, nunc vero negotium, nunc aliquid aliud est, in quo bene viuere & amico sit possibile. Conuiuere igitur oportere, sique maxime velle omnes, tum beatissimũ optimámque potissimum talem esse. Verùm quod ex ratione id non euenerit, & rationabiliter id consecutum in, re vere dictis, vtputa compositione collationis, in promptu solutio est, quòd eiusmodi Deus non sit, vt amico egeat, aut similem requirat, & ideo reputabit pari ratione vir bonus. Neq; enim

in hunc

in hunc modum Deus habet, vt qui pro sua excellentia nihil præter seipsum cogitat, nobis autem bonum aliunde euenit, vnde & necessium habemus multos amicos conquirere, cùm ipse sibi bonum sit. Simul autem amicum esse nullum, vti multi amici, recte vtrunque affirmantur. Quia enim multis conuiuere licet, simul etiam sentire nobiscum quàm plurimos vtique grauissimum sit. Rursum, quia difficile in pauciores bus, necessum est actu in mutua sensatione consistere, quare non solum multos comparare aduum est, sed etiam comparatis vti. Et interdum quidem abesse amatum volumus prospere degere: interdum vero participare illisdem simul cum eo, quod amicum gratum ; esse cupimus. Nam cum bonum obuenit, eo vtiq; omnes participare volunt, non obueniente autem secus. Et quemadmodum Herculé mater potius Deû esse volebat, quàm vna cum ipsa manentis Euryſtheo mercenariâ operam locare. Sic enim dicerat, & quem Lacon Dicterio irrisit. Vocasse tem forte, dum tempestate affligeretur, iubens Castorem & Pollucem implorare. Videtur enim amantis esse, à molestorum participatione abere, alterius autem simul eadé sustinere velle, quocirca vtraque rationabiliter eueniunt. nihil enim decet amico tam acerbum iudicari, vt nõ teneat priorem iucunditate amicum. Videtur tamen non malum ipsius expetendum, quando satis est ipsos affligi, vnde & participationé eius modi vetant, sed ne videãtur sua spectare, sed amici perturbatione lætitiam affectare. Sed & leuius mala tolerantur, cùm non soli seruire. Et quia eligibile est, & vt bonum nobis contingat, & vt simul potiatur amicus, patet quòd simul in

maiore bono versari quodãmodo eligibile sit, aut cum maiore seorsim. Et quia incertum est quantum, iuxta simul illud distinguuntur, ac simul quidem omnibus participatione amicum est, quemadmodum & simul conuiuari iucundum aiunt hæc habentes, alij autem contra non volunt. Quoniam hyperbolas quis probauerit consentientibus, in perturbatione magna simul communicandum: in successu autem magno seorsim agendõ. Similiter etiam circa infortunia. Succedũ enim amicos præsto esse volumus, neq; dolere, quando scilicet nihil sint nobis amplius effecturi. Interdum vero iucundissimum præsto esse, id quod ob prædicta contingit, quando quidem natura afflictũ, & in mala habitudine constitutum videre, non minus quàm in nobis ipsis refugimus: gaudentem autem iucundúmque & non dolentem amicum, velut rem multo suauissimam intuemur propter causam prædictam. Quocirca vtrumlibet horũ fuerit magis suaue, adesse vel non adesse propensionem reddit sdq. in deterioribus ex eadem causã. Maxime enim capiunt amicos nõ felices esse, sed & nec in aduersis cruciari, quocirca nonnunquam simul quos amant interimũt. Maius enim id est quàm si propsium sentiatur malum: quemadmodũ & secordantes in quo successu vixerint, magis quàm si perpetuo se male habiturũ arbitretur.

Non potis amico utendum. Et virtutes non esse fruentias.

CAP. XVI.

DVbitarit autem quis, an amico quolibet, & ad quæcunque idoneus est, & aliter etiam, vti liceat, vt oculo ad videndum, aut eo distorto

peruerse,ac vt vnum duo esse appareat intueri. Ambo igitur illa,& oculus & quòd oculi est rectiuera & per se sunt,alterum vero per accidens, quemadmodũ & in cibo esus & vomitio similiter & in scientia veritas & error. Nam qui volens non recte scribit,ignorantia vti solet,veluti qui conuersis membrorum officiis pedibus manuum,& manibus(quod solent salcatriculæ) gedum vice vtuntur,quæ ratio omniũ etiam præstantissima est scientiarum, atque ita iustitiam vt iniustitia licet vsurpare, velut qui ex iustitia iniusta agit,perinde vt qui imperita & stolida ex scientia. Verùm si id impossibile,manifestum est virtutes non esse scientias:quando non licet ex scientia ignorare,sed errare tantum, eaíque ex ignorantia facere,nec minus tamen ex iustitia & iniustitia quippiam agit. Sed enim quãdo prudentia scientia est,& verum quippiam idem faciet ea.liceat enim studiosa prudentiæ desipere in iisdem, quibus & stolidus. Verùm si simplex cuiusque quatenus quidque est,vsus fuerit, etiam ita agentes fecerint sapienter. In cæteris igitur scientiis alia quædam princeps est, quæ alimenta ministrat, Et principis rursum illius alia quædam,nõ tamen scientia vel intellectus. Sed nec virtus,vt qua vtitur,quando temperantis virtus etiam subditi virtutem sibi vsurpat. Quid igitur est,an vt intemperantia, vitium irrationalis animæ partis, & quõnam pacto intemperans mẽte præditus fuerit. Verùm præualens euertit mentem,ratiocinatúrq; contrarias

† Et si virtus quidem in illo,ratione vero ignorantia resideat, vbi reliquæ iam vendicantur: sic etiam licet iustitia, iuste quoque maléque & prudentia stulte abuti, vnde

contraria eueniant. Absurdum enim si quod in rationali parte vitium insidens, euersa ratione ignorantiam inducat. Virtus autem inexistentẽ in ratione stultitiam non euertit hanc,rectúmq; de rebus iudicium formar. Rursum autem prudentia rationalem partem occupans,ex irrationali intemperantia sublata,moderatas actiones efficit,id quòd continentiæ videtur proprium. Itaque licet ab ignorantia prudenter, aliterq; à prudentia imprudenter rebus vti, quod in cæterarũ nulla euenire cernimus. Velut cùm medicinam & grammaticam nutrit intẽperantia.

† Iniustus enim omnia quæ & iustus potest,& in vniuersum potẽtiæ ineſt imporentia. Quocirca simul prudẽtes,& bonæ eorum etiam cęteræ habitudines,& corpus firmũ, quidõ nihil sortius prudentia est. Verum quòd scientiam dixit,non recte habet.virtus enim est, & non scientia,sed genus diuersum.

An fortunatus,infortunatúsve quis natura sit.

CAP. XVII.

QVoniam vero non prudentia solum successum virtutẽmque efficit, sed fortunatos etiam bene agere,tanquã fortuna secunda prosperos gignente successus,affirmamus,quæ eadẽ etiam scientiæ sunt. Considerandum igitur naturane fortunatus hic, infortunatus ille sit, an secus,& quo pacto res habeat. Fortunatos enim quosdam esse cernimus, stulti enim in multis, quorum scilicet fortuna domina est, prospere agunt, quandoquidem & quæ arte administrantur,fortunam admittant,in militia & gubernatoria. Verũ igitur ab habitudine aliqua successibus eiusmodi conficiendis,aut non idonei ho-

mines fiunt? Nunc equidem naturæ id quidem assignant, in quibusdam quæ tales quosdã efficit, quibus & à natiuitate statim, tale quippiam ingignit, vt velut cæsiis nigrisque oculis, cerea aliqua forma inter se distinguuntur: sic fortunati & infortunati. Tales enim non per prudentiam prospere agere inde manifestum est, quia non irrationalis prudentia est, sed ratione perdita, qua res administrat, eam sibi adscribere illi nequeunt, quippe quòd horum fortuna causã existat, vtcunque etiam pateat, circa alios stupidos non esse. neque enim id absurdum, quemadmodum Hippocratem, cùm Geometer esset præstantissimus, in cæteris tamen imperiti stupidúmque fuisse cõstat, qui pecuniæ plurimum amisit, ob stultitiam Byzantij πεπληγότος λόγου. Sed & in nonnullis prospere agunt stolidi. Et non raro, velut in arte nauium gubernatricis peritissimi etiam parum secundã fortunam experiũtur: ac velut in aleæ iactu, alius nihil, alius multum lucratur: quam felicitatem vel naturæ beneficio accepit, vel, vt inquiunt, benevolentia Dei, qua etiam in exilio & electus benignitatem fortunæ experitur, non secus ac male compacta nauis rectius sæpe agitur, non per se quidem, sed quia peritum gubernatorem nacta. sic enim fortunatus ille genium optimũ gubernatorem habet. Sed enim absurdũ est, talem à Deo genióve diligi, non præstantissimum potius sapientissimúmque. Quapropter si necessum est, aut natura, aut intellectu aut procreatione diuina fortunam secundam contingere, & neutro posteriorum eueniat, naturæ itaq; ea prosperitas fuerit assignanda. Verùm natura, vel rerum semper sic se, vel vt plurimum habentium causa est contra autem fortuna. Si igitur quòd præter rationem euenit, fortunæ esse videtur, pérq; fortunam homines fortunati dicuntur, nõ equidem natura causa fuerit, vt quæ velut dictum, semper aut vt plurimum, sic se habentibus adscribitur. Aut insuper talis vel voto potitur vel frustratur, quémadmodũ cæsius cui nõ fortuna, sed natura quo minus cernat acute, causa existit, quocirca non fortunatus, sed bona natura præditus dicitur, quocirca sic de his dicendum est, vt quos fortunatos dicimus, nõ fortunæ beneficio id esse asseramus. vnde nec fortunati etiam sunt: fortunæ nanq; bona sunt, quorum ipsa est causa. Sic rursum quæritur, an fortuna sit in vniuersum aliqua: vel eùm sit, an nõ sit, etiam vnde. Atqui necessium est & esse fortunam, & causam esse. vnde & bonorũ quorundã & malorum causa fuerit. Etenim si excipienda hæc sint, & nihil assignandum fortunæ, sed alij cuipiam causæ, nõ tamen quare hanc non cernimus, fortunã causam esse affirmamus. Quocirca definientes fortunã, causam proportionalem hominis ratiocinationi constituunt, tãquam sit quædam natura. Verum hæc iam alia quæstio fuerit: quandoquidé quos cernimus semel prospera vsos fortuna, quare ij non rursus, & rursum? eadem enim eius causa. Non igitur est fortunæ, neq; aliud etiam quippiam indeterminatorum infinitorúmq; contingat. erit enim bonum & malum. Scientia vero non erit eius per imperitiam, quãdo & quidam fortunati dixerunt aut omnes scientiæ (quod Socrates dixit) scientiæ sint. Quid igitur vetat, quoniamus cuidam ex ordine, non quòd oportet, contingat, sed velut sortes procul sint iacendæ? Quid enim autẽ num impetus in anima

non sunt, atqui alij à ratione, alij à cupiditate (qui & priores) proficiscuntur: siquidem naturalis est per cupiditatem iucundæ rei appetitus, ac natura omnia ad bonum festinant. Quòd si quidam bene nati sunt, & velut cautionis imperiti, & citra rationem ferantur, vt dictat natura, ac concupiscant, quod, quando, & quo pacto oportuit, prosperéque agunt, & consequantur stolidi, prætérque rationem, eadem quæ harum rerum præceptores, tales vtique fortunati censendi sunt, quotquot scilicet præter rationem plurimum prospere agunt. Natura igitur quidã fortunati sunt, siquidem multifariã dicatur secunda fortuna. alia enim ex impetu, & prælectione fiunt, alia vero secus, & prorsus cõtrarium. nam & male ratiocinari videntur bene agêtes, & secunda tamen fortuna vsos cõsitemur, ac rursus quidem in illis cùm voluerint, at minus bonam acceperint. & licet quidem istis per naturã prosperitatem consequantur. nam impetus animi cupiditásque, quo oportebat delata successu est vsi: ratiocinatio autẽ stulta, quam fortuna dum prospere afflat, ex iis quorum causa existit, non rectam expellit, interdum vero per cupiditatem quis male ratiocinatus aduersam experitur est. in cæteris autem quo pacto iuxta appetitus cupiditatísq; ingenuitatem successus erit? Verum hic successus & fortuna duplex, quæ istic eadẽ, vel plures prosperitates. Quia vero præter omnes ratiocinationes rectas, scientiásq; quosdam fortuna secunda affluentes videmus, manifestũ est aliam quãpiam successus causam esse, prior autem ista prosperitas, aut nõ est, aut quæ oportuit concupiuit: cúmque ratiocinatio humana defit, non fuerit ipsius. neque enim prorsus rationis expers, nec naturalis est cupiditas, sed ab aliquo corrumpitur. Secunda igitur fortuna in iis, vbi præter rationem ipsa causa existit, locũ habet. id vero improuisum. nam præter scientiam prætéreq; vniuersale, nec tamen à fortuna profectum videtur, verùm propter hoc videtur. Quocirca hæc quidem ratio non probatur, naturale esse vti secunda fortuna: sed potius quòd non omnes, quibus secunda fortuna videtur affluere, id ex fortuna, sed ex natura habeant. neque nullius esse causam fortunam demonstrat, sed non omnium quorum existimatur.

An fortuna causa sit, vt concupiscamus, & quid sit motus in anima principium.

CAP. XVIII.

QVæret forsan quispiam, an fortuna eius ipsius causa sit, vt quid & quando oporteat concupiscatur. An sic omnium erit: nam & cognoscendi consultandique. Neque enim consultans consultauit, & hoc consultauit, sed principium est quoddam: neque cogitans cogitauit id prius cogitare, atque in infinitum eiusmodi fiat progressio. neque igitur consulendi iunctum principium, neque consultandi consilium. Quid igitur aliud nisi fortuna? quocirca à fortuna omnia proficiscuntur, & quoddã est principium, extra quod aliud nullũ reperiatur. Ipsa autẽ (quæritur) cuiusmodi facultate instructa efficere eiusmodi queat. quod perquàm difficile est, ac si principium motus in anima quid sit inquiratur. Patet autem, sic esse, quemadmodum in vniuerso est Deus, & vicissim cuncta ab illo: mouentur enim omnia ab inexistente in nobis numine. Rationis autem non ratio,

sed præstantius quidpiam est principium. Quid autem scientia præstantius est, nisi Deus? virtus enim organum intellectus est. Quocirca veteres dixerunt felices ex fortuna, qui irrationabiles ad recte agendum impellerentur, nec velle ipsis confert: principium enim habét & intellectu & voluntate præstantius. Alij vero rationem habent, illud vero non habent, quales sunt furores animi. hoc enim non possunt hinquippe qui sine ratione feruntur. Iraq; horum qui prudentes sapientésq; sunt, celeris est vaticinatio & durabilis, qui non à ratione profectam esse suspicari debemus, sed alij experimento, alij consuetudine, speculando vruntur. item hi, quorum est ratio soluta. Itaque & melancholici recta valde subitáq; insomnia habent. Patet autē, quòd species felicitatis duæ sunt. altera diuina, ideóque qui felix est, numine aduitum aliquid fecisse dicunt: is autem est, qui aliquid iuxta impetum diuinum facit: alter est, qui aliquid præter hunc impetum facit. Irrationales vero ambo: ac illa frequens magis felicitas est, ista frequēs minus. Sigillatim igitur de vnaquaque virtute determinatum est prius.

De probitate: & quis sit animæ præstantissimus terminus.

CAP. XIX.

QVia vero seorsim ipsarum vim distinximus, etiam de virtute, quam probitatem vocamus, dicēdum erit. Singulas igitur habere reliquas, qui huius appellationē sit consecutus, necessum esse patet. nam neq; in cæteris aliter id veniat vsu. Nec enim toto corpore sanum sit, parte autem nulla: sed necessum aut omnes aut certe præstantissimas recte habere. Non dissimilis etiam in toto ratio. Bono enim esse ac honesto simul & bono licet, non ipsius solùm nominibus, sed rerum ipsarum differentia participanti. Omnium enim bonorum sunt ipsi per se sinq; gratia eligibiles: & inter hos honesta quoque, quæ per seipsa omnia laudabilia sunt. Vt enim ipsa, ita actiones ab ipsis profectæ laudari solent. actiones enim & modesti ipsáq; modestia celebrantur: non etiam sanitas laudabilis, nā nec opus eius: quando nec quod fortiter sit laudabile est, tametsi bona hæc confiteamur. Similiter autem id etiam in cæteris per inductionē manifestum est. Bonus enim est, qui natura bonis egregie sit instructus: præstantissima enim omniáq; sui desiderio excitantia bona sunt. Honor, diuitiæ, corporis virtus, facultates, natura quidem sunt bonased noxia nonnullis ob habitum corruptionem. Neq; enim vel stultus, vel iniustus, vel intemperans aliquid ex eorum possessione commodum refert: quemadmodum nec æger ex sani hominis alimento, neq; infirmus mutilúsve, ex sani integríq; hominis ornatu. Honestus autem bonúsque dicitur, & ex eo, quòd honesta bona per se ipsa insunt illi: & eo quòd bonorum, idq; ipsorum gratia effectivus existat, honesta autem sunt virtutes, operáq; ab ipsis profecta. Sed & habitudo quædam ciuilis est, qualem & Lacones habent, & alij simili ingenio haberent, ita comparata. Sunt enim qui virtutem non esse sequendam putent, nisi natura bonorum gratia. quocirca viri boni sunt, quòd iis natura bona existāt. Verum istam probitatem non sunt nacti. neq; enim honesta per se illis sunt, sed boni honestiq; esse eligunt. neq;

id tantum,sed & quæ non honesta natura:bona tamen natura honestorum loco illis habentur. Honesta enim sunt, cùm eius gratia faciunt eligúntq; honestà:vel quòd honesto bonóq; natura bona,honesta sunt. Honestum enim iustum est, id vero secundum dignitatem censetur: hic autem iis vtiq; dignum existit.sed & decens honestum. decentia autem illum sunt,nobilitas,diuitiæ, potentiæ. quocirca honesto bonóque ea quoq; honesta vtilia sunt, quæ in aliis dicon-ueniunt:neque enim simpliciter bona eis bona sunt. bono autem honesta bonáque:quippe qui multas honestas actiones per ea conficiat. Verum qui virtutes æternarum rerum gratia complectendas arbitratur, per accidens honesta facit:quocirca virtus perfecta est probitas. Potrò de voluptate dictum est,qualis & quo pacto bonum quod alia simpliciter iucunda sint honestáq;,alia vero simpliciter bona iucundáque:neq; voluptas nisi in actione nascitur.quocirca simpliciter beatus iucundissime viuit:neq; id temere homines arbitrantur. Quoniam autem est quidam medico terminus,ad quem referens sanum corpus iudicat, & cuius respectu aliquousque progrediendo sanum sit efficiendum corpus,non etiam si plus sit minúsve:sic & viro bono circa actionem electionémq; natura bonorum non laudabilium tamen, terminum quendam & de habitudine,& de electione ac fuga,vel pecuniarum vel copiæ diuitiarum, déque successibus constituere oportuit. In prioribus quidem ostensum est,vt ratio dictat:quod idem est,ac si quis dicat se alimento sumendo omnia obseruare, vt medicina ac ratio dictat.quod verum quidé, sed parum manifestum est. Oportuit igitur ita

ea quod imperat, iuxtáq; habitudinẽ & actionem imperantis vitam instituere: velut seruus iuxta Domini,singuláque iuxta conuenientem suum principatum. Quando quidé & homo ex imperante subditóq; cõstituitur,ac vnumquodque nec essium habet ad principis sui mores accommodare. is autem duplex est, aliter enim medicina:aliter sanitas imperat,& huic illa deseruit.sic & in cõtemplatiuo principatus habet.Neq; enim iubendo Deus imperat,sed cuius gratia prudentia est. quod vero alicuius gratia iubet, in aliis determinatum est, quoniam ille nullo eget. Quæ igitur electio possessióq; natura bonorum vel corporis,vel amicorum, vel reliquorum, considerare maxime Deum facit, præstantissima est,atq; hic terminus est pulcherrimus:quæ vero vel ob defectum, vel ob excessum considerare coleréq. Deum permittit minime,ea est pessima. Atq; sic quidem res habet animæ: & is terminus eius præstantissimus est, minimúsq;, inquam, alteram irrationalémq; animæ partem sentire,quatenus talis est. Quis igitur probitatis terminus, sit, & quis simpliciter bonorum scopus,hunc in modum sit dictum.

Librorum Septem Moralium Eudemiorum finis.

Subsequentem de virtutibus libellum,cum sub Aristotelis nomine legatur (essi forte ab alio autore editus fuerit) & ipsum alijs subnectendũ esse censuimus.

ARIST

ARISTOTELIS DE VIRTVTIBVS LIBELLVS,

Alexandro Chamillardo interprete.

Quæ sint laudabilia, quæ ve vituperabilia: & cuius animæ partis, singula sint virtutes.



Audabilia quidem sunt honesta: vituperabilia vero turpia. Et quidem in bonestis principem locum obtinét virtutes, in turpibus autem vitia. Laudabilia però sunt, & causæ virtutum, & quæ virtutes consequuntur, & quæ exoriuntur ab iis, & opera ipsarum: vituperabilia vero, contraria. Cùm autem anima secundũ Platonem in tres distribuatur partes: rationalis quidem, virtus est prudentia: animosæ autem, mansuetudo, & fortitudo: cupidæ vero, temperantia & continentia: totius autem animæ, iustitia, liberalitas, & animi magnitudo. Vitium vero est, rationalis quidem, imprudentia: animosæ vero, iracundia, & ignauia: cupidæ autem, intemperantia & incontinentia: totius vero animæ, iniustitia, illiberalitas, & animi prauitas.

Quid

Quid sit vnaquæque virtus.

Prudentia.

Est autem prudentia virtus animæ rationalis, ea præparans quæ ad felicitatẽ spectant.

Mansuetudo.

Mansuetudo vero est virtus animosę, qua qui prædicti sunt, difficulter ira concitantur.

Fortitudo.

Fortitudo autem virtus est animosæ, per quã non facile mortis metu percelluntur.

Temperantia.

Temperantia vero est virtus appetentis, per quam à malarum voluptatum appetentia reddũtur alieni.

Continentia.

Continentia autem virtus est cupidæ, qua cupiditatem, quæ in malas ferũt voluptates, ratione inhibent.

Iustitia.

Iustitia vero est virtus animæ, eius distributiua, quod quisque meruit.

Liberalitas.

Liberalitas autem est virtus animę, honestorum sumptuum ministra.

Magnanimitas.

Magnanimitas autem est virtus animæ, per quam ferre possunt vtranque fortunam, honorem, & ignominiam.

Quid sit vnumquodque vitium.

Imprudentia.

Imprudentia vero est vitium rationalis, male viuendi causa.

Iracun-

Iracundia.

Iracundia autem vitiũ est animosæ, per quod fiunt ad iram præcipites.

Ignauia.

Ignauia autem vitium est animosæ, per quod periculis, & maxime mortis consternantur.

Intemperantia.

Intemperantia autem vitium est appetentiæ per quod amplectantur malas voluptates.

De incontinentia quidem nihil: sic autem tu potes definire.

Incontinentia.

Incontinentia vero vitium est cupidæ, per quod stoliditate huc illúcque cupiditatem eius cumagunt, impellentem ad malarum voluptatum delectationes.

Iniustitia.

Iniustitia vero est vitium animæ, per quod circumscriptores fiunt præter dignitatem.

Auaritia.

Auaritia autem est vitium animæ, per quod appetunt vndequaq; lucrum.

Pusillanimitas.

Pusillanimitas autem vitium est animæ, per quod neutram possunt fortunam ferre, nec honorem, nec ignominiam.

Quæ sint vniuscuiusq; virtutis propria.

Prudentia.

PRudentiæ autem est, consiliũ agitare, discernere bona & mala, & omnia quæ sunt in vita sequenda & fugienda, honeste vti omnibus bonis, cum aliis recte versari, prospicere occa-

siones, solerter verbis & rebus vti, experiẽtiam habere vtiliũ omnium. Memoria autem, peritia & solertia, vel manat à prudentia, vel prudẽtiæ sunt affectæ: aut partim prudentiæ adminicula, vt experientia & memoria: partim tanquã prudentiæ partes, vt consilium & solertia.

Mansuetudinis.

Mansuetudinis autem est, posse ferre moderate obiecta crimina, & contemptus, nec celeriter rapi in vitiones, nec esse de facili mobilem ad iras, esse autem moribus comem & mitem, & ingenio esse quieto & stabili.

Fortitudinis.

Fortitudinis vero est, inconcussum à mortis metibus, & constantem in malis, & intrepidum ad pericula esse, & malle honeste mori quàm turpiter seruari, & victoriæ causam præstare. Præterea autem fortitudinis est, & laborare, & in animo instituere, & posse. Accedit autem fortitudini & audacia, & animi præstantia, & fiducia, & confidentia adhæc, industria & tolerantiæ.

Temperantia.

Temperantiæ autem est, nihil mirari corporis voluptates, & cuiusuis fœdæ voluptatis & delectationis minime appetentem, & timere etiam iustam licentiam, & intentum esse in vitæ rationem, similiter in parua & magnis. Assistunt autem temperantiam, ordo, moderatio, pudor, reuerentia.

Continentia.

Continentiq; autem est, posse cohibere rationẽ cupiditatem, ferentem ad malas delectationes & voluptates, & pati, & tolerare pro natura indigentiæ & egestatis.

Iustitia

Iustitia.

Iustitię autem est, distributiuũ esse eius quod est secundũ cuiusq; dignitatem, & tueri patrias consuetudines & instituta, & seruare scriptas leges, & veridicum esse in controuersiis, & stare conuentionibus. Est autem prima iustitiarum, aduersus Deos: proxima, in dęmonas: deinde, in patriam & parentes: deinde, erga defunctos: in quibus est pietas, vel pars iustitiæ, vel eius comes. Sectatur autem iustitiam, & sanctitas, & veritas, & fides, & vitiorum odium.

Liberalitatis.

Liberalitatis autẽ est, erogare pecunias in laudabilia, & largitio ad honestos sumptus faciendos, & prẽsto esse ad auxiliũ in aduersa fortuna, & non accipere vnde non oportet. Est autem liberalis, & circa induméta nitidus, & circa habitationẽ est & instructor permagnarũ rerum, & elegantiũ, & oblectationẽ habentium, nulla cõmodi ducta ratione: est & altor animaliũ, minũq; quid aut suaue habẽtium. Comitatur autẽ liberalitatem, morum facilitas, & comitas, & humanitas: & esse misericordem, & erga amicos beneuolum, & hospitalem, & honesti studiosum.

Magnanimitatis.

Magnanimitatis autem est, pulchre ferre & felicitatem & infelicitatẽ & honorem, & ignominiam, & non admirari neq; delicias, neq; elientelas, neq; potestates, neq; victorias gymnicas: habere autem quandam animi altitudinem & magnitudinem. Est autem magnanimus, neque vitam magnifaciens, neque vitæ amans, simplex porrò moribus, & generosus, iniuria potens lacessiri, & non vindex. Sequitur autem magnanimitatem, simplicitas, & veritas.

Quæ sint vniuscuiusque vitij propria.

Imprudentia.

Imprudentiæ autem est, iudicare peruersè de rebus, deliberare perperam, vti nequite præsentibus bonis, in falsam adduci opinionem de iis, quæ ad vitam sunt bona, & honesta. Sectatur autem imprudentiam, insciti a, incontinentia, rusticitas, obliuio.

Iracundiæ.

Iracundiæ autem sunt species tres, excandescentia, fœuitia & vecordia. Est autem iracundi non posse ferre fœdas cõemptiones, neque imminutiones: esse autem plagosum. & vindictæ cupidũ, & de facili ad iram facto verbóve quouis moueri. Assectatur autem iracundiam morositas, & inconstãtia, & sordida illiberalitas, & de paruis angi, & ab iisdem de repente affici, & per breue tempus.

Ignauiæ.

Ignauiæ autem est quouis metu facile percelli, & mortis maxime, & noxarum corporis, & arbitrari præstabilius esse quomodocunque seruare ipsam pulchre mortem obire. Comitatur autem ignauiam mollities, effœminatio, torpor, vitæ fœdium. Subest etiam quædam timiditas, & contemptionis detrectatio.

Intemperantiæ.

Intemperantiæ autem est, sequi delectationes

voluptatum noxiarum & turpium, & arbitrari maxime felices eos esse, qui in huiusmodi voluptatibus versantur, & facetum esse, & dicacem, & vrbanum, & versutum, tam in verbis quàm rebus. Sectatur autem intemperantiam, ordinis perturbatio, impudentia, contusio, incuria, negligentia, dissolutio.

Incontinentia.

Incontinentiæ autem est prohibente ratione, delectationes voluptatum sectari, & ducere pro stabilius esse, non frui autē nihilominus, & opinari quidem oportere facere, & pulchra & conferentia, abhorrere tamen ab ipsis propter voluptates. Est autem comes incontinentiæ, mollities, & pœnitentia, & pluta eiusmodi, quæ intemperantiam comitantur.

Iniustitia.

Iniustitiæ autē sunt species tres, impietas, nefaritia, immanior improbitas. Impietas quidem est aduersus Deos, & dæmones, & circa defunctos, & circa parentes, & circa patriam. Auaritia autem circa commercia, præter dignitatem eligens præcipuum. Immanior autem improbitas est, per quam voluptates sibi comparant, lucri dubitio alios habentes: vnde Euenes de ea dicit.

Quæ lucrum captamus? tamen ipsa nocet.

Est autem iniustitiæ, patriæ violare & instituta & iura, nec parere legibus, nec magistratibus, mentiri, peierare, transgredi conventiones, & hdem fallere. Comitem autem iniustitiæ habet calumnia, iactantia, humanitatis assimulatio, malignitas, calliditas.

Auaritiæ

Auaritiæ.

Auaritiæ autem, species sunt tres, turpis quæstus, tenacitas, illiberalitas. Turpis quæstus quidem, per quem ditescere quærunt vndecunque, & lucrum quàm pudorem pluris faciunt. Tenacitas autem, per quam sumptui parcunt, & impensæ in re honesta. Illiberalitas autem est, per quam expēdunt quidem, minuratim autem male, & plut iacturæ facientes, nullo scilicet habito deportis delectu. Est autem auaritiæ, plurimi facere pecunias, nec id probrū putare quod quæstuosum situita mercenaria, & seruilis, & sordida, à munificentia & liberalitate aliena. Consequuntur autem illiberalitatem, sordes, ægrimonia, pusillanimitas, humilitas, immodestia, ignobilitas, hominum odium.

Pusillanimitas.

Pusillanimitatis autem est, neque honorem, neque ignominiam, neque felicitatem, neq; infortunia posse ferre, sed honoratum quidem tumescere, & leui successu prospero auctum efferri & subsultare, ignominiā autem ne minimam quidem ferre posse. Aberratio porrò est, infortunium non diiudicare magnum: conqueri vero de omnibus, & ægro animo ferre. præterea autem talis est pusillanimus, vt omnes neglectus contumeliam vocet & ignominiam, etiam per longitudinem, vel obliuionem admissos. Colligantur autem pusillanimitatem sordes, quærimonia, dissidentia, humilitas.

Quid virtutis sit in vniuersum.

IN vniuersum autem virtutis quidem est, facere studiosum & probū affectum in animo,

quietis & constitutis motibus vtentem, omnibus ex partibus consonantem: quapropter videtur instituti atq; rationis boni animi esse honestus affectus. Est porrò virtutis, & beneficiis dignos afficere, & diligere bonos, & neque ad figmendas pœnas, neque ad vindictam ardèri esse animo, sed clementi placido, & misericordi. Assecla est autem virtutis, benignitas, æquitas, animi candor, spes bona, & quæ ejusdem sunt generis, veluti familiarium studiosum & amicorum esse, sociabilem, hospitalem, humanum, elegãtem se exhibere, quæ vtique omnia laudabilium sunt: vitij autem, contraria.

*

Libelli de Virtutibus finis.

ARIST

LEONARDI ARETIni in libros Politicorum Proœmium.

INter moralis disciplinæ præcepta, quibus humana vita instituitur & docetur, eminentissimus quidãmodo locum obtinent quæ de ciuitatibus earumque gubernatione conseruationéque traduntur. Quippe disciplina humana omnis felicitatem hominibus conficere studet. Felicitatem verò si vis acquirere præclarum est, quãto magnificentius erit vniuersa ciuitati beatitudinẽ adipisci? Bonum enim, quanto latius patet, tanto diuinius est existimandum. Cùmque homo imbecille sit animal, & quæ per seipsum non habet sufficientiam perfectionis, quæ ciuili societate reportet, nulla profectò cõsecutior disciplina homini esse potest, quàm quid sit ciuitas, & quid respublica intelligere. & per quæ conseruetur interque ciuilis societas non ignorare. Multa quidem qui hæ ignorat, sæpissum pariter ignorare videtur, ac sequentissimi Dei præceptum disserere. Itaque & Platonem illum præclaris libris, qui sunt ab eo de Republicæ scripti, in hac parte offendenda docendaque plurimum versat est. Et Marcus Cicero noster sex inclytis libris, quos de Republica scripsit, hanc ipsam materiã est prosecutus. Et Aristoteles in hoc volumine, quod nunc in Latinum conuertimus, hæc ipsa cõplexus est, tanto quidem nitore & copia & ornatu, vt vere mereatur summẽ aureum vocitari. Materia igitur huius operis talis est. Considerandi autẽ interpretandique mihi causa fuit eadem illa, quæ iam ducem & actorem ad conuersionem Ethicorum mihi duxit. Nam cum viderem hos Aristotelis libros, qui apud Græcos elegantissimo stylo perscripti sunt, ab inepto interprete ad ridiculam quandam ineptitudinẽ esse redactos, ac præterea in rebus ipsis errato-

permulta ac maximi ponderis, laborē susceptū nostra tradūtione, quo nostrū hominibus in hac parte prodesse[m]. Quid enim opera ea utilius? quid laude dignius esse[re] possit, quam eiusmodi mala primum, deinde cæteris quæ Latina vtitur lingua, ignaris Græcarū literarū facultatē præbere, vt non per ænigmata ac deliramēta interpretationū ineptarum ac falsarū, sed de facie ad faciem possint Aristotelē intueri, & vt ille in Græco scripsit, sic in Latino perlegere. Excitauit quoq; me vtilitas maxima, quam ex interpretatione Ethicorū prouenisse existimaui. Homines enim ingenue eruditi, quos primo vetus interpretationis ineptitudo ac barbaries à legenda repulerat, ita postmodū eos libros complexi sunt, vt in maximā lucē illarū rerum cognitio sit perducta. Quod ipse fieri in his de quibus nūc agimus, Politicorū libris, & quæ eo magis, quo hæc materia simulat verba ad exprimēdū alia quam in suis disputationibus scholastici vtantur, & maiorē quēdā essingitat dicēdi ornatū, quā dialectici interpretes nedū ille consequi, sed ne suspicari quidem possunt. Aristotelis certe tanta facundia, tāta varietate & copia, tanta historiarū exēplorūmque amplitudine hos libros resersit, vt oratoria pene stylo scripti videātur, sic enim argumētationes totas interdū explicat, vt omnia dicendi ornamēta in eos studiose conuella liceat intueri. nec est in his libris quattio vlla paulo vberior, qua materia ab illa sit absque rhetorico pigmento aut colore quorum etsi non expressionē, attamen adumbrationem quandā diligēs lector in hac tradūctione nostra deprehendat. Fuit enim Aristoteles studiosissimus eloquētiæ, quē arte Rhetorica eius, pluribus voluminibus explicata, declarant. Quæ sit igitur horū librorū materia, & quæ de causa laborē hunc suscēperimus, & quales alteri qui in Græca sint, hac præfatio esse sufficiat. Horteamur autē eos vel emēter ad horum operis dulcissimā lectionē, vtpote doctrinā vberrimā, ac verū prope innumerabilis vtilitatis fructū, & quidem necessariā ad vitam susceptam

ARISTOTELIS STAGIRITAE, PERIPATETICORVM Principis, Politicorum

LIBER PRIMVS:

Leonardo Aretino interprete.

SVMMA LIBRI.

De ciuitate, domo, pago, re familiari, seruis, dominatu eorum ac seruitutibus, possessione, acquisitionibus necessaria ac nummaria, & personarum in re domestica excellentium virtutibus.

De ciuitate, eius gubernatore, partibus, domo, pago.

CAP. I.

QVoniam videmus omnem ciuitatem esse societatē quandam, & omnem societatem boni alicuius gratia constitutam (nam eius gratia quod bonum videtur, omnia omnes agunt) patet quod bonū aliquod omnes coniectant, maxime vero principalissimum omnium quæ est principalissima, & cæteras omnes complectitur. est autem hæc illa, quæ ciuitas appellatur, & ciuilis societas. Quicunque vero putant gubernatoris ciuitatis, & regis, patrisque familiæ

lias,& domini eandem esse rationem,non bene dicunt.Multitudine enim & paucitate, sed non specie illorum singulos putant differre, veluti si paucorum quidem,dominum: si vero plurium, patremfamilias: sin etiam plurium,gubernatorem ciuitatis vel regem:quasi nihil differat magna domus & parua ciuitas, gubernatórque ciuitatis & rex,quando quidem ipse præsider,rexi quando vero secundum rationem talis scientiæ in parte præsidet, & in parte subest, gubernator ciuitatis.Sed hæc vera non sunt, quod manifestum erit secundum hanc doctrinam considerantibus.Vt enim aliis compositum vsq; ad incomposita diuidere necessarium est(hæ namque sunt minimæ totius particulæ)ita ciuitatem, ex quibus componitur,considerantes,& quomodo illa differant inter se,& si quid artificij recipiat singula ipsorum, magis intuebimur. Si quis igitur ab initio rerum originem inspiciat, vt in aliis sic & in istis optime discernet. Primú igitur necesse est combinare illos, qui non possunt esse nisi simul,ceu marem & fœminam generationis causa.Et hoc non ex electione,sed velut in cæteris animalibus & plantis naturale est desiderium, quale ipsum est,tale alterum relinquendi. Imperans vero natura & parens propter conseruationem.nam quod potest mente prospicere, natura imperat ac dominatur: quod autem potest corpore hoc facere, paret natura & seruit, quapropter domino & seruo id confert. Natura igitur distincta sunt fœmina,& seruus.Nihil enim natura facit tale, quale statuarij delphicum gladium ob inopiam,sed vnum ad vnum. sic enim optime instrumenta proficient,si eorum singula non multis, sed vni deseruiant. Verùm apud Barbaros

Barbaros fœmina & seruus eodem gradu habentur.causa vero huius est, quoniam quod natura dominetur non habet,sed sit eorum societas ex seruo & serua. Quamobrè aiunt poëtæ, Græcos Barbaris dominari oportere: quòd idé sit natura,Barbarus & seruus.Ex his duabus igitur societatibus domus prima. Rectéq. Hesiodus inquit:

Domum in primis,mulierémque & bouem aratorem.

bon enim pro seruo pauperibus est. Quotidiana igitur societas secundú naturam constituta domus est: quos Charondas quidem homosyrios,Epimenides vero Cretenses †homocapnos appellat. Sed quæ ex pluribus domibus constituitur societas prima,vtilitatis gratia non quotidianæ,pagus est.Maxime vero secundum naturam videtur pagus,propagatio quædam esse domus:eorum,quos dicimus coalitos, & natos esse natorum.Quapropter primo sub regibus ciuitates erant:nunc vero etiam gentes.nam ex his qui subierant regno,processerunt.Omnis autem domus regitur à seniore: quare & coloniæ inde propagatæ propter cõsanguinitatem.Et hoc est, quod inquit Homerus:

† *a.l.homocapnos.*

Iura dant singula natis & vxoribus.

Sparsim nanque etiã sic antiquitus habitabant: Et Deos ob hoc ipsum putant cũcti regẽ haberet quoniã & ipsi partim nũc, partim antiquitus sub regibus degebant. Quèadmodum vero formas humanas Diis attribuũt homines, sic et iã vitas.

Quid ciuitas,quòd homo ciuile sit animal,quòd par domui ciuitas prior sit.

CAP. II.

QVæ autem ex pluribus pagis conficitur societas,ciuitas est,quæ quidem(vt ita dixe,

rim totius sufficientiæ finem habet, constituta quidem gratia viuendi, existens autem bene viuendi gratia. Quapropter omnis ciuitas naturæ est, si quidem & primæ societates, nam hæc illarum finis: natura vero finis est. Quale enim vnumquodque est generationis perfectæ, hanc vniuscuiusque naturam esse dicimus: ceu hominis, equi, domus. Insuper cuius gratia & finis, optimum: sufficientia vero finis, & optimum. Ex his igitur patet ciuitatē esse ex his, qui natura sunt. & quod homo natura ciuile est animal. Et qui absque ciuitate est per naturam, non per fortunā, aut nequā est, aut potior quām homo: vt ab Homero per contumeliam increpatur.

Sine tribu, sine iure, sine domo.

nam simul talis est & belli cupidus, veluti qui nullo retinetur iugo, vt neque volatilia. Ex quo patet sociale animal esse hominē, magis quam omneis apes, & quām omne gregariū animal. nihil enim (vt diximus) frustra natura facit. Sermonem vero homo habet solus omnīū animalium. Nam vox quidem molesti atque iocundi significatio est. quapropter aliis quoque exsistit animalibus. hucusque enim natura processit in his, vt sensum habeāt iocundi & molesti, & hoc inter se significare possint. At sermo ad hoc datus est nobis, vt ostendamus vtilitatē & damnum, atque ita iustum & iniustum. hoc enim præter cætera animalia hóminibus proprium est, vt boni & mali, ac iusti & iniusti, & aliorū huiusmodi sensum habeant soli. horūmq; societas facit domum, & ciuitatē. Et certe secundū naturā prius est ciuitas quām domus, & quām singuli nostrū. Nam totū prius esse quām partem, necessarium est, perēpto enim toto, nō erit pes nec manus, nisi æquiuocè, veluti si quis dicat lapideā. nam corrupta quidem erit talis, cuncta autem opere definita sunt & potentia. itaque cùm amplius non sint tales, non est dicendum illas esse easdem, sed æquiuocas. Esse igitur ciuitatem natura, & prius quām singuli, manifestum est. Si enim non est sufficiens vnusquisque seperatus, perinde se habet ac reliquæ partes ad totum. Qui autem in communi societate nequit esse, quique nullius indiget propter sufficientiam, nulla pars est ciuitatis: quare aut bestia aut Deus. natura igitur omnibus ad huiusmodi societatem est appetitus. Qui autem primus instituit, maximorum bonorum causa fuit. vt enim perfectione suscepta, optimum cunctorum animalium est homo, ita si alienus fiat à lege & à iudicijs, pessimum est omnium animalium. Sæuissima est enim iniustitia tenens arma. Homo vero arma tenet per innatam prudētiam atque virtutem, quibus plurimum valet in contrarium vti. Itaque impiissimum & immanissimum est sine virtute, & ad libidinem cibationēmque deterrimum. iustitia vero ciuile quiddā est. nam ius ordinatio est ciuilis societatis: iudicatio autem iusti iudiciū.

De re familiari, domino, seruo, re possessa, imperādo ac parendi necessitate, ac vtilitate.

CAP. III.

QVoniam vero declaratū est quibus ex partibus sit constituta ciuitas, necessarium videtur primum de re domestica dicere. Omnis enim ciuitas ex domibus constat, tei domesticæ partes sunt, ex quibus domus est constituta. domus autem perficitur ex seruis & liberis. Cum vero prima quæque sint in minutissimis

Universidad de Deusto
Biblioteca

mis perquirenda: primæ vero ac minutissimæ partes domus existant dominus & seruus, maritus & vxor, pater & filijde his vtique tribus considerandum fuerit, quid vnumquodque, & quale esse oporteat: hoc est de dominica, de coniugali (nam & ipsa proprio nomine non nominatur) & de paterna disciplina. Sint autem hæ tres quas diximus. Est insuper quædã pars, quæ videtur quibusdam esse disciplina rei familiaris: quibusdam vero maxima eius pars. Loquor autem de illa parte, quæ versatur circa acquirendum: quæ & ipsa quemadmodum se habeat, considerandum erit. At primum de seruo & domino dicamus: vt quæ necessaria sunt intueamur: & si quid de his melius comprehendere possimus, quàm ea quæ nũc existimantur. Quibusdam porrò videtur scientia quædam esse dominatio, eademque esse disciplina domestica, & dominatio, gubernatióque ciuilis & regia: vt principio diximus. Aliis autem, præter naturam videtur esse dominatio, quoniam natura nihil differat, sed lege duntaxat inductũ sit, vt alij liberi sint, alij serui, quapropter neque iustũ, violentum enim. Cùm igitur possessio sit pars domus, certe & illa per quã acquirimus, pars erit domesticæ disciplinæ: nam sine necessarijs impossibile est & viuere, & bene viuere. Vt vero in artibus definitis necessarium est subesse propria instrumenta, si opus modo confici debeat: sic etiam in re familiari. Instrumentorũ vero quædam inanima sunt, quædam animata, veluti gubernatori, nauis quidem inanimis est, qui vero proram regit, animatus. nam minister in artibus locum instrumenti obtinet. Sic & res possessa instrumentum est ad vitam: possessio autem multitudo instrumentorum: & seruus possessum quidam animatum, & tanquam instrumentum ante instrumenta omnis minister. Si possent enim instrumenta ad iussum vel nutum domini opus suum conficere, quemadmodum Dædali, aut Vulcani tripodes, quos inquit Poëta sponte sua diuinum prodiisse in certamen: sic & pectines texerent, & plectra citharæ pulsarẽt, nec architecti sane ministris, neque domini indigerẽt seruis. Quæ igitur instrumenta dicuntur, factiua sunt: quod vero possidemus, actiuum est. à pectine quidẽ enim aliquid fit præter illius vsum: à veste vero atque lectica vsus solum. Præterea cum specie differant facere & agere, & indigeat vtrumque instrumentis, necessarium est & illa eadem habere differentiam. Vita certe actio est, & non factio, quapropter seruus minister est ad actionem. Ad autem quod possidetur, dicitur quemadmodum & pars ad totum. pars enim nõ solum alterius est pars, sed etiam omnino alterius, similiter & quod possidetur. Quapropter dominus serui est dominus solum, sed illius nõ est, seruus autem non solum domini seruus, sed omnino illius. Quæ igitur sit natura serui, & quæ potestas, ex his patet. quicunque enim suapte natura non est sui iuris, sed alterius, homo autem est, hic natura est seruus, alterius autem homo est, qui possidetur, homo existens, res possessa vero instrumentum ad acquirendum actiuum & separabile. Vtrum vero sit aliquis natura talis vel non, & vtrum melius ac iustius sit alicui seruire vel nõ, sed omnis seruitus sit præter naturam, considerandũ postea erit. Nec sanè difficile est ratione perspicere, & ex his quæ fiũt cognoscere. Imperare enim & parere nõ solum necessa

* ἀκριβεστέρα: sic fere per librũ totum.

* ἀλλ' ὁ μὲν ἄνθρωπος ὢν τῆς φύσεως οἰκέτης ἢ ἄνθρωπος ὤν.

necessariorum sunt, verumetiam vtilium, ac sic tim ex generatione quædam distincta sunt, alia quidem ad imperandum, alia vero ad parendū, & species multæ & imperantium & parentium sunt. & semper melius imperium melioris parentium est, ceu hominis, quàm bestiæ. Nam quod à melioribus perficitur, melius est opus. Vbi vero aliud imperat, aliud paret, est aliquod horum opus, nam quæcunque ex pluribus constat, & vnum quid commune fiunt, siue ex continuis, siue ex discretis, in omnibus apparet & quod imperat, & quod paret, & hoc ex tota natura ineſt animalis. nam & in his quæ expertia sunt vitæ, est quoddam imperium instar harmoniæ, sed hæc forsan aliena sunt ab ista consideratione. Animal vero constat primū ex anima & corpore: quorum alterum imperat secundum naturam, alterum paret. Oportet autē contemplari naturam non in corruptis, sed in his quæ magis se habent secundum naturam. quocirca eum hominem, qui & animo & corpore optime dispositus sit, inspiciendum, in quo certe id manifestum est, nam prauorum quidē aut praue dispositorum sæpe inuenietur corpus imperare animo, ex eo quia peruersæ ac præter naturam se habent. Est igitur (vt dicimus) primum in animali perspicere imperium dominicum & ciuile. Nam animus quidem in corpus, dominicum habet imperium: mens vero in appetitum ciuile & regium, in quibus clarum est secundum naturam & vtilitatem imperari ab animo corpori, & ab ea parte quæ habet rationem, ei parti quæ subiacet perturbationi, æqualitatem vero ac vicissitudinē omnibus nocere. Rursus in homine & aliis animalibus eodem modo, manifesta

fueta quidem meliora sunt quàm fera, his autem vniuersis melius est vt homini pareāt: nam salutem ita recipiunt. Præterea autem masculus & fœmina, alter melior secundum naturam, altera deterior. & hic imperans, illa vero parēs, eodemque modo necesse est in cunctis hominibus esse. Quicunque igitur distant tantū, quantum animus à corpore: & homo à bestia, per hūc modum se habent. Quoruncunque est opus in corporis vsu, & hoc est in eis potissimum, hi sunt natura serui, quibus melius est vt imperetur, hoc imperio quemadmodum in præmissis. Est enim natura seruus, qui potest alterius esse, quapropter & alterius est, & qui tantum participes est rationis, vt sentiat quidem, at non habeat. Nam certa quidem animalia rationem quidem non sentiunt, sed passionibus inseruiūt. Vsus etiam variat parumper. necessariorum enim corpori auxilium fit ab vtrisque, à seruis videlicet, ac mansuetis animalibus. Vult autem natura, & differentia facit corpora liberorum & seruorum: alia quidem robusta ad necessarios vsus, alia verò recta & inutilia ad tales operationes: verùm vtilia ad ciuilem vitam, hæc autem diuisa est in belli opportunitates & pacis. Accidit vero sæpe & contra, hos quidem corpora habere liberorum, illos vero animos. Nam id quidem patet, quòd si tantum præcellāt corpore solum, quantum Deorū imagines, reliqui omnes digni apparēt illis seruire. Id si verum est in corporibus, multo iustius in animo idem putare, sed non vt corporis, ita & animi pulchritudinem discernere facile. Quòd igitur sint secūdum naturā, alij liberi, alij serui, patet: quibus & seruire prodest ac iustum est.

Dein

De duplici seruo, potentia gubernandi, dominatione, ac gubernatiuis differentia.

CAP. IIII.

QVòd autem & contradicentes quodammodo recte dicunt, nõ difficile fuerit intueri. Dupliciter enim dicitur seruire & seruus. Est enim aliquis secundum leges seruus, & seruitus: nam lex consensio quædam est, per quam bello capta illorum fieri dicuntur qui ceperunt. Hoc autem ius multi eorum qui circa leges versantur, accusant, tãquam oratorem qui iniqua decreuerit quasi sit graue, si eius qui vim afferre potest, & potentia præcellit, seruus fiat & subditus is qui vim patitur, & quibusdam hoc modo videtur, quibusdam illo, etiam sapientum. Causa vero ambiguitatis & variationis sermonis huiusmodi est: quia quodammodo virtus fecta potentia, vim potest maxime afferre, & semper id quod superat, est in excellentia alicuius boni: ex quo fit, vt vis non absque virtute esse videatur, sed circa iustum solum esse ambiguitatem propter hoc sanè, quod aliis quidem beneuolentia videtur esse iustum, aliis hoc ipsum videtur iustum, potentiorem dominari, quoniam discordantibus inuicem huiusmodi sermonibus, cum alteri nec validum quicquam; neque persuasiuum continent, quòd non oporteat meliorem secũdum virtutem præesse ac dominari. Omnino vsurpantes quidam, vt arbitrantur, aliquod iustum (nam lex iustum quid est) seruitutem quæ ex bello prouenit, iustam posuere, & simul non iustam esse aiunt. nam fieri potest, vt belli principium nequaquam sit iustum. Et indignũ seruire, nemo diceret esse seruũ, alioquin contin-

geret eos qui nobilissimi videntur, seruos esse, atque ex seruis, si contingat eos capi atque venundari, itaq; istos non volunt seruos dicere, sed Barbaros. Atqui cum ista dicunt, nihil quærant aliud quàm natura seruos, vt ab initio diximus, necesse est enim dicere aliquos esse, & hos quidem vbique seruos esse, alios vero nusquam. Eodémq; modo de nobilitate. ipsos enim non solum apud seipsos nobiles, sed vbique existimant, Barbaros vero domi solum nobiles, quasi existat alia simpliciter nobilitas, alia non simpliciter: vt Theodecti Helena inquit: *Ex Dijs ab vtraque stirpe progenitam quisquam appellabit seruam?* Sed cum hoc aiunt, nullo alio quàm virtute & vitio definiunt seruum & liberum, nobilésque & ignobiles. putant enim, vt ex hominibus hominem, & ex bestijs bestiam, sic ex bonis bonum generari. sed natura quidé hoc vult, attamen plerunque non potest. Quòd igitur hæc dubitatio habet rationem quandam, & quòd sunt alij natura serui, alij liberi, manifestũ est. Et quòd in quibusdam determinatũ est esse tale aliquid, quibus quod ob idipsum prodest & iustum est, alium seruire, alium esse liberum: & conuenit alium imperare, alium parère eo imperio quod innatũ est: quare & dominari. Quod autem male vtrisque inutiliter fit. Nam idem prodest toti & parti, & animæ & corpori, & seruus pars quædam est domini, quasi animata quædam corporis, sed separata pars, quapropter aliquid est quod simul prosit, & amicitia est seruo & domino inuicé, secundũ naturã ita disposito. Iniustus vero, qui secundum legem & per violentiam, cõtrarium. Patet autem ex his, quòd nõ idem est dominatio & gubernatio reipublicæ,

nec omnes inter se principatus, vt quidā aiunt nam aliud liberorum secundum naturam, aliud seruorum est. Et in re familiari imperium est vnius. nam ab vno regitur omnis domus: in republica autem liberorum & æqualium est gubernatio. Dominus ergo non dicitur secundum scientiā, sed quia est talis, eodémq; modo & seruus & liber. Sciētia vero est & dominicæ, & seruilis. Seruilis quidem, qualem Syracusis ille docebat. nam ibi quidam mercede pueros docebat seruituté. Fuerit sanè etiam complurium talium disciplina, ceu coquinaria, & alij huius generis famulatus. sunt enim opera alia honestiora aliis, alia vero necessaria magis, & vt est in prouerbio, seruus præ seruo, dominus præ domino. hæ igitur omnes sciētiæ seruiles sunt. Domini autē scientia est, per quam vtimur seruis. ad dominus est, nō in possidendo seruos, sed in vtendo seruis. Continet autē hæc scientia nō magnā aliquid, neq; glorioſum quæ enim seruum scire facere oportet, illum oportet scire iubere. Quapropter quibuscunque est facultas à laboribus ceſſandi, vicarius quidem hunc honorem ſcipit, ipſi autem reipublicæ adminiſtrandæ, aut ſtudiis philoſophiæ intendunt. Acquirendi vero diſciplina, alia eſt ab vtraq; iſtarū, ceu bellica quædam iuſta, aut venatica. De ſeruo igitur & domino in hunc modum determinandum ſit.

* Διακονικὰ, ſeruilia miniſteria.

* ἐπίπραστον.

De poſſeſſione, acquiſitioneq; ſecundum naturam ac neceſſaria. animalium præſepia. hominum vita varia, de veris diuitiis.

CAP. V.

OMnino autem de vniuerſa poſſeſſione & de acquiſitione intuebimur ſecundum ea quæ ſunt

cedentem modum, quandoquidem & ſeruus poſſeſſionis erat pars. Primum igitur dubitaret vtique aliquis, vtrum illa diſciplina, quæ ad acquirendum ſpectat, idem ſit quod facultas rei familiaris, vel pars aliqua eius, vel miniſtra. Et ſi miniſtra, vtrum quemadmodum pectinaria textoriæ: aut quemadmodum araria, ſtatuariæ. non enim eodem modo ſubminiſtrant ſed altera quidem organa præbet, altera materiem. Dico autem materiam, ceu id quod ſubiacet, ex quo aliquod perficitur opus, ceu textori lana, ſtatuario æs. Quòd quidem igitur non ſit eadem rei familiaris diſciplina illi, quæ pertinet ad acquirendum, manifeſtum eſt. Nam hanc quidem parare eſt, illius vero vti. quæ enim vtitur his quæ ſunt in domo, niſi rei familiaris diſciplina? Sed vtrum ſic eius pars, vel alia ſpecies, dubitationem habet. Nam ſi eſt diligentis patrisfamilias videre quomodo pecuniæ & poſſeſſiones aſſint: poſſeſſio autem & pecuniæ multas complectuntur partes: itaque primum dubitatio eſt, agricultura vtrum pars aliqua ſit illius acquirendi diſciplinæ, an aliud quoddam genus: & omnino circa alimentum cura & acquiſitio. Atqui ſpecies alimentandi multæ ſunt: quapropter & vitæ plures ſunt, animalium, & hominum. non enim fieri poteſt, vt viuatur ſine alimento. Itaque diuerſitates alimentorum diuerſas fecerunt animalium vitas. Nam ferarum quidem aliæ gregales ſunt, aliæ ſolitariæ: vt hoc, vel illo modo, illis conducit ad victum, quoniam aliæ viuis animalibus, aliæ inanimis, aliæ cunctis paſcuntur, quare ad facilitatem victus atque delectum, ipſarum vitas natura diſtinxit. Cùm vero non idem cuique

* προαιρετὸν.

dulce sit secundum naturam, sed aliis alia: & illarum quæ animalia, & illarum quæ fructus comedunt, vitæ inter se differunt. Hoc idem est in hominibus. differunt enim multæ eorum vitæ, nam pigerrimi qui sunt, pastoralem vitam sequuntur: quoniam à mansuetis animalibus sine labore educatio ipsis provenit otiosis, cúmque sit necesse mutare locum animalibus, & ipsi coguntur vna sequi, quasi agriculturam quandam viuam colentes. Alij vero ex præda viuunt, & præda quidem alia alij, ceu alij venantes, alij piscantes: vt qui paludes, & stagna, & flumina, & mare accolunt: alij ab auibus & feris, sed maxima pars hominum à terra viui, & à fructibus non syluestribus. Vitæ igitur rè tot sunt quot secundum propriam & innatam habent operationem, nec per commutationem & commercia sibi præparant alimentum: pastoralis, agricultura, prædatoria, piscatoria, venatoria. Sunt & qui ista miscentes, iucunde viuant, supplentes deficientem vitam qua deficiens est, vt sufficientia assitteu pastoralem simul quidem & prædatoriam, alij vero agriculturam & venationem, eodem modo & circa alias, vt indigentia compellit, in hunc modum degunt. Talis igitur acquisitio ab ipsa vt detur natura hominibus data, vt statim post geniturum, sic etiam ad perfectionem deducta. nam ab ipso generationis initio quædam animalium simul exprimunt tantum alimenti, vt sufficiat donec possit sibiipsi acquirere quod generatum est: vt quæcunque ex putredine, vel ex ouis gignuntur, quæ vero pariunt viuentia, alimentum habent in seipsis, ad natorum educationem vsque ad tempus quoddam, quam lactis

naturam dicimus. Quare similiter est de perfectis quoque existimandum, plantásque animalium esse gratia, & cætera animalia hominum causa, mansueta quidem propter vtilitatem & cibum, fera vero (etsi non omnia, at plurima illorum) propter cibum, & alia adiumenta, vt & vestitus ac cætera instrumenta ex illis fiant. Si igitur natura nihil neque imperfectum facit, neque frustra, manifestum est illa omnium hominum gratia fecisse naturam. Quapropter & bellica secundum naturam quodammodo acquisitiua erit. Nam & venatoria pars illius est, qua vti oportet contra bestias, & contra eos homines qui ad parendum nati sunt, nec volunt parere: quia natura id bellum iustum existimat. Vna igitur acquirendi species secundum naturam, pars est rei familiaris: quam oportet subesse iam aut illam parare, quo ea subsint, quorum est comparatio rerum in vita necessariarum, & vtilium ad societatem ciuitatis & domus. Et videntur veræ quidem diuitiæ ex his constare. Nam sufficientia huius * possessionis ad vitam bonorum non infinita est, vt Solon poëtico more dicebat: Diuitiarũ nullus est finis constitutus hominibus. At certe constitutus est, vt in aliis artibus. nullum enim instrumentum cuiusquam artis infinitum est, neque multitudine, neque magnitudine, diuitiæ autem sunt multitudo instrumentorum rei familiaris & reipublicæ. Quòd igitur sit aliqua acquisitio secundum naturam patribusfamilias & gubernatoribus reipublicæ, & propter quam causam, patet.

* κτήσεως, acquisitionis.

De nummularia acquisitione, quid sit præter naturam, & quid differat à contrariis similiariis: vbi multa de nummi vsu.

CAP. VI.

EST aliud genus acquirendi, quod maxime vocant, & merito vocari debet, pecuniariū: in quo nullus finis esse videtur diuitiarum & possessionis: quod esse vnum cum illo specie, de quo supra diximus, plerique crediderunt, propter vicinitatem. Sed neq; est idem, neque ab illo valde remotum. est enim alterum illorum secundum naturam, alterum non secundum naturam, sed magis secundum experientiam & artem. de quo dicere sic exordiamur. Cuiusq; enim, quę possidetur, rei dupleх est vsus vterq; vero secundum ipsam rem, sed non similiter: verùm alter proprius, alter non proprius rei. ceu calcei quidem est calceatio, & vendibilium vterque enim vsus calcei est. nam qui calceum indigenti vendit pro pecunia vel cibo, vtitur calceo qua calceus est, sed non secundum proprium vsum: non enim commutationis gratia factus est calceus. Eodem modo se habet in aliis rebus, quas possidemus. Est enim permutatio in omnibus, cœpta quidem ab initio ex eo quod est secundum naturam, quòd alij plura quàm opus sit, alij pauciora habeant homines. Ex quo manifestum est, pecuniariam non esse secundum naturam eius, quæ pertinet ad acquirendum. quoad enim ipsi sufficeret, necessarium erat permutationem fecisse. In prima igitur societate id est in domo, manifestum est nihil opus esse illius, sed iam in maiori existente societate. Alij enim illorum communiter habebant omnia

alij separatim multa rursus & alia, quorum secundum indigentiam necesse erat permutationem facere. quemadmodum adhuc faciũt Barbarorum nationes multæ, alia pro aliis dantes, recipientes; vtilia enim pro vtilibus tradũt, vina vero nihil: ceu vinum pro tritico, & certis talibus. Huiusmodi ergo permutatio neq; præter naturam est, neq; ad amplificationem patrimonij pertinet, cùm sit in supplementum indigentiæ secundũ naturam. Ex hac tamẽ illa processit secundũ rationem. Nam cùm à remotioribus quæreretur auxiliũ, importando illa quibus indigebant, & exportando illa quibus abundabant, necessario numi introductus est vsus. Numisma. non enim facilitèr deferri possunt singula ad vitam necessaria. Quare ad permutationes faciendas tale aliquid composuerunt inter se dare & accipere, quod vtilium quippiam existens, haberet vsum commutandi facilem ad vitam ceu ferrum, & argentum, & si quid aliud tale, primo simpliciter definitum quantitate & ponderę, postmodum vero etiam signo impressum, quo à mensura liberi essent. nam signum positionis est ad quantitatem demonstrandam. Rei petro igitur numo, ex necessaria permutatione, alia species acquirendi emersit numularia: primo forsan simpliciter, postea per experientiam artificiosior. vnde quodammodo permutando, plurimum faciat lucrum. Quapropter videtur numularia maxime circa quæsitum pecuniarum versari, & illius esse opus posse diffenere, vnde proueniat multitudo pecuniarum. numorum enim & diuitiarum effectiua esse, nam & diuitias plerunque ponunt esse multitudinem pecuniæ, ex eo videlicet, quòd circa

illam intendunt pecuniaria & quæstuaria. Contra vero interdum futile quiddam videtur numus & lex omnino, & nequicquam secundum naturam, quoniam mutatis iis qui vtuntur, nullius pretij aut vtilitatis est ad aliquod necessariorum. & locuples numis penuriam patietur necessarij alimenti. Atqui absurdum est, talem esse diuitias affirmare, quarum abundans quis fame perire possit, vt de Mida fabulis traditur, cui propter insatiabilitatem desiderij quicquid apponebatur, fiebat aurum. Quamobrem quærunt diuitias alias, & aliam acquirendi rationē. Et recte quidem. est enim alia acquirendi ratio & diuitiæ secundum naturam. & hæc quidē rei familiaris disciplina: illa vero pecuniaria, pecuniarum effectiua nō simpliciter, sed per ipsarum pecuniarum commutationem. & videtur circa numum ista versari: nam numus primum est, & vltimum in commutatione. Et infinitæ sunt huiusmodi diuitiæ, quæ ab hac ratione rei augendæ proficiscuntur. Vt enim medicina sanitatis in infinitum est, & vnaquæque ars finis in infinitum: nam quam maxime volunt illum efficere: eorum vero quæ sunt ad finem, nemo infinitū: finis enim extremū omnibus: sic & huius rationis augendę rei non est finis terminus.

πτῆσις. Finis autem tales diuitiæ, & pecuniaria * possessio: sed rei familiaris, non augendæ rei nō est finis, non enim hoc est rei familiaris opus. quapropter in hac videtur necessarium, vt sit finis omnium diuitiarum. Sed contra video fieri: omnes enim in infinitū augent, qui pecuniis student. Causa vero huius est illarum propinquitas: variatur enim vsus eiusdem rei, cum sit vtriusque acquisitionis. ipsius enim vsus acquisitio, sed non

non secundum idem. ac huius quidem alius finis, illius vero amplificatio. Quare videtur qui bus fiam hoc esse rei familiaris opus, & perseuerant existimantes oportere aut conseruare, aut augere pecuniam in infinitum. Causa vero est huius dispositionis studium viuendi, sed non bene viuendi. cùm ergo cupiditas in infinitū extendatur, illa quoque quæ efficiunt infinita, cupiunt. Sed qui bene viuere studet, ad fruitionē corporis diuitias quærunt. Vnde cùm hoc quoque in acquisitione consistere videatur, omnis eorum cura circa acquirendum est: & altera augendi species hinc processit. cum enim fruitio modum excedat, illam adhibent quæ huiusmodi excessum adimplere possit. & si per hanc acquirendi speciem nequeant parare, per aliam causam efficere conantur: vnaquaq; freti potentia non secundum naturam. Fortitudinis enim non est pecuniam parare, sed fiduciam animi. neq; rei militaris, aut medicinæ: sed illius quidē victoriam, huius vero sanitatem. At illi cuncta ad pecuniam conuertunt, quasi hic sit finis: ad finem vero cuncta oportet tendere. De illa igitur acquirendi specie, quæ necessaria non est, & quæ fiat ea sit, & propter quam causam illa indigemus diximus: & de illa quę necessaria est, quod altera ab illa, & disciplina rei familiaris, secundum naturam circa alimentum, nec infinita sicut illa, sed finem habens.

De acquisitione necessaria, nummularia, & speciebus eius.

CAP. VII.

EX hoc patet id, de quo ab initio dubitabatur, vtrum gubernatoris domus & ciuitatis

sit acquirere vel non, sed oporteat prius esse acquisitum. sicut enim homines non facie respublica, sed factos à natura suscipiens vtitur illis: sic & alimentum oportet naturam præcere, aut à terra, aut à mari, aut alio quopiam. Sed quemadmodum hęc administranda sint, ad gubernatorem pertinet domus. neq; enim textorię est lanas facere, sed factis vti, & discernere quales sit bona & apta, & mala & inepta. Enimuero dubitaret vtiq; aliquis, cur ea diligentia quæ ad acquirendum pertinet, pars rei familiaris sit: medicina vero non sit eius pars. Atqui sanam esse familiam oportet, quemadmodum & victum habere, aut aliud quiddam necessariorum. sed cum sit vt patrisfamilias & gubernatoris de salute prouidere, sit etiam vt non, sed medici: ita etiam de pecuniis est vt patrisfamilias, est etiã vt non, sed vt lucro inseruientis. Maxime vero (vt prius dictum est) natura oportet hęc existere. naturæ enim opus est alimentum genito præbere. cuique enim ex quo generatur, ex eo alimentum relinquitur. itaq; secundum naturam est parandi facultas omnibus ex fructibus & animalibus. Cum vero & hæc sit duplex, vt diximus, & altera pecuniaria, altera disciplina rei familiaris. & hæc quidem necessaria & laudabilis, illa vero translata & merito improbanda, quia non secundum naturã, sed ab hominibus acquiritur: rationabilissime habetur odio ipsa numularia: quoniã à numo ipso facit acquisitionem, & non ad quod inductus est. Commutationis enim causa numus inductus fuit, ternus autem seipsum maius facit. vnde & nomen vendit quoniam illa quæ pariuntur, similia sunt gignentibus: in fœnore autem numus numum

parit.

parit: quare maxime præter naturam est hic acquirendi modus. Quoniam vero quę ad cognitionem pertinebant, determinauimus sufficienter, illa quæ ad vsum pertinẽt, discutienda sunt. cognita enim hæc considerationem habent liberalem, experientiam vero necessariam. Sunt autem circa acquirendum partes vtiles rerum ipsarum quæ acquirendæ sunt, peritiam habere quæ optimę sint, & vbi, & quomodo: ceu quales boues equi comparandi sint, quales boues, aut pecudes. eodem modo in aliis animalibus. oportet enim peritum esse, quæ istorum potissima, & vbi, & qualia. nam alia alibi potiora gignuntur. Deinde agriculturæ, eiúsque specierum, vt modi soli, & consiti, & apium, & aliorum animalium natatilium, tum volatilium, ex quibus sit vilitas prouentura. maxime igitur propriæ acquisitionis istæ sunt partes, & primæ. Eius vero quæ per translationem dicitur, potissima pars est mercatura. Et huius partes tres: nauigatio, deuectio, negotiatio. differunt autem hæc inter se, cùm alia securiora sint, alia fructuosiora. Secunda pars est fœneratio. Tertia mercenaria, & huius alia vilium artium: alia sine arte, solo corpore ministrante. Est & quarta acquirendi species, media inter hanc & primam (habet enim partem eius quæ est secundum naturam, & partem eius quæ per translationem dicitur) & est in his omnibus quæ à terra, & ab his quæ terræ sunt, non à fructibus, sed ab vtilibus, ceu sylua cædua, & omni metallica. hæc rursus multas complectitur partes: nam species sunt ex terra metallorum species. De singulis horum in genere dictum est nunc: in specie vero de his dicere vtile quidé foret ad opera

cons

conficienda, sed graue nimis in his edocendis persistere. Sunt enim operationes illæ artificiosissimæ, in quibus minimum fortunæ est: illæ sordidissimæ, in quibus maxime inquinatur corpus: illæ seruilissimæ, in quibus corporis est vsus plurimum: illæ vero ignobilissimæ, in quibus minimum requiritur virtutis. Cùm vero sit à quibusdam de his scriptum, vt à Charete Patio, & Apollodoro Lemnio de cultu agrorum tam nudorum quàm consitorum, & similiter ab aliis, de aliis ea quidem, cui cura est, præcepta consideret. Etiam quædam à frugi patribus familias dicta colligere oportet, hæc enim cunctis vtilia sunt his qui augere patrimonium curant.

Thaletis sapientia.

Quale est illud Thaletis Milesij, id enim consideratio quædam est ad acquirendum, sed illa quidem attributum propter sapientiam. est autem vniuersale quiddam. cui cum obiceretur philosophiæ studium propter inopiam, quasi inutile & infructuosum, prospexisse illum terris per Astrologiam, oliuarum vbertatem futuram, cùmq; coegisset pauxillum pecuniarum, hyeme adhuc vigente emptionem olei fecisse in Mileto, & in Chio, pro paruo admodum pretio, vtpote nemine plus offerente, arrhásque dedisse. Cùm itaq; postea tempus venisset, multis subito quærentibus, vendidisse oleum, quanti ipse voluit: ac magnam vim pecuniarum inde superlucratum, ostendisse amicis, perfacile esse philosophis ditari si vellent: sed hoc non esse illis curæ. Thales igitur in hunc modum dicitur sapientiam suam ostendisse. Est autem (vt diximus) vniuersalis hic quærendi modus, siquis possit sibi soli venditionem comparare. Quapropter ciuitates quædam hunc faciunt quæstum, cùm indig

indigent pecuniis: venditionem enim sibi solis reseruant. In Sicilia quidam cum apud eum pecunia reposita esset, ferri quicquid erat ex ferrariis emit: postea vero mercatoribus illuc accedentibus vendebat solus, non magnum excessum pretij faciens, sed tamen ita, vt pro quinquaginta talentis, centum conficeret. Hoc itaque sentiens Dionysius, pecunias quidem illi non ablulit, sed amplius Syracusis morari vetuit: vt qui reditus reperiisset suis rebus inutiles. Isse vidit aliquid tale, quale Thales videtur: vterque enim sibi soli venditionem parauit. Hoc est vtile videre etiam in republica. nam ciuitates pecuniis indigent, & huiusmodi quæstibus, quemadmodum domus, sed & magis, quamobrem in Republica quidem huic soli parti intendunt.

De partibus rei domesticæ, ac differentia, virtutibus mulieris, serui, pueri, imperantis, parentis, & artificum.

CAP. VIII.

QVoniam vero tres erant partes rei domesticæ, vna dominica, de qua supra diximus, alia paterna, tertia coniugalis: Nam & vxori præest & filiis, tanquam liberis quidem ambobus, sed non eodem imperij modo, sed vxori quidem ciuiliter, filiis autem regie: Masculus enim quàm fœmina natura principalior est, nisi alicubi contra naturam constiterit, & quod antiquius est & perfectum, iuniore & imperfecto: In ciuilibus igitur principatibus plerunque commutatur is qui præest, & is qui subest, tam æquales esse volunt secundum naturam nec quicquam differre, attamen cùm hic quidé

præest,

præest, ille vero subest, requirit differentiâ, & figuris. & sermonibus & honoribus. vt Amasis inquit, de pedum lotore. enimuero masculus ad fœminam semper ita se habet. Filiorum autem imperium est regiũ. Quod enim genuit, quodque per amicitiam præest & per ætatẽ, id ipsum est idem quod species quædam regij imperij. Ideo bene Homerus de Ione inquit:

Hominum pater atq; Deorum.

sic appellans totum omnium regem. Natura enim excellere regem oportet, genere autem esse eundem: quod accidit seniori ad iuniorem & parenti ad natum. Manifestum ergo est, quod plus studij domestice disciplinæ est circa homines, quàm circa possessionem inanimarum: & circa horum virtutes, quàm circa virtutes possessionis, quas diuitias appellamus: & circa liberos magis, quàm circa seruos. Primum igitur de seruis dubitauerit quispiam, vtrum præter ministeria, & corporalia opera, sit aliqua virtus serui excellentior: puta modestia, & fortitudo, & iustitia, & alij huiusmodi habitus, vel non sit vlla, præter corporalia ministeria. Ambiguitatem sanè id vtraque ex parte habet. nam siue sit aliqua, excellentiores erunt serui quàm liberi: siue non est aliqua, cùm sint homines rationis participes, absurdum videbitur. Eadem est ferè quæstio de muliere & puero, vtrum & horum sint virtutes, & oporteat mulierẽ esse modestam, & fortem, & iustam: & an puer intemperans, & modestus, an non. Et vniuersaliter id quærendum est de imperante natura & parente, vtrum eadem virtus, an alia. Siquidem oportet vtrosque participes esse virtutis: cur tandem alter imperare debet, alter parere pe-

nitus? Non enim secundum magis & minus possiunt differre. nam imperare & parere specie differunt, & non secundum magis & minus. Sin vero alium oportet, alium non, admirabile est. Nam si imperans non erit temperatus & iustus, quomodo bene imperabit? Sin is cui imperatur, quomodo bene parebit? intemperatus enim & timidus, nihil faciet vt oportet. Constat igitur oportere vtrosque habere virtutem, sed ipsa virtute esse differentiam: quemadmodum in his quæ natura obediunt, id aperte in animo inspicitur. est enim in animo quod natura imperat, & quod paret: quorum diuersam censemus esse virtutem, & vt rationem habentis, & irrationalis. patet igitur eodem modo se habere in aliis. Quare pleraque sunt natura imperantia & parentia. Alio enim modo liber præest seruo, & masculus fœminæ, & vir puero. & omnibus insunt partes animæ, sed differenter insunt. seruus enim omnino non habet deliberandi arbitrium. mulier vero habet quidem, sed inualidum: puer autem habet, sed imperfectum. Eodem igitur modo se habere necesse est & circa morales virtutes. Putandum est autem omnes participes esse oportere, sed non eodem modo, sed quantum cuique opus est. Ex quo fit, vt is qui imperat, perfectam virtutem habere debeat moralem (nam eius opus est simpliciter præcipientis ac præsidentis: ratio autem præcipit atque præsidet) aliorum vero vnusquisque quantum sibi competit. Quare patet virtutem moralem esse omnium supradictorum. Nec eadem temperantia mulieris & viri, neq; fortitudo, neque iustitia, vt Socrates putabat: sed hæc quidem iubens

fortitudo

fortitudo, illa vero obediens. eodem modo & in aliis. Patet autem id magis particulariter cõsiderantibus. nam qui vniuersaliter dicũt, quòd bene se habere animum virtus est, & recte agere, aut aliquid tale, seipsos decipiunt. multo enim melius dicunt, qui enumerant virtutes, quemadmodũ Gorgias, quàm qui ita definiunt. Quapropter oportet sicut posita de muliere dixit, ita censere in omnibus: *Mulieri decus offert taciturnitas. sed non ita vira.* Cùm vero puer sit imperfectus, patet, quòd & huius virtus non ipsius ad seipsum est, sed ad perfectum & ducem. similiter & serui ad dominum. posuimus autem seruum esse vtilem ad necessaria. quapropter patet ipsum virtute indigere parua, & tanta vt neque propter intemperantiam, neque propter timiditatem in operibus deficiat. Dubitabit vero aliquis (si verum est quod nunc diximus) vtrum artifices oportet habere virtutẽ. nam sæpe propter intemperantiam deficiunt in operibus. At hoc longe differt. nam seruus quidem adiuuat nobis communione vitæ: ille autem remotior est: & tantum sibi competit virtutis, quantum seruitutis. vilis enim artifex determinatã quandam habet seruitutem. Et seruus est secundum naturam. sed nemo sutor, nec alius opifex. Patet ergo quòd huius quidem virtutis causam esse oporteat dominum seruo, non eum qui doctrinam habet in operibus dominicam. quapropter non bene dicunt, qui seruos spoliant ratione, dicentes præcepto vti duntaxat. admonendi sunt enim magis serui quàm pueri. Et de his in hunc modum determinatum sit. De viri autem & mulieris, filiorũmque & patris virtute, & conuersatione ad inuicem, quid recte vel contra, & quomodo

quomodo oportet, hoc quidem facere, ab illo autem abstinere, in his quæ in republica conspiciuntur, necesse est inueri. Nam cum omnis domus sit ciuitatis pars: illi autem domus: partis autem virtus ad totum respicere debeat: necessarium est respicienti ad rempublicam filios recte instituere. si quidem refert ad rectam institutionẽ reipublicæ pueros & mulieres esse bene institutos. Enimuero referat necessarium est. nam mulieres media pars sunt hominum liberorum: ex pueris autem sumuntur qui rempublicam gubernent. Quare cùm de his determinatum sit, de reliquis autem in aliis sit dicendum, omissis propositis, tanquã finem habẽtibus, alio sumpto principio differamus: ac primum illa discutiamus quæ tradita sunt de optimo ciuitatis statu.

ARISTOTELIS POLITICORVM LIBER SECUNDVS.

SVMMA LIBRI.

Diuersæ Respublicæ examinantur, multæ comparantur, ac improbantur.

Non omnem vnionem, ac communitatem in ciuitate quærendam esse, contra Socratis rempublicam apud Platonem.

CAP. I.

QVoniam propositum est considerationé facere de ciuili societate, quæ sit optima omnium iis qui possunt viuere maxime ad votum: oportet alias quoque considerare respublicas, quibus vtuntur ciuitates aliquæ earum, quæ bene legibus institutæ videntur: & si aliquæ sint aliæ ab aliquibus scriptæ, quæ bene se habere videantur, vt recta institutio vtilisque apparcat. Nec putetur esse ad ostentationem & superfluitatem, quærere aliud quippiam præter illas: sed quia illæ non se habent, ideo hunc laborem à nobis esse susceptum. Incipiendum est autem ab eo, quod est secundū naturam huius considerationis principium. Necessarium quidem est, aut omnia esse communia inter ciues, aut nulla,

nulla, aut quædam. Enimuero nulla esse cōmunia, impossibile cōstat esse ciuitas sit communio quædam. Ac primo necesse est locū esse cōmunem, nam locus quidē paritas est vnius ciuitatis: ciues autē socij vnius ciuitatis. Sed vtrū melius fuerit in bene instituēda republica, quæcunq; recipere communioné possunt, ea omnia esse communiaran quædam cōmunia esse, quædam nō esse? Nam fieri posset vt filij, vt vxores, & res quę possidentur, communes essent, quēadmodū in Platonis Republica. ibi enim Socrates inquit, oportere communes esse filios, & mulieres, & facultates. Id vero vtrum præstat ita fieri, vt nunc fit, vel secundum legem illam in republica scripta? Continet porro & alias * turbationes permultas ista mulierum communio. & id, propter quod censuit legem hanc esse ferendā, non videtur consequi ex rationibus. Præterea ad finem, quem inquit oportere ciuitati existere (vt nunc quidem dictum est) impossibile. Quomodo autem distinguere oporteat, nihil ab eo determinatum est. dico autem, vt quòd vna videlicet sit ciuitas tota, tanquam id sit maxime optimum. suscipit enim hanc suppositionem Socrates. Atqui cōstat, quòd ea si procedat, vt vna fiat magis, ciuitas non erit. Est enim ciuitas multitudo quædam secundum naturam, quæ dum fit vna magis, domus erit ex ciuitate, & homo ex domo. vnam enim magis domum cēsemus esse quàm ciuitatem, & hominem vnum quàm domum. quare etiam si posset quispiam hoc facere, tamen non esset faciendum, quia perimit ciuitatem. Nec solum ex multitudine hominum constat ciuitas: verum etiam ex eorum multitudine, quia specie differunt. non fit enim ciui-

* δυσχέρειας.

tas ex similibus, aliud enim ad bellum conferatio quàm ciuitas. illa enim quantitate prodest, & si eadē sit specie, cùm auxilij gratia fiat, ceu si pondus magis attrahat. Differt autem & eo modo ciuitas à gente, quando per pagos diuisa non sit multitudo, sed quemadmodum Arcades. Ex quibus autem vnum fieri oportet, specie differunt, quapropter æquale repensum ciuitatem conseruat, vt in Ethicis dictū est prius. quoniam inter liberos & æquales necessariū est hoc esse. nam omnes simul magistratum gerere impossibile est, sed aut per annum, aut per aliam præfinitionem, & tempus. atque isto modo fit, vt omnes gerant magistratum: ceu si mutarentur sutores & fabri, nec semper idem sutores ac fabri essent. Cum vero melius sit, ita se habere ea quæ sunt circa societatem ciuilem, manifestum est melius fore, si idem semper magistratum gereret, modo id fieri posset. Sed in quibus hoc fieri nequit, propterea quòd omnes natura sunt pares, simul est iustum (siue bonum, siue prauum sit gerere magistratum) vt omnes huius muneris participes fiāt, & in eo imitari vicissim æquales, cedēdo inuicem alios aliis, vtpote qui ex principio sint æquales. nam alij regunt, alij regūntur in parte, tanquam si ipsi alij nūc eodem modo illorum qui regunt, alij alios gerunt magistratus. Patet igitur ex his, quòd non recipitur hic vnam aptam esse ciuitatem, ceu dicunt quidam: & quod maximum fore commodum ciuitatibus dicebatur, id interimit ciuitates, ac qui singulorum bonum singula conseruat. Patet etiam alio modo, quòd quærere vnium vnire ciuitatem, non est melius. Domus enim magis sufficiens est, quàm homo vnus: ciuitas autem quàm domus, & vult quidē nū esse ciuitas, cùm habet sufficiētiam multorum societas. Si igitur magis expetendum est, quod magis sufficiētiam habet, certe & minus vnum, eo quod est magis, expetibilius est.

Socratica opinionis improbatio. mulierū, ac filiorum communitatem in republica constituentis.

CAP. II.

ENimuero nec si optimum sit vnum quàm maxime esse ciuitatē, tamen id demonstrare non videtur ex sermone, si omnes simul dicēt meum, & non meum. hoc enim Socrates putat signū esse ciuitatis perfectè vnitæ. At enim verbum Omnes, duplex est. Si igitur tāquam singuli, forsan esset magis, quod efficere vult Socrates. singuli enim eundem filium suum dicerent, & mulierem eandē, & de facultatibus, & de quibuscūq; aliis alia eodem modo. Nunc autem non ita dicunt, qui communibus vtūtur mulieribus, & filiis: sed omnes quidē, at non vt singuli ipsorum. eodemq; modo de facultatibus, omnes qui dem, sed non vt singuli eorum. Quòd igitur aberratio quædam fit in verbo, Omnes, manifestum est. nam & vtraq;, & imparia, & paria dicit propter duplicitatem, & in sermonibus posita litigiosos facit syllogismos. quare hoc ipsum, Omnes, dicere, vno quidem modo bonum est, sed neq; aquam possibile: alio autē modo nihil conferaneum. Habet præterea quod dicitur, nocumentum aliud. quod enim multorum commune est, in eo minima adhibetur diligentia. nam de propriis maxime curant homines, de cōmunibus autem minus quàm quantū singulis competit. tanquā enim alio curante, ab aliis negli-

guntur, quemadmodum in seruilibus ministeriis, famulantes multi interdum deterius inseruiut, quàm pauci. Fiunt autem vnicuiq; ciuium mille filij, & hi non vt singulorum, sed vt cuiusuis quiuis similiter est filius. quare omnes similiter negligẽt. Præterea isto modo singuli suum dicent bene agenté aut male, quotiescúque contingat numero. puta, meus est aut illius, hoc modo dicens de singulis ex mille, vel ex quot ciuitas sit, & hoc dubitans. nam incertũ est cui contigerit genuisse filium, & saluum esse genitũ. At qui vtrum præstat sic dicere suum, ita vocantes vnumquemq; duorum milliũ, & decẽ milliũm magis vt nunc in ciuitatibus suum vocant, hic quidem filium suum, ille fratrem suum, ille nepotem suum, aut per aliam quandá consanguinem & ex consanguinitate, vel familiaritate, & affinitate sui primum, vel suorum. & præterea alterum sodalem, alterum contribulem? præstat enim esse proprium nepotem, quàm illo modo filium. Quinimo nec vitari quidem potest, quin agnoscantur à quibusdam fratres & filij, & patres & matres. nam per similitudines natorum ad parentes, necessarium est vt fidem accipiant de esse inuicem. Quod tradunt scriptores quidá populi superioris Libyæ euenire. Habere enim mulieres communes, filios tamen partiri inter se secundum similitudines. † Sunt enim mulierum ea natura est, vt simillimos genitoribus edant fœtus, vt equa illa apud Pharsaliam, lusta nuncupata. Et præterea huiusmodi molestias non facile erit vitari ab iis qui eam statuunt cõmunitatem: puta, plagas & neces partim voluntarias, partim inuoluntarias, & rixas, & iurgia quæ

† al. cod. ad vnum.

nefas est committere aduersus parentes & propinquos, magis quàm aduersus extraneos. Sed frequentius illa euenire necesse est, vbi ignorãt quàm vbi sciunt. & ea si contingant, à scientibus expiari debito modo possunt, ab ignorantibus vero non possunt. Illud etiam absurdum, quòd qui filios communes fecerunt, coire solum amãtes voluerunt, amare vero non voluerunt: nec alios vsus, quos esse patri ad filios, & fratri ad fratrem, omnium deformissimũ est, cum & amare solum. Absurdũ etiam non aliam ob causam coitionem illorum vetuisse, nisi quia nimia voluptas inde sit prouenturus: sed quia pater sit, aut filius, aut fratres ob eam rem nihil putare referre. Videtur autem magis prodesse, vt agricolis communes sint mulieres & filij, quàm custodibus. minus enim erit amicitia, si communes sint nati & mulieres. enimuero tales sint quibus imperaneat, oportet, quo ipsi pareant imperio, nec res nouas in ciuitate moliantur. Penitus autem contrariũ euenire necessarium est ex huiusmodi lege, quàm ea quorũ causa optimas leges esse oportet, & quàm id cuius gratia Socrates censet ita instituendum de natis & mulieribus. Amicitiam enim putamus maximum esse bonũ ciuitatibus. nam sic minime seditionibus agitabuntur. Et vnam esse ciuitatem laudat maxime Socrates: quod & videtur, & ipse inquit esse amicitiæ opus, vt in amatoriis sermonibus scimus dicentem Aristophanem, propter eximiam amãtiam cupiditatem, applicari simul, & ex duobus fieri vnum, hic ergo necessarium est ambos corruptos esse, vel vnum. At in ciuitatibus necesse est amicitiam infirmam fluxámq; fieri propter huiusmodi communitatem, & minime dicere

Vide comitẽ Platonem.

suum, aut filiũ patrem, aut patrẽ filium. Vt enim
*μικρὸν γλυκύ. parum mellis multa in aqua diffusum, incensi-
bilem facit mistionem, sic accidit communita-
tem istam, nequaquam necessariam in tali re-
publica, à nominibus extimantibus vel patrem vt
filij, vel filium vt patris, vel fratres inuicem exi-
lem profecto beneuolentiam efficere. Duo enim
sunt quæ faciunt homines curam habere & a-
mare: proprium scilicet, & affectio. quorum neu
trum sit necesse est in huiusmodi republica. In-
super translatio illa natorum ex agricolis, & ar
tificibus in custodes, & ex his in illos, magnam
continet difficultatẽ, quemadmodum tandem
fieri, & cognoscãt necesse est dantes & trãsferen
tes, quibus quos dedant. Præterea & superflua
dicta magis in his necessarium est euenire, pu-
ta rixas, & plagas, & amores, & cædes. nam non
amplius appellant custodes fratres & filios, &
patres & matres, qui aliis ciuibus deduntur: &
rursus qui ex custodibus, aliis ciuibus, vt tale ea-
ueant aliquid perpetrare propter consanguini-
tatem. De communitate igitur natorum & mu-
lierum determinatum sit in hunc modum.

*Contra eõdem de facultatum communitate ac magi-
stratuum in repub. constitutione: vbi errata sua
causa exponuntur.*

CAP. III.

His consequens est de rebus quæ possiden-
tur, considerare, quomodo sit constituen-
dum illis, qui in optima republica versari de-
beant: vtrum communes esse debeant, vel non
communes. Hoc seorsum determinandum est,
nec simul cum his quæ de natis & mulieribus
constituuntur. Dico autem circa res, vtrum & si

sint nati mulieresque separatim, quemadmo-
dum nunc sunt omnibus, præstet tamen res esse
communes & vsus. puta, vtrum præstet fundos
proprios esse, fructus vero in commune confer-
re: quod apud quasdam sit gentes. vel contra,
solum quidem commune esse, & communiter
colli, fructus autem partiri in proprios vsus:
quod etiam facere dicuntur quidam Barbaro-
rum, vel & fundos, & fructus esse communes.
Si ergo alij forent agricolæ, alius esset modus
& facilior: sed cùm ipsi sibi laborent, ea quæ ad
possessiones attinent, plures præbebunt difficul-
tates. Nam si in fruendo & laborando non sint
pares, necesse est incusationes existant. contra
fruentes quidem & consumentes multa, parum
vero laborantes, ab his qui minus consumunt,
& multum laborant. Omnino autem cõuictus,
& communitas rerum humanarum omnium
difficilis est, & maxime in his rebus. Probant
autem eorum qui vna peregrinantur societa-
tes, quorum plerique ferè dissident inter se de
paruis vilibusque rebus offensi. nos quoque mi-
serit illis plurimum irascimur, quibus maxi-
me vtimur ad circularem famulatum. Commu-
nes igitur habere res, has & huiusmodi alias
necesse est difficultates. Eo autem modo quo nũc
se habent insuper moribus & moderatione legum re
ctorum honestetur, non parum distabit. habebit
enim vtriusque commoda. dico autem vtriusq;
videlicet, eius quod communes sint res, & eius
quod propriæ. Oportet enim omnino vt res
sint propriæ, sed quodammodo communes. cu-
ræ enim diuisæ incusationes adinuicem non
pariunt: imò proficient, vtpote ad proprium
vnoquoque sedulo incumbente, at vero per vir-

tutem erunt ad vsum (vt est in prouerbio) quæ sunt amicorum communia. Est autem etiam nunc quibusdam in ciuitatibus in hunc modum subscriptum, ne putetur impossibile. & præcipue in iis quæ bene gubernantur, aliqua sunt, aliqua esse possunt. propria enim sua quisque possidens, partim vtilia facit amicis, partim vtitur communibus. vt in Lacedæmone seruis vtuntur vicissim, tanquàm forent vniuscuiusq; & præterea equis, & canibus, & vehiculis. Patet igitur esse melius vt propriæ sint res, sed vsu facere illas communes. quemadmodum autem hoc fiat, legislatoris erit prouisio. Est sanè inenarrabile, quantum interest ad voluptatem, considerare aliquid esse proprium sui. non enim frustra quisque ad seipsum amicitiam habet. est vero id naturale. Sed cum amatio sui reprehenditur, non illud reprehenditur, quia se amet, sed quia magis quàm oportet se amat: quemadmodum amatio pecuniarum. nam amant omnes, vt ita dixerim, talia. Atqui & largiri, & opem ferre amicis, & hospitibus, & familiaribus, dulcissimum est. quod fit, si propriæ sint facultates. hæc autem non contingunt illis, qui nimis vnam efficiunt ciuitatē. Et præterea duarum virtutum opera manifestè tollunt, temperantiæ erga mulieres alienas (ab his enim opus laudabile est se ob temperantiam abstinere) & liberalitatis circa res possessas. neque enim discerni poterit liberalis, neque liberalem operationem faciet vllā. nam in vsu earum rerū quas ipsi possidemus, liberalis est opus. Illiusmodi itaque legis positio faciem habet apparentem, & humana videri possit. auditor enim libenter recipit, putans fore mirabilem quandam amicitiam

citiam omnibus erga omnes: præsertim cùm quis incommoda accusat rerum publicarum, nunc prouenientia ex eo, quia non sint communes omnium facultates: ceu litigia ex contractibus, falsorum testium accusationes, diuitum adulationes: quorum nihil fit propter proprietatem, sed propter improbitatem. Cum etiam res in communi possidentes, rerúmque vsurpes communione, multo magis inter se litigare videamus, quàm eos qui separatim possident. sed videmus vel paucos qui in communione degant, magis dissidere, quàm multi, quorum propria quisque sua habeat, si conferamus vtrosque. Insuper æquum erat referre, non solum quantis malis priuabantur, si communitatem rerum habebunt, sed etiam quantis bonis. videtur autem omnino impossibilis esse illa vita. Causam vero Socrati huius erroris putandum est fuisse, suppositionem non rectam. Oportet enim quodammodo vnam esse ciuitatem & domum, sed non penitus. est enim quò si procedat, non erit ciuitas. est etiam quò erit quidem prope vt non sit ciuitas, deterior ciuitas: velut si quis concentum faciat vnisonum, & vertisim pedem vnum: sed oportet cùm sit multitudo (vt prius diximus) per disciplinam, communem & vnam efficere. Et qui disciplinam sit adhibiturus, volens per illam studiosam facere ciuitatem, absurdum est, si per talia quædam instituendam putet, ac non per mores, & per philosophiam, & per leges: veluti seruorum iumentorumque possessionē in Lacedæmone, & conuiuationem in Creta legislator communem induxit. Neque illud sanè ignorandum est, quia oportet ad lōgum temporis, ac multos agnos

annos inspicere, in quibus haudquaquam poterit latere, an recte se habeant. ferme enim omnia inuenta sunt quidem, sed alia non inducta, alia ab expertis repudiata. Maxime autem id apparet, si quis per opera inspiciat rempublicam sic institutam: non aliter enim potuerit fecisse ciuitatem, nisi separet illa atque distinguat, partim in comessationes, partim in genera, partim in tribus. Itaque nihil aliud contigit lege prouisum esse, nisi vt custodes agros non colant, quod nunc Lacedæmonij facere cœperant. Modus vero totius reipublicæ quis futurus sit in commune degentibus, neque Socrates ipse inquit, neque dictu facile est. Atqui multitudo ciuitatis diuersorum ciuium est multitudo, de quibus nihil determinatum est, an & agricolis communes esse facultates oportet, vel proprias singulorum, præterea virum mulieres & pueros proprios vel communes. Si enim eodem modo communia sint omnia omnium, quid different isti ab illis custodibus? vel quid plus accedet sustinentibus eorum imperium? vel quam ob causam imperium sustinebunt? nisi forte prætexunt aliquid tale quale Cretenses, qui cætera omnia seruis permittentes gymnasia solum illis vetuerũt, & armorum possessionem. Quòd si vt in aliis ciuitatibus, ita apud illos talia erunt, quis modus erit communitatis? necesse est enim duas ciuitates in vna esse ciuitate, & eas inter se contrarias. facit enim alios quidem custodes, quasi in præsidio constitutos, alios agricolas, & artifices, & cæteros ciues. Litigia vero, & iurgia, & quæcũq; alia mala ciuitatibus prouenire inquit, omnia prouenient etiam istis, quanquam dicat Socrates,

tes, fore, vt non multum legibus indigeant. propter disciplinam, veluti citra res vrbanas, & circa forum, & alias huiusmodi legibus, tribuens solum disciplinam custodibus. Insuper dominos facit finitarum rerum, agricolas, ac tollere permittit. At multo magis putandum est fore illos graues & insolentes, quàm illas quæ apud quotidiam sunt, lloteias, & penesteias, & duleias. Innumero siue necessaria sint hæc similiter, siue non, nihil nunc quidem determinatum est, neq; de consequentibus quæ sit eorum administratio, & disciplina, & leges quædam. Est autẽ neq; facile reperire, neque parũ referens, quales hos esse oporteat ad cõseruandam custodum communionem. Atqui si mulieres faciet communes, facultates vero proprias, quis curam habebit rei domesticæ, vt habent agriculturæ viri, quamuis sint communes facultates, & agricolarum mulieres? Absurdum etiam ex bestiis facere similitudinem, quòd conueniat eadem exercere mulieres, quæ viri, ad quos rei domesticæ cura nequaquam pertinet. Periculosa est insuper magistratuum constitutio, quã sic facit Socrates, vt semper sint iidẽ. At hoc seditionis est causa, etiam apud illos qui nullam possident dignitatem, quid ergo apud bellicosos & animosos viros? Quòd autem ipsi necessarium sit, cosdem semper magistratus facere, patet. non enim aliorum modo, & modo aliorum miscetur animi dominum illud aurum, sed semper eisdem. Inquit autem quibusdam statim à genitura auream misceri, quibusdam argentum, æs vero & ferrum illis, qui artifices futuri sunt, aut agricolæ. Præterea custodibus sollicitarem auferens, tonam, inquit, ciuitatem facere beatam oportet legisla

gislatorem. At impossibile est totam esse beatã, nisi aut plurimæ, aut omnes partes, aut quædam habent felicitatem. non enim eorundem est felicitas, quorũ & * par. sic enim vt insit toti, & si nulli partium, at felicitatẽ impossibile est. Quòd si custodes non erunt felices, qui tandem alij? non enim artifices quidem, neque vulgus. Illa igitur respublica, de qua Socrates locutus est, has continet difficultates, & alias his non minores.

* ἀμέλει alij vertunt integrum.

De ea reipub. Socratis parte, in qua de legibus agit, & eius redargutio.

CAP. IIII.

FErme autem similiter circa leges quoque se habet postea scriptas: quapropter & de illa reipublicæ parte hic cogitare parum, nedum erit. Etenim in republica de paucis admodum determinauit Socrates: vt de mulierum & natorum communitate, & de rebus possessis, ac de institutione reipublicæ. Diuisit enim in duas partes multitudinem habitãtium, in agricolas, & propugnatores bellitertiam ex iis fecit, eos qui consultant ac deliberant, & in quibus summa reipublicæ constitit autoritas. Agricolæ vero & artifices, vtrũ nullius magistratus, an alicuius participes sint, & vtrum arma possidere debeant & vnà pugnare, nihil determinauit Socrates, sed mulieres censet vnà pugnare debere, ac disciplinam habere, eandem quam custodes, cætera vero extraneis peregit sermonibus, & disciplinam custodum qualem esse illam oportet. Legum autem maxima quidem pars leges existunt publicæ, pauca vero de republica dicta quam dum pergit communiorem facere, paulatim

latim circumagit in aliam rempublicã. Præter communicatem enim mulierum & rerum possessarum, cætera eadem vtrisque attribuit: nam & disciplinam eandem, & vt abstinentes viuant ab operibus necessariis. Et de comessationibus eodem modo: præterquam quòd hic existimat mulierum quoque comessationes esse debere, & hanc mille habentiũ arma, illam vero quinquillium. Superfluum ergo quiddam, & comptũ, & nouum, & dubitatiuum omnes Socratis habent sermones, sed cuncta recte, forsan difficile. Nam etiam multitudo illa, de qua nunc dicebatur, latere non oportet, cum tanta sit, quòd Babylonia, aut alia quadam infinita regione indigebit, ex qua ociosorum quinque millia cum mulierum ac ministrantium multiplici turba alantur: Suppositiones quidem sunt pro arbitrio faciendæ, non tamen impossibiles. Dicitur autem debere legislatorem ad duo respicere in ferenda lege: ad regionem, & homines, addẽdum est, & ad vicina loca, si oportet ciuiliter viuere cupitatem. non solum enim necessariũ est ipsam talibus vti ad bellũ armis, quæ vtilia sint in sua regione, verũetiam quæ in aliena. Quòd si quis huiusmodi non recipit vitam, neque priuatim, neque publice, nihilominus tamen oportet terribilem esse hostibus, non venientibus solum in regionem, verumetiam abeuntibus. De modo quoque rerum possidendarum videndum est, ac forsan melius sit aliter definire & clarius. Tantas, inquit, possidere oportet, vt modeste viuatur: perinde ac si dicat, vt bene viuatur. Verũ hoc est nimis generale: & est modeste viuere, ignoscẽ tamen, at melius est dicere modeste, & liberaliter. separatim enim vtrũque, alterum

luxu

luxuriæ accommodabitur, alterum difficultati. † cum solæ huiusmodi virtutes habitus sint circa vsum facultatum nostrarum: puta, patrimonio manusuete vel fortiter vti non dicimur, ac modeste & liberaliter dicimur: quare necessarium est circa illud istas versari virtutes. Absurdum quoque est cum facultates adæquauerit, de ciuium multitudine nihil determinare, sed indefinitam relinquere multitudinem filiorum, quasi sufficienter adæquatam propter sterilitates, quotcunque contingant, quod videtur nunc quoque euenire in ciuitatibus. Sed opus est vt aliam certitudinem tunc habeat quam nunc. nã nunc quidem nemo dubitat, eo quòd in singulos diuisæ sunt facultates in quãtamcunq; multitudinem: tunc vero cum sint indiuisæ, necessarium * πρὸς ζῶσας. adjunges. « dispares nihil habere, siue pauciores sint multitudine, siue plures. Magis autem potest quis oportere determinatum esse modum procreandorum filiorum, quàm facultatum: vt non plures quàm determinatum sit procreari oporteat, & numerus definiendus est respectu habito ad fortunas, si contingat decedere aliquos, & ad defectum procreandi cæterorum. Prætermittere autem id, vt in plerisque ciuitatibus, necesse est egestatis sit causa ciuibus egestas vero seditiones & delicta parit. Itaque Phidon Corinthius, vnus ex vetustis legumlatoribus, familias censuit æquales permanere debere, & ciuium multitudine, quamuis sortitiones habebant prius omnes inæquales secũdum magnitudinem, at in his legibus cõtrarium est. Verum de his, quemadmodum statuendum putemus, postea erit dicẽdum. Omissum est etiam in illis legibus, quemadmodum differant præsides à subiectis. Inquis enim

† ad. cũ solæ huiusmodi virtutes sint.

enim oportere, quemadmodum ex alio lanæ filum ducitur quàm lini, sic & eos qui præsunt, se habere debere ad eos qui subsunt. Cum vero totam substantiam augeri dixerit vsque ad quantuplum, quare hoc vtique non erit in regione vsque ad aliquid? Videndum est etiamne ædificiorum diuisio non prosit ad rem familiarem. duas enim cuique domos attribuit: at difficile est duas habitare domos. Tota vero constitutio † vult esse neque plebis gubernatio, neque paucorum potentium, sed horum media, quam vocant rempublicam. est enim ex iis qui arma ferunt. si igitur vt communissimam omniũ hanc ciuitatibus constituit rempublicam, recte forsan dixisset vt optimam post primam rempublicã, non recte. forsan enim Lacedæmoniorum respublicam quis magis probabit, vel aliam quandam magis optimatium. Sunt qui dicant optimam rempublicam ex omni genere gubernationum admistam esse debere, atque ob id Lacedæmoniorum laudant rempublicam: cõstare quidem illam ex paucorum potentia, item ex vno principe & populari statu affirmant, ponẽtes regem illorum pro vnius gubernatione, senatum vero pro paucorum potentia: ephoros autem pro statu populari, quoniam ephori ipsi ex plebe sumuntur, alij ephoratum quidem tyrannidem putant, sed populariter regi per cõmessationes, & alium quotidianum victum. Sed in his legibus dictum est, optimam rempublicã ex populari statu constare debere, ac ex tyrannide aliquas aut non reponat quis omnino inter species rerum publicarum: aut deterrimas omnium esse fateantur. Melius ergo dicunt qui plures commiscent: nam quæ ex pluribus constat

† apparet.

respublica, melior est. Deinde nihil videtur habere ex vnius gubernatione, sed ex paucorũ potentia ac populari statu, verum ad paucorũ potentiã inclinare magis, quod patet ex magistratuum creatione. nam quod ex delectis sortitio fiat, cõmune est vtrisq;. Sed quòd necesse sit ditiores concionẽ habere, & magistratus creare, vel aliud quippiã huiusmodi publicorum negotiorũ facere, alios vero præteriti, id paucorum potentiæ est. Insuper conati, vt plures ex diuitibus ad dignitates sumãtur, & ad maximas quidem ex maximo cẽsu, paucorũ potẽtia est, & senatus delectio. Deligũtur enim cuncti ex necessitate, sed ex primo cẽsu: postea totidẽ ex secundo, postea ex tertio, verum non omnes necesse erat ex tertio vel quarto assumi, ex quarto autẽ quartorum solis necesse est primis & secundis, postea ex his æqualem ex singulis censibus numerum esse sumendum inquit, erunt itaq; plures & potentiores, qui ex maximo censu sumãtur, † quia necesse non est. Quòd igitur non gubernatione plebis, ac vnius principatu constabit huiusmodi respublica, ex his patet: parebit etiam postea, cùm de ea specie reipublicæ nõ ambimus. Habet etiam circa magistratuũ creationem, quòd ex delectis deligantur, periculosum quippiam. Nam si aliqui conspirare velint etiam mediocri numero, semper secundum horum voluntatem fiet assumptio. In legibus igitur illa respublica ita se habet.

† ad. Lexad. propter-ea quia ex plebe quidã non sumuntur.

De Phalea, quæ & Carthaginensiũ est respublica.

CAP. V.

SVnt vero & aliæ quædã respublicæ tum idiotarum, tum philosophorum, & in administratione ipsarum versatorum. Omnes autem hæ propinquiores sunt illis, secundum quas nũc reguntur, quàm istæ duæ. nullus enim neque de communitate filiorum, neque de mulieribus talem aliquã introduxit nouitatem, neq; etiam de fœminarum comessationibus, sed à necessariis magis inchoant. Videtur quibusdam maximũ, vt de patrimoniis recte constituatur. nam hinc seditiones oriri cunctas asserunt. Quamobrem Phaleas Carthaginiẽsis ante omnia de hac parte cõstituit. Inquit enim patrimonia ciuiũ æqualia esse debere, hoc autem perfacile factu esse, si statim ab ipsa cõditione ciuitatis prouideretur. Postquam vero condita foret, difficilius quidẽ, attamen satis mature adæquari posse, si diuites dores dent neque accipiant, pauperes autẽ contrà, accipiant dores, & non tradant. Plato autem in legibus suis vsque ad aliquid censuit esse permittendum. nam supra quincuplum eius quod foret minimum, nemini licere ciuium possidere, vt prius diximus. Sed oportet ne id quidem latere legislatorem (quod certe nunc latet) quòd qui patrimonio modum imponit, debet etiam filiorum numero modum imponere. nam si excedat multitudo filiorum patrimonij facultatẽ, necessarium erit legem abrogare: & sine illa abrogatione improba lex erit, quoniam ex diuitibus pauperes facit, opus est ergo, ne tales seditiosi efficiantur. Quòd igitur valet aliquid in republica patrimoniorum exæquatio, & veterum aliqui videntur cognouisse, vt Solon constituit, & apud alios lege cauetur, vt non quantum quisque velit, sed quantum lex permittit, agri possideant. Eadem quoque ratione patrimonia sua alienare leges vetant: vt est apud Lo-

*Plato.

cros lege cautum, ne quis patrimonium alienare posset, nisi euidentem calamitatem ostenderit superuenisse, præterea vt antiquæ hæreditates cõseruentur. Quod sublatum apud Leucadas valde populatem eorum ciuitatem effecit. non enim amplius euenit, ex taxatione census ad magistratus assumi. Sed & æqualitatem quidem patrimoniorum constituit: verum hæc aut ita magna esse, vt deliciari liceat: aut ita exigua, vt tenuiter victum agant. Patet igitur non sufficere patrimonia exæquata fuisse à legislatore, sed medium coniectandũ esse. Præterea si quis mediocria statuat omnibus patrimonia, nulla vtilitas est. magis enim cupiditates adæquandæ sunt quàm patrimonia, hoc autem fieri non potest, nisi sufficienter disciplina ciuibus adhibita per leges. Sed forsan responderet Phaleas, hoc ipsum se dicere. Censet enim horum duorum æqualitatem ciuitatibus inesse debere, patrimonij scilicet, ac disciplinæ, sed quæ tandem haec disciplina sit exprimendum fuit: & vnam eandémque esse, nihil prodest. nam fieri potest, vt sit vna eadémque disciplina, verum eiusmodi, per quam cupidi fiant pecuniarum, aut honoris, aut vtriusque. Insuper seditiones oriuntur, nõ solum ob patrimoniorum, verum etiam ob honorum inæqualitates. & hoc diuersum in vtroq; nam multitudo quidem grauiter fert inæqualitatem patrimoniorũ. præstantes autẽ viri honorum æqualitatem. vnde illud natum est:

Honori succumbat tam ignauus, quàm bonus.

Non solum vero homines propter necessaria iniuriantur, quorum remedia putant adæquationem patrimoniorum, ne spolient alios propter frigus, aut propter famem, verumetiam ve

gaudeant, neq; concupiscant. nam si maiorem habeant necessariorum cupiditatem, ob huius medelam iniurias inferunt. Non ergo ob hanc solum, verumetiam si concupiscant vt molestia careant, & voluptate fruantur. Quod igitur horum trium remedium est? his quidem exiguum patrimonium & opificium, illis autem temperantia: tertiũ vero si quis velit per illa delectari, non aliunde quàm à philosophia quærat remedium. nam cæteræ quidem hominibus egent, cũ iniurias inferunt plurimum propter superfluis, non propter necessaria: puta tyrannidẽ inuadunt, non vt frigus repellant, quia propter hos maximus habetur, non ei qui furem occiderit, sed ei qui tyrannum. Itaque Phaleas paruis duntaxat iniurijs hac sua reipublicæ constitutione succurrit. Præterea multa statuere pergit, per quæ ad seipsos recte instituti erunt, sed oportebat quoque ad finitimos, & peregrinos omnes. Necesse est ergo constituram esse rempublicam ad bellicum robur: de quo ille nil dixit. Eodem modo de facultatibus. tantas enim esse oportet, vt non solum ad ciuium vsum, verumetiam ad pericula externa sufficiant, quare nec ita magnas esse decet, vt finitimi concupiscant, quibus resisti nõ possit: nec rursus ita parvas, vt cum paribus & similibus bellum nequeant sustinere, ille quidem nihil determinauit. Oportet autem neque id latere, quantas facultates habere conducat. Forte recta determinatio fuerit, tantas esse debere, vt luerum superantibus bello, afferre non possint, sed ita quasi nihil superacquirant. Quare Eubolus considerans iussit Autophradatem cum Atarnea obsidere velle, cogitaret vt quanto tempore circa expu-

gnationem eius loci distineretur, ac existimaret huius temporis iacturam tolle enim pecuniarum modicum, & Atarnea relinquere, quæ cum dixisset, Autophradatem in sententiam traxit, & obsidionem prætermittere fecit. Habet igitur vtilitatem exæquatio patrimoniorum inter ciues, ne inde seditiones oriantur, verum (vt ita dixerim) non admodum magnam: nam & præstantiores conqueri possent, quasi ipsi plus habere debeant. ex quo fit vt ipsi ex pauperibus insurgant, ac seditiones concitent. Præterea, improbitas hominū insatiabilis est. & primo quidem sufficere dicunt in pauca atque minima: mox vero, vbi illa sunt consecuti, plura appetunt semper, quousq; in infinitum procedant. infinita enim est cupiditatis natura, ad cuius explationem plurimi viuunt. Horum igitur principij est magis, quàm patrimoniorum exæquatio, ciuitatem sic instituere, vt boni quidem viri plus habeant quàm sibi competat, habere non quærant: improbi autem etsi quærant, habere non possint. hoc autē fiet, si inferiores sint, nec iniurias patrimoniorū, recte est ab eo dispositum, ciuibus dos & agros exæquet solum: sed sint secundum quoq; armentorumq; & pecuniarū diuitiæ, & apparatus ingens earum rerum, quas supellectilem vocitamus. An igitur horum omnium exæquatio quærenda est, vel moderatio quædā medioctis, an cuncta omittenda? Videtur autem ex ipsarum legum positione ciuitatem exigua constituere: si quidem artifices omnes publici erūt, nec multitudinem augebunt ciuitatis, sed certe publicos esse eos qui publica faciūt opera oportet, quemadmodum & Epidamni: & Diophantus

* δεῖ δὲ πλεονέξιαν, dum ars immutata solum.

Liber Secundus. 535

tus quandoque Athenis constituit. De Phaleæ igitur republica ferè ex his deprehendi potest, si quid ab eo sit bene dictum, vel non bene.

De Hippodami, & Milesiorum republica.

CAP. VI.

HIppodamus autem Euryphontis Milesius, qui & ciuitatum diuisionem inuenit, & Piræum abscidit, cum esset in cætera quoque vita morosior propter gloriæ cupiditatē, vsq; adeo vt quibusdam videretur, superfluus capillorum prolixitate & ornatu sumptuoso, præterea vestitu vili quidē, sed admodum fæteo, non in hyeme solum, verumetiam in æstate: studiosus autem de omni natura esse volens, primus omnium, qui non in republica versati essent, aggressus est aliquid dicere de optimo ciuitatis statu. Constituit autem ciuitatem multitudine decem millium, in tres diuisam partes. fecit enim vnam partem artifices, alteram agricolas, tertiam propulsatores belli atque armatentes. Diuisit quoque regionem in tres partes, vt esset pars vna sacra, alia publica, tertia priuata. vnde cultus Diis fieret, sacra: vnde vero propulsatores belli alerentur, publica: quæ autem agricolarū foret, priuata. Legum quoque tres esse species solum putabat: de quibus vero iudicia fierent, totidem esse numero. iniuriam, damnum, cædem. Ponebat quoque vnum iudicium principale, ad quod omnia male iudicata remitterentur: idque constituebat ex senibus quibusdam delectis. Sententias vero in iudiciis, non calculis ferendas esse censebat, sed vnumquemque iudicem tabellam afferre, in qua scri-

beret, si condemnaret simpliciter, sententiam: sin absolueret simpliciter, vacuum: sin partim condemnaret, partim absolueret, idipsum definiret. nam vt nunc quidem fit, non recte prouisum à lege existimabat: quia cogantur homines aut hoc, aut illud iudicantes, peierare. Fetebat quoque legem de iis, qui vtile quippiam ciuitati reperissent, vt honoribus afficerentur. Filios autem eorum, qui pro patria bellando occubuissent, ex publico alendos esse: quasi id non prius fuerit lege prouisum. nam est nunc Athenis ea lex, & in aliis quibusdam ciuitatibus. Magistratuum vero omnium electiones populo attribuit. Populum autem faciebat tria illa genera ciuium: qui vero delecti essent, eos rerum publicarum curam habere debere, item hospitalium, & pupillarium. Plurima igitur ac maxime digna memoratu in Hippodami constitutione ista sunt. Sed primo dubitabit aliquis de partitione ciuium. nam & artifices, & agricolæ, & qui arma tenent, omnes in reipublicæ communione versantur. verum agricolæ quidem arma non habent: artifices autem neque arma neque agros: itaque fiunt quodammodo serui eorum qui habent arma. participes igitur esse omnium bonorum impossibile est, cum sit quidem necessarium ex iis qui habent arma, constitui belli duces, & custodes ciuium, & principalissimos (vt ita dixerim) magistratus, quòd si participes non sint reipublicæ, quomodo bono animo esse potuerunt in republica? Enimuero potentiores esse oportet illos qui arma tenent ambabus partibus. id autem non facile est, nisi multitudine exuperent. quòd si hoc erit, quid opus est alios participes esse

esse reipublicæ, & suffragia magistratuũ habere? Præterea, agricolæ quid vtilitatis afferunt ciuitati? Artifices enim esse necessarium est. nam omnis ciuitas artificibus indiget, & possunt proficere ex artibus, quemadmodum in aliis ciuitatibus. sed agricolæ si habentibus arma victum parant, merito forent pars aliqua ciuitatis, at illic priuatim habent, priuatimque colunt. Insuper autem publicos agros, ex quibus propulsatores belli victum habere oportet, si ipsi illos colant, non esset aliud agricola, aliud propulsator belli, quod legislator esse vult. sin alij quidam ab agricolis & propulsatoribus, quantum erit membrum ciuitatis nullius particeps, sed alienum à republica. Quòd si quis dicat eosdem agricolas, & proprios colere & publicos agros, primo fructuum multitudo non sufficeret, ex quibus singuli binis domibus habeant ministrare. deinde, quamobrem non statim ex eisdem agris pro seque alimenta sumant, & pro propulsatoribus exhibeant. hæc sane omnia magnam continent turbationem. Nec de iudicio quoque recte se habet lex, qua iudicandum putant cum distinctione, lite simpliciter scripta, ita vt ex iudice fiat arbiter. hoc enim in compromisso in plures facto recipitur (conferunt enim inter se de sententia ferenda) sed in iudiciis non recipitur: imo legumlatores plerique contrà statuunt, ne iudices inter se colloquantur. Deinde, quomodo non erit litigiosa sententia, cùm iudex non putat tantum deberi, quantum petitur. nam si petitor viginti minas postulabat: iudicum autem vnus decem iudicet, alter quinque, alter quatuor, & hoc modo diuidant: & alij in to-

rum condemnent. alij in nihilum: quis erit modus sententiarum concordandarum? Præterea, nemo peierare cogit simpliciter condemnans vel absoluentem, si simpliciter petatur. non enim cùm absoluit, nihil debere iudicat, sed viginti minas non debere. at ille peierat, qui cùm patet viginti minas non deberi, tamen condemnat. De eo autem, quod inuenientibus aliquid commodum ciuitati, honores tribuendi sunt, non est iutum lege cauere, sed apparétiam solum probabilem habere continet enim calumnias, & motum fortàn reipublicæ. Sed incidit hæc in aliam quæstionem & considerationem aliam. Nam dubitant nonnulli, vtrum damnosum sit vel vtile ciuitatibus leges patrias mutare, si sit alia melior. quapropter non est facile dicto statum assentiri, siquidem non educit mutare. fieri autem potest vt inducatur aut legum, aut reipublicæ dissolutio, tanquam communis bonum. Sed cùm in hanc mentionem inciderimus, etiam pauca de eo perstringenda sunt. habet enim, vt diximus, dubitationem: & melius videri potest, vt mutationem recipiant. nam aliis quidem scientis hoc profecerit si medicina ab institutis patriis mutetur, & gymnastica, & aliæ artes atque facultates. quarum cùm vna ponenda sit ciuilis disciplina, paret in ea quoque eandem rationem esse tenendam. probari autem hoc dicet aliquis, & in ipsis rebus. antiquas enim leges nimium rudes esse & barbaras. armati siquidem ferro incedebant Græci, & vxores emebant inuicem. & quæcunque vetusta iura alicubi extant, penitus rudia sunt. ceu apud Cumas de cæde lex est, si accusator multos testes inducat ex agnatis propriis, reum esse cædis, contra quem probatur. Quærunt autem omnino non patrium, sed bonum omnes. putandúmque est priscos illos homines, siue ex terra geniti fuerint, siue ex corruptione aliqua seruati, fuisse ignaros & imprudentes, vt de terra natis dicitur, quàm absurdum est in eorum opinionibus persistere velle. Præterea neque leges scriptæ meliores sunt, si sunt immutabiles. vt enim in aliis artibus, sic etiam circa ciuilem constitutionem impossibile est singula * ad minimum vsque scriptis comprehendere. necesse est enim, vt generaliter scribantur: actiones autem circa singularia fiunt. Ex his ergo videtur, & quasdam leges, & quandoque esse mutandas. Alio autem modo considerantibus, cauendum videtur esse maxime. cum enim vtilitatis quidem accessio parua sit, assuescere vero facilitèr leges mutare improbandum, constat. errata quædam esse toleranda, & legumlatorum & magistratuum. non enim tantum proderit qui cor rigere perget, quantum nocebit assuefactio superioribus non parendi. Mendax & de artibus exemplum. neque enim simile est mutare artem atque legem. nam lex nullam vim habet, vt ipsi pareatur, nisi ex more: mos autem non fit nisi temporis longitudine. quare facilitèr mutare leges ex præsentibus in alias nouas, infirmam facere est vim legis. Præterea si mutandæ sunt leges, vtrum omnes & in omni republica, an non? & vtrum à quocunque, aut quibusdam? in his enim magna est differentia. Quapropter nunc quidem omittamus considerationem hanc, nam aliorum est temporum.

* ἀκριβῶς exacte.

De

De Lacedæmoniorum republica.

CAP. VII.

DE Lacedæmoniorum autem republica & Cretensium, ferme autem & de aliorum Rebuspublicis duo sunt considerandæ, vnum, si quid recte vel non recte ad optimã constitutionem in illis sit: ordinatum alterum, si quid ad *ὑποθεσιν: a.l. sanctiõ.* suppositionem & modum aduersantis ab illis reipublicæ. Quòd igitur necessarium est in bene constituenda republicæ necessariorum adesse facultatem, omnes fatentur: sed quemadmodum id futurum sit, non facile est comprehendere. nam & Penestiæ Thessalorum multoties in ipsos Thessalos insurrexerunt: & Ilotes Lacedæmoniorum nam in casibus eorum aduersis nunquam insidiati destiterunt. Verùm apud Cretenses nihil adhuc tale accidit. causa fortitan est, quia vicinæ ciuitates, quamuis inuicem bellum gerant, tamen earum nulla rebelles recipit. quoniam id non conducit, quando & ipsæ †per eos habent. At Lacedæmoniorum finitimi omnes inimici erant, Argiui, Messenij, & Arcades. nam & Thessalis ab initio rebellarunt, dum cum finitimis Achæis & cum Perrhæbis & Magnesiis gererent bellum. Videtur autem etsi nihil aliud, attamen hoc ipsum esse prodifficile, quemadmodum cum eis sit conuersandum. Nam si remisse erga illos te geras, superbiunt illi quidem, ac se pares dominantibus existimant: sin aspere tractentur, insidiantur, atque odio habent. patet igitur non reperire optimum modum eos, quibus ista contingunt circa subiectos. Præterea lenitas in mulieres & ad propositum reipublicæ nocet, & ad directionem

† a.Laccedas a.l. possessuros dominibus finitimis.

ciuitatis. Vt enim domus pars sunt vir & vxor, ita & ciuitatem bifariam diuidi censendum est, in virorum multitudinem ac mulierum. quocirca in quacunque republica male prouisum est circa mulieres, in ea putandum est imdietatem ciuitatis esse neglectam: quod ibi contingit. Volens enim legislator totam ciuitatem esse duram ac laborum patientem, in viris quidem id fecisse constat, in mulieribus autem non fecisse. viuunt enim molliter, ac in omnem licentiam dissolutæ. Itaque necessariò in tali republica diuitias haberi in precio: præsertim cum viri sint mulieribus obnoxij. quod accidit omnibus ferme militaribus bellicosisq; gentibus, præterquam Celtis, aut siqui alij coitũ masculorum palam receperunt. Videtur autem qui primus fabulatus est, non irrationabiliter Venerem Marti coniunxisse: quoniam omnes huiusmodi homines proni sunt ad Venerea, aut masculorum, aut mulierum, illisque obnoxij. Itaque apud Lacedæmonios hoc fuit, mulieres in eorum principatu à mulieribus administrabantur. Etenim quid refert, vtrum mulieres ipsæ gubernent, an eos qui gubernant, à mulieribus gubernari? idem enim accidit. Cumque insolentia ad nullum obsequium vtilis sit, nisi forte ad bellum, maxime nociuæ etiam ad hoc ipsum Laconum mulieres erant. Patefecerunt hoc in Thebanorum aduentu. non enim magis vtiles præstiterunt se quàm aliarum ciuitatum mulieres: sed turbam inferebãt magis quàm hostes. Ab initio igitur rationabiliter contigisse Lacedæmoniis videtur in mulieres indulgentia, cum per militiam multum domo abessent, Argiuis primo, mox Arcadibus & Messeniis bellum

bellū inferentes. exercētes enim seipsos, legumlatori præstabāt assuefactos propter militarē vitā. multas enim cōtinet virtutis partes. Mulieres autem sertur Lycurgus deducere conatus ad legem: at vbi repugnabant, abstinuisse. Causæ igitur factorum hæ sunt: itaq; & huius peccati. Sed nos non id consideremus, cui venia danda sit vel non dāda, sed rectūne sit an non rectum. Quæ porro circa mulieres non bene se habent, videntur (vt diximus ante) non solum ipsa per se indecentiam quandam facere in republica, sed impeliere quoque ad cupiditatem pecuniæ. Post illa enim quæ nunc dicta sunt, tuentes inæqualem rerum possessionem quis reprehendat? nam eorum quibusdam hoc euenit, vt magnam nimium opulentiam haberent: aliis vero vt penitus exiguam: quapropter ad paucos deuenerunt agri. hoc autem ex eo accidit, quia male fuerat lege prouisum, emere enim, aut vendere quod habeas, fecit non honestum. & recte id quidem: sed donare ac testamento relinquere concessit. atque idem accidat necesse est, per hūc modum & illum. Sunt enim mulierum ferè ex quinq; partibus totius regionis duæ emptionibus hæreditibus institutis & traditione dotiū magnarum, at qui melius erat, aut nullam, aut paruam, aut mediocrem esse constitutam. nunc autem licet donare ex testamento cuicunq;. & si nullo instituto hærede decesserit, hic cui voluerit, dat. Ex quo factū est, vt regio sufficiens mille & quingentos equites alere, pedituū vero triginta millia, ne mille quidē totos habeat. præterea auté res ipsa præue apud illos in hac parte fuisse prouisum: quoniā vna plaga suscepta ciuitas ea corruit, nec vltra pertulit ob hominum paucitatem. Aiunt etiam per tempora priorum regum, nouos homines permultos donatos, ob numerum ciuiū, qui bello diminuti fuerant ad augendū. & aiunt fuisse quandoq; Spartiatis decē millia. & tamen siue sint ista vera, siue non sint, melius est per adæquationem possessionum replere hominibus ciuitatē. Contraria etiam quo dāmodo est huic prouisioni lex illa circa proles. volens enim legumlator quāplurimos fore Spartiatas, inducit ad multitudinem procreandam. Est enim lex, qui tres genuerit filios, eum esse immunem à custodia: qui vero quatuor, immunem esse ab omnibus. Atqui patet, quòd si multi gignantur, regione sic distributa, necessarium est multos fieri pauperes. At enim & quæ circa Ephoros constituta sunt, praue se habent. hic enim magistratus maximarum apud illos rerum potestatem habet. sumuntur autē ex plebe omnes: vt multoties contingat homines valde paupetes in hac potestate constitui, qui propter egestatē venales sint. Ostenderunt id & ſæpe prius, & nunc in Andriis. corrupti enim pecuniis quidā, quantum in se fuit totam rēpublicam euerterūt. & propter eius magistratus & nimiam potestatē, ac & tyrānidi parem, reges ipsos populares fieri compulerant, vt in hac quoque parte respublica læderetur. popularis enim status ex optimate resultauit. Continet tamen respublicam magistratus iste, acquieſcit enim plebs ex eo quia maximi magistratus capax est. Itaq; siue per legislatorem, siue per fortunā euenit hic, vtiliter se habet rebus. Oportet enim respublicam, quæ diuturna sit, velle, vt omnes ciuitatis partes constent, atque in statu suo permaneant. Reges ergo propter honorē suum ita

se

se habebunt. præstantes autem viri propter senatum: nam ea dignitas virtutis est præmium. plebs autem propter ephoriam: nam constituitur ex omnibus. Sed oportebat hunc magistratum sumi quidem ex omnibus, non tamen per hunc modum, per quem nunc fit, est enim nimium puerile. Præterea autem & iudicandi de magnis rebus potestatem habent homines contingentes. Itaque melius foret non secundum propriam mentem eos iudicare, sed secundum literas & leges. Et etiam Ephororũ vita nequaquam conuenit cũ proposito ciuitatis. nam Ephoti quidem molliter viuunt, in cæteris autem tanta asperitas est vitæ, vt nequeant homines illam perferre, sed clam transgredientes legem voluptatibus fruantur. Senatorum quoque potestas non recte apud illos constituta est. nam quòd sint viri boni ac sufficienter ad virtutem eruditi, dicet forsitan aliquis ciuitati conducere. enimuero quòd per omnem vitam magis de rebus decernendi potestatem habeant, perniciosum est. est enim vt corporis, sic etiam & ciuilitatis senectus. Per hunc autem modum ciuilitis, vt & legislator ipse diffidat, tanquam non bonis viris nequaquam rutum. Videntur autem hi, qui in hac potestate constituti sunt, largiendi gratificandique permulta facultatem habere. quapropter melius erat eos rationi reddendæ subiectos esse: nunc autem non sunt. Videtur autem Ephororum magistratus omnes alios magistratus corrigere. in hoc autem nimium certe illis permissum: & non per hunc modum dicimus rationem reddere oportere. Insuper creatio ipsa senatorum, quam per suffragia faciunt, perleuis est. ac ipsum petere magistratum qui

qui eligẽdus sit, non recte se habet: oportet enim & volentẽ & non volentem ad magistratũ assumere, si dignus sit eo magistratu. Nũc autẽ idem facere in hoc videtur legislator, quod in alia re publica. ambitiosius enim faciens ciues, illis vtitur ad senatorum delectum. nemo enim magistratum petet, nisi honoris sit affectator. atque plectaque eorum quæ homines iniuste faciunt, per ambitionem & auaritiam committuntur. De regia vero potestate, vtrum melius sit eam in ciuitatibus existere necne, alia foret disputatio. attamen melius, non vt nunc quidem, sed pro vita cuiusque regis iudicare. Quòd autem ne ipse quidem legislator credit se facere bonos & honestos, manifestum est. diffidit enim quasi non sint ad sufficientiam boni viri. Itaque legatos simul mittebant inimicos, ac saltem ciuitatis esse putabant, seditiones regum. Non bene etiam circa comessationes, quæ illi Phiditia nominant, constitutũ est ab initio. Oportebat enim magis ex publico esse conuentum, quemadmodum in Creta. sed apud Lacedæmonios vnusquisque conferre habet: etsi sunt quidam longe pauperrimi, qui huiusmodi sumptum nequeant sufferre. ex quo fit, vt legumlatori contrà eueniat quàm ipse voluerit. Voluit enim ciuitatem populatem facere per comessationes. sed contra accidit, cùm non sit facile pauperibus comessationum participes esse. more enim malorum sic apud eos definitur, vt qui comessationem particeps esse nequeat, is ad reipublicæ gubernationem non admittatur. Legem vero quæ est circa præfectos classis, & alij quidam improbarunt: & recte quidem improbantes. est enim seditionis causa. nam cùm reges fiat belli

duces, præfectura illa perpetua ferè alterum est imperium. Et sic quoque suppositioni legislatoris succenseri potest quod & Plato in legibus suis censuit. Ad partem enim virtutis tota ordinatio illarum legum contendit, scilicet bellica: hæc autem vtilis ad victoriam consequendam. Itaque salui erant bellum gerentes, peribant vero vbi rerum potiti essent: quoniam nec otium agere, nec quicquam aliud exercere sciebant præstabilius, quàm rem militarem. Illud quoque erratum non sanè minus, quòd putarint bona illa, quæ ad bellum pertinent, ex virtute magis quàm ex vitio fieri. & in hoc quidem recte. sed quòd hęc potiora quàm virtutem ipsam putant, in hoc non recte. Male etiam circa pecunias publicas apud Spartiatas constitutum est. quia neq. in publico habent quicquam, & magna bella gerere coacti pecunias ægrè conferebant. nam quia Spartiatarum est plurimum agri, non examinant inuicem collationes. & euenit legumlatori contra quàm commodum est, publice inopiam, priuatim auaritiam inducere. De Lacedæmoniorum igitur republica hactenus dictum sit. nam hæc sunt, quæ maxime quis reprehendat.

De Cretensium republica.
CAP. VIII.

CRetensum vero respublica huic finitima est. Habet autem quędam non deterius, sed plurima minus nitide. Videtur autem & ferme Lacedæmoniorum respublica in pluribus imitata Cretensem. vetusta autem pleraque studiosa sunt nouis. Ferunt enim Lycurgum post dimissam Carilli regis tutelam, cùm longo tempore peregrinaretur, in Creta plurimum fuisse diuersatum propter cognationem. erant enim Lyctij Lacedæmoniorum coloni. susceperant autem ij qui in eam coloniam venerant, instituta legum, tunc in antiquis habitatoribus obtinentia, quapropter & nunc † Periœci eodem modo illis legibus vtuntur, quomodo eas Minos constituit primus. Videtur autem hæc insula ad principatum Græciæ esse nata, ac præclare sita, cuncto nanque imminet mari: cùm ferè Græci omnes circum mare sint positi. abest enim hinc modicum à Peloponneso: illic vero ab Asiæ loco, qui circa Triopium est & Rhodum. Quare imperium maris obtinuit Minos, ac & insularum alias subegit, alias vero dudum incultas habitari fecit. tandem Siciliam aggressus, circa * Camerinam defunctus est. Habet autem conuenientiam Cretica institutio cum Laconica. Agriculturam exercent apud hos quidem Iotæ, apud illos vero Periœci. Et comessationes sunt apud vtrosque: & antiquitus nuncupabant Lacedæmonij non Phiditia, sed Andria, quemadmodum Cretes. ex quo palam est inde prouenisse. Insuper autem & reipublicæ institutio. Ephori nanque eandem vim habent, quam in Creta hi qui Cosmi appellantur: nisi quòd Ephori quinque sunt, Cosmi autem decem. Senatores autem pares sunt Senatoribus, quos vocant Cretes consilium. Regia autem potestas fuit primo apud Cretas, postea illam sustulerunt, imperio in bello ad Cosmos translato. Concio autem omnibus communis est, sed aliâ nullam habet authoritatem, quàm ea comprobandi, quæ à senatoribus & Cosmis fuerit antè decreta. Quæ igitur de comessationibus constitu-

† vicina.

* κάμιρινον ἢ κομιρικὸν

tuta sunt, melius apud Cretas, quàm apud Lacedæmonios habent. Nam apud Lacedæmonios vnusquisque certum quid in singula capita taxatum solut: quod nisi faciat, à republica lex repellit, vt prius diximus. at in Creta communis est. ex cunctis enim quæ à terra proueniunt vel armentis, ex publicis, & his quæ afferunt periæci, diuisio fit. vt pars vna ad Deorum cultum & ad publica onera, pars ad conuiuationes deputetur. at ita ex publico educant omnes, & mulieres, & pueros, & viros. Ad temperantiam autem cibi quasi vtilis sit, multa legislator philosophatus est, & de mulierū diuortiis, de earum congregatione ad viros, ne superfluam pariant multitudinem prospexit. quod vtrum prauè vel non prauè constitutum sit, aliud erit considerandi tempus. Sed quòd circa conuiuationes melius prouisum sit apud Cretas, quàm apud Lacedæmonios, manifestum est. At circa Cosmos deterius, quàm circa Ephoros. Quod enim mali habet Ephorotum magistratus, idem & in illis est, sumuntur enim quinis, sed quod in his prodest reipublicæ, illic non est. Nam hic, quia ex omnibus assumptio est, particeps populus amplissimi magistratus, vult manere rempublicam: illic autem non ex omnibus sumuntur Cosmi, sed ex quibusdam familiis, & Senatores ex iis qui Cosmi iam fuerunt. De quibus idem dici potest, quod de iis quæ apud Lacedæmonios fiunt. Nam esse liberum magistratum ann perpetuum, malus est munus quàm dignitas eorum mereatur, & non secundum legem scriptam iudicare, sed secundum quod sibi videtur, periculosum est. Quiescere autem plebem non participantem, nullum signum est bene constitutæ

tutæ ciuitatis. Nec quicquam susceptionis est Cosmis, quemadmodum Ephoris: abeūntq; per insulam longè à contendentibus. Medicina vero quam huic delicto adhibent, ridicula est, nec ciuilis, sed † tyrannica. sæpenumero enim aut collegæ illorum, aut priuati homines insurgentes per seditionem Cosmos expellunt. Licet etiam Cosmis seipsos magistratu abdicare: enimuero hæc omnia præstabat lege fieri, quàm pro hominum voluntate: non enim secura est regula. Omnium vero deterrimum est, potentum depositio: quam tam sæpe concitant, cùm sententias dare nolunt. per quam manifestum est habere eam institutionem aliquid reipublicæ, sed non esse rempublicam, at potentatum magis. Consueuerunt autem concitata plebe & amicis ad vnius arbitrium rem deferre, seditionésque & prælia inter se miscere. At verò id quid differt ab eo, quòd tandem ea ciuitas non sit, dissoluta ciuili societate? Est autem periculosus hic reipublicæ status, si qui velint possintq; inuadere. sed, vt supra diximus, seruatur propter locum, quia omnes aduenas procul excludit. Itaque periæci manent Cretensibus. verum illos persæpe à Lacedæmoniis defecere. nō enim erat in Creta potentatus vllus externus: sed nuperrime bellum peregrinum irrupit in eam insulam, quod patefecit imbecillitatem legum earum. De hac igitur republica hæc dixisse sufficiat.

δυναστεία *ἀκρ.*

Superiorum rerumpublicarum comparatio.

CAP. IX.

VIdetur etiam Carthaginiēsium respublica bene constituta, multāque habere præter

aliis, quædam vero maxime similia Lacedæmoniis. Tres enim istæ respublicæ quodammodo inter se proximæ sunt, multúmque differant ab aliis, Cretica dico, & Laconica & Carthaginiensi: multáque in ipsis prouisa sunt recte. Signum autem est reipublicæ bene institutæ, quod populus in suo permaneat loco, neque seditionem vllam (quod dictu dignum sit) vnquam fecit, neque tyrannum. Continet autem similia Lacedæmoniorum reipublicæ, comessationes quidem sodalitiorum, Phiditias: cenum autem & quatuor virorum potestas, Ephoris: præterquàm quòd non deterior. nam illi ex contingentibus sunt: hanc autem potestatem suscipiunt optimates. * Imperator vero & Senatus conuentus Lacedæmoniorum regibus & senibus, melius autem quòd imperatorem non secundum genus, neque ex vili & præexcellenti magis eligunt quàm secundum virtutem. nam qui magnam habent potestatem, si ipsi nullius pretij sint, multum nocent, nocuerúntque iam Lacedæmoniorum ciuitati. Plurima igitur reprehensorum propter transgressionem communis sunt omnibus antedictis. Sed quantum ad intentionem optimatum attinet & reipublicæ, quædam ad popularem statum magis declinant, quædam ad paucorum potentiam. Nam referendi quæ deliberatores vna cum senatu domini sunt, si omnes concordent, si non concordent, populus ipsorum dominus est. quæcunque autem referuntur magistratus, de his non approbandi modo illorum sententias potestas permissa est populo verum etiam pro arbitrio constituendi prouidendique, & cuiuis contradicere relatis illorum licet.

*βασιλεῖς

licet quod non est in aliis rebus publicis. Quinqueuiratum vero, qui multarum ac magnarum rerum potestatem habet, ab illis eligi, & centumuiratum hos eligere, qui est maximus magistratus, & hos longiori tempore quàm alios imperium retinere, nam & perfuncti magistratu imperant, & designari ad magistratum, ad paucorum potentiam spectat. Esse autem sine mercede, & sine electione quæ sorte fit, optimatium est ponendum, & si quid aliud tale. iudicia quoq; omnia à cunctis magistratibus iudicari, & non ab aliis alia, vt apud Lacedæmonios. Transgreditur autem maxime ab optimatibus ad paucorum potentiam institutio Carthaginiensium secundum aliquam intelligentiam in eo, quod etiam multi comprobant. non solum enim optimos, verumetiam ditissimos censent in magistratibus esse ponendos: quasi impossibile sit qui egenus existat, eum bene magistratum gerere, aut quietem optare. Si igitur sumere diuitem, paucorum potentiæ est, per virtutem autem, optimatum: ista quædam fuerit species tertia, per quam constituta est apud Carthaginienses respublica. creant enim magistratus ad hæc duo respicientes & præsertim maximos, vt imperatores & duces bellorum. Putandum autem est huiusce modi excessum ab optimatibus esse errorem legis conditoris: quem ab initio præuidisse valde necessarium fuit, vt optimi valerent quietem agere, nec quicquam indecorum facere, non solum in magistratu, sed etiam in vita priuata. Quòd si inspicere oportet ad opes grata quietis, prauum est maximos magistratus esse venales, imperium, & belli ducatum. hæc enim lex pretiosus magis facit diuitias quàm

virtutes, ac ciuitatem totam ad studium pecuniarum conuertit. Nam quicquid apud ciuitatis principes habetur in pretio, necessarium est & aliorum ciuium opinionem subsequi. vbi autem non maxime honoratur virtus, ibi non est possibile firmum optimorum esse in republica statum. Assuescere vero ad lucra rationabile est, quando per largitionem adipiscuntur dignitates. absurdum est enim si pauper quidem aliquis, verum bonæ mentis lucrari velit: improbior autem non velit, cùm sumptus fecerit. Quocirca oportet eos, qui possunt optime gerere magistratum, assumere ad magistratum. probabiliúsque fuisset si autor legis opulentiam præstantium virorum abiecisset, ac eorum qui in magistratu forent, quieti prospexisset. Praeterea etiam videri potest plures magistratus ab vno homine geri: quod in honore est apud Carthaginienses. vnicum enim ab vno optime perficitur opus. hoc autem vt fieret, prouidendum fuit à legumlatore, neque cogendum eundem tibicinem esse atque sutorem. Quare vbi non parua est ciuitas, magis ciuile est, vt plures sint participes magistratuum, magisque populare. communius enim, vt diximus, & melius singula conficiuntur atque celerius. Patet autem hoc in bellicis rebus, & nauticis. in his enim ambobus per omnes (vt ita dixerim) transit imperare & parêre. Sed cùm ad paucorum potentiam vergat respublica eorum, optime illud effugiunt, vt semper aliqua plebis pars ditetur ad oppida mittentes. per hoc enim illi arbitrantur ac certe efficiunt, statum ciuitatis permanere. Sed hoc est fortunæ opus. oportebat vero non per fortunam sine seditionibus esse, sed per legislatorem id fieri. nunc autem si diuisa fortuna inciderit, & plebs à gubernatoribus secedat, nullum est remedium legis ad quietem adhibitum. Lacedæmoniorum igitur, & Cretensium, & Carthaginiensium respublicæ, quæ merito habentur insigniores, in hunc modum se habent.

De republica Solonis, & variis institutoribus rerumpublicarum.

CAP. X.

FOrum autem qui de republica aliquid tradiderunt, quidam nunquam versati sunt in gubernatione ciuitatis, sed in priuata vita otiosi vixerunt. de quibus si quid dignum relatu fuit, de omnibus ferè supra diximus. Quidam autem legislatores fuere, gubernauerúntque vel in propriis ciuitatibus, vel in alienis. Et horum quidam solum modo legum autores fuere, quidam etiam reipublicæ constituendæ, vel Lycurgus & Solon. hi enim leges & rempublicam condidere: Lycurgus quidem Lacedæmonijs, vt dictum est: Solon autem Atheniensibus. Existimant autem quidam Solonem legislatorem fuisse præclarum. nam & paucorum potentiam sustulisse, quæ nimis intemperans erat, & plebem à seruitute liberasse, ac statum populatem in patria constituisse, optimèque temperasse rempublicam. nam esse consilium Areopagi paucorum gubernationis est: delectus vero magistratuum, optimatium: iudicia vero, populare. Sed videtur Solon illa duo (cùm essent prius) non sustulisse consilium Areopagi, & magistratuum delectus: at †populum asseruisse, iudiciis ex omnibus constitutum.

† constituisse. † populare statum.

tutis. Quapropter quidam illi succensent, quòd alterum dissoluerit, cùm autoritatem omnem ad iudicium traduxerit, quod per sortitionem est. nam cùm hoc inualuit, tanquam tyranno gratificantes populo, in eum qui nunc est, popularem statum, rempublicam redegerunt. Ex consilium Areopagi Ephialtes inhibuit, & Pericles. Iudicibus vero salaria Pericles induxit, ac per hunc modum vnusquisque eorum qui apud plebem posse voluerunt, populi vim augere perseuerauerunt, donec in istam quæ nunc est, licentiam peruenit. Apparet autem hoc, non tam Solonis voluntate, quàm casu euenisse. Nauali enim potentia aduersus Medos victor populus, maiora de sese sapere cœpit, & accesserunt patroni seditiosi contra bonos & modestos ciues, qui rempublicam gubernabant. cùm videatur quidem Solon eam quæ maxime necessaria fuit, potestatem populo tradidisse, vt magistratus crearet, & malefacta corrigeret. nisi enim populus hanc habeat potestatem, seruus erit & inimicus. At magistratus omnes constituit ex nobilibus ac locupletibus, ex censu quingentorum modiorum, & iugerum: tertium ex equitibus: quartum ex opificibus sordidis, quibus nullum magistratum assequendi ius erat. Fuerunt etiam legum positores Zaleucus apud Locros occidentales, & Charondas Catanensis ciuibus suis, cæteris quæ ciuitatibus Calcidicis, quæ sunt circa Italiam & Siciliam. Tentant vero quidam inducere quasi Onomacritus fuerit primus legum ferendarum peritus, hunc vero exercitatum in Creta, cùm esset Locrus, profectum autem per artem diuinationis, ei familiarem fuisse Thalem. Thaletis autem auditores fuisse Lycurgum & Zaleucum: Zaleuci autem Charondam. sed qui ista dicunt, tempora non suppurant. Fuit etiam Philolaus Corinthius legumlator Thebanis. Erat autem Philolaus ex familia Bacchiadum, amicus vero Dioclis, qui in olympiis vicit. sed vbi ille ciuitatem deseruit, commotus ob amorem matris Alcyones, Thebas migrauit, atque ibi ambo defuncti sunt, monumentumque etiam nunc illorum sepulcra, quæ ab inuicem facile spectant, verum ita constituta, vt ex Dioclis quidem sepulcro non sit prospectus in Corinthium agrum ob animi infectionem: ex Philolai autem sit prospectus. Habitarunt igitur ob huiusmodi causam apud Thebanos, legesque illis Philolaus descripsit, & de aliis quibusdam, & de sobole procreanda quas illi leges proletarias appellant. Et hoc est præcipue ab illo prouisum, vt numerus hæreditatum conseruetur. Charondæ autem nihil est proprium, nisi iudicia falsorum testium. Primus enim de his legem posuit: diligentia autem & claritate etiam elegantior quàm hi qui nunc sunt legum conditores. Philolai proprium est patrimoniorum disparitas: Platonis autem mulierum & natorum & patrimoniorum communitas, & comessationes fœminarum, & præterea lex circa ebrietatem, vt reges conuiuationum sobrij sint. & in rebus bellicis exercitatio, per quam ambidextri fiant: cùm oporteat non alteram manum vtilem, alteram inutilem habere. Draconis quoque leges sunt. sed iam constituta republica leges tulit. Proprium autem Draconis est nihil quod sit memoria dignum, nisi rigiditas ob magnitudinem pœnarum.

rum. Fuit quoque Pittacus legum conditor, sed non in republica versatus. Lex est propria illius, ebrios si quem pulsauerint maiori pœna damnari, quàm si sobrij fecissent, quòd enim plures delinquunt ebrij quàm sobrij, non ad id respexit, quòd magis esse debeat ebriis venia, sed ad vtilitatem. Fuit etiam Androdamas regius legum conditor Chalcidensibus, qui sunt in Thracia, de homicidio & hæreditatibus, nihil tamen huius proprió referre quis potest. De his ergo rebuspublicis, quæ principales sunt, & de his quæ sunt ab aliquibus scriptæ, in hunc modú cognouisse sufficiat.

*

ARIST

ARISTOTELIS POLITICORUM LIBER TERTIUS.

SUMMA LIBRI.

De ciuitate, eiue, rerumpublicarum speciebus, dominatore ciuitatu. virú eam constituentibus, ciuius viri virtute superexcellente. ac regia gubernatione.

De ciuitate, & eiue, quid sit vtrunque, de ciuitate donatis, de magistratibus, de iuste & iniuste eiusdem.

CAP. I.

QVi de republica considerat, quæ sit vnaquæq; & qualis, fere prima illa consideratio occurrit, videre quid sit ciuitas. Nam ea nónunquam in controuersiam venit, cùm alij dicant à ciuitate factum, alij non à ciuitate, sed à potentibus quibusdam, vel à tyranno. gubernatoris autem reipublicæ ac legum positoris totum negotium versari videmus circa ciuitatem. Est autem respublica, eorum qui in ciuitate degũt, institutio quædam. Cùm vero sit ciuitas compositum quiddam, quemadmodum alia tota ex partibus, partibus consistentia, manifestum est primo de eiue esse perquirendum. nam ciuitas est ei

* πολιτεια. κῦβ.

est ciuium multitudo quædam. Quare & quem oporteat ciuem vocari,& qui sit ciuis,est considerandum:nam & de ciue sæpe contenditur,neque eundem omnes esse fatétur ciuem:& qui in populari ciuitate ciuis est, perſæpe in paucorum gubernatione non erit ciuis. Eos igitur qui alio quodammodo appellationem sortiuntur, ceu eos qui in ciuitate donati sunt, omittamus. Nec habitatio ciuem facit,nam isto modo peregrini qui circa nos habitant,& serui ciues essent. Nec rursus qui fori ac iudicij ius habent. nam hoc exiſtit etiam illis qui simul cõtrahunt, cùm per contractum forum sortiantur, quanquam multis in locis peregrini ne id quidem perfecte habeant, sed necesse est vt patronum accipiant. Ex quo fit vt imperfecte quodammodo sint fori iudiciorum participes,sed vt pueri nondũ ætate perfecti,& senes ob ætatem à muneribus publicis vacantes,non simpliciter ciues dicendi sint, sed quodammodo ciues. At nos quærimus eum qui simpliciter ciuis dicatur,nec habeat aliquam adiunctionem quæ restringat & corrigatur,ut & de infamibus & de exulibus eodem modo vt suprà dubitari, & responderi potest. Ciuis simpliciter nulla alia re definitur magis, quàm participatione potestatis publicæ iudicandi & decernendi. Potestates † autem,aliæ sunt determinatæ secundum tempus,ita vt non liceat interdum,nec semel eandem habere, aut per alia temporum spatia,aliæ sunt indeterminatæ,ceu illius qui in concione deliberat, & qui iudicat, quanquam fortasse diceret aliquis, tales nó esse in potestate constitutos. Atqui ridiculum foret qui de maximis rebus deliberant & decernunt, eos potestatem dicere non habere. Sed nihil in

* pellat-ios.

† magistratus.

ferat, cùm de nomine sit quæstio. est enim absq; nomine publica potestas iudicantis decernentisque in concione,sed sit definitionis gratia indeterminata potestas. Ponimus autem eos esse ciues, qui huius potestatis vna cum aliis participes sunt,maxime igitur proprie ciuis,super omnes alios qui ciues dicuntur,ferè talis est. Nec latere nos debet,quòd in rebus, quarum subiecta differunt specie,& aliud eorum est primum, aliud secundum,aliud consequens,aut omnino nihil est(qua talia sunt)cõmune,aut vix. Respublicas autẽ videmus specie differre:& alias esse posteriores,alias priores. Quæ enim aberrauerunt ac prolapsæ sunt,necesse est vt posteriores sint integris & incorruptis,quomodo autem dicamus eas labi,postea patebit. Quare ciuẽ quoque esse alium atque alium,necesse est secundũ differentiam rerum publicarum. Itaque ille, de quo diximus,in populari quidem statu maxime est ciuis:in aliis vero speciebus esse quidem potest,non tamen necesse est. In quibusdam enim ciuitatibus nec populus est,neque concionis vius,sed senatum habent & iudicia,vt apud Lacedæmonios de contractibus cognoscit hi, qui Ephori nuncupantur,alij alios, de cæde autem Senatus,& forsan alius magistratus de aliis, eoque modo apud Carthaginienses,de omnibus quidem causis magistratus quidam cognoscunt. Sed recipit correctionem quandam definitio ciuis,quòd in aliis rebus publicis non est indeterminata illa potestas,quæ in cõcione deuenit & iudicat,sed determinata secundum iubsctionem. horũ enim,aut omnibus, aut quibusdam concessum est deliberare ac iudicare, vel de omnibus vel de quibusdam. Quis igitur

sit ciuis,

sit ciuis, ex his patet. Cui enim habilitas est potestatis publicæ deliberatiuæ & iudiciariæ, hunc ciuem esse dicimus ciuis ciuitatis, ciuitatem vero talium multitudinem, quæ ipsa per se sufficiens sit, vt simpliciter dicatur, ad viuendum. Consueuerunt autem eum etiam dicere ciuem, qui ex duobus ciuibus ortus sit, & non ex altero solum, ceu ex patre & matre: alii vero magis vltra requirunt, ceu auos & proauos vel plures. His itaque definitis ciuiliter & succincte, dubitat quidam, tertius ille aut quartus, quomodo erit ciuis. Gorgias quidem Leontinus partim dubitans fortasse, partim ludens, inquit: *Quemadmodum mortaria sunt ille quæ à fictoribus mortariorum fiunt, sic Larissæos esse qui ab artificibus eorum fiunt, esse nanque aliquos Larissæorum fictores.* Est autem simplex. si enim participarent administrationis reipublicæ secundum determinationem iam dictam, essent vtique ciues. Etenim neque possibile congruere definitionem illam primis conditoribus aut habitatoribus, vt ex patre matreq; ciuibus sint exorti. Sed forsan de eo magis dubitari potest, cùm facta mutatione recipiuntur quidam ad commutationem reipublicæ, quemadmodum Athenis fecit Clisthenes, post tyrannorum eiectionem. cõplures enim in tribus descripsit, peregrinos, & seruos, & inquilinos, de quibus dubitari potest non qui ciuis, sed an iuste vel iniuste. Atque de eo insuper quis dubitabit, an si non iuste ciuis, ne ciuis sit: quasi idem valeat iniustus & falsus. Sed cùm videamus quosdam iniuste se in magistratibus gerere, quos tamen magistratus esse dicimus, sed nequaquam iuste: ciuis autem potestate quadam definitus sit: (nam qui participeps est talis potestatis, est ciuis, vt diximus:) patet quòd hos quoque ciues esse dicendum est. Iuste autem vel iniuste, pertinet ad primam illam quæstionem, in qua quæritur nunquid à ciuitate factum sit, vel non à ciuitate, ceu cùm ex paucorum potentia vel tyrannide, ad populare status sit mutatio. Tunc enim neque mutuatam pecuniam soluere quidam volunt, quasi non ciuitas eam susciperit, sed tyrannus: nec alia huiusmodi permulta, quasi respublica vi ac victoria consistet, non publica vtilitate. Si igitur per hunc modum, quædam in populari statu fiunt, esse similiter dicendum est huius ciuitatis acta, & paucorum potentiæ & tyrannidis.

Quo facto ciuitatem eandem, vel non eandem dicere debeamus. CAP. II.

Videtur autem proprius huius quæstionis locus, quomodo aliquando dicamus ciuitatem esse eandem & non eandem, sed aliam. Perfacile igitur inuestigatio dubitationis huius est circa locum, & homines. fieri enim potest, vt separetur locus & homines, & alios alibi habitare, sed hæc leuior est dubitatio. nã cùm multipliciter dicatur ciuitas, perfacilis est huiusmodi quæstio. Similiter quoq; eorum qui eundem habitant locum, quoad dicendum sit vnã esse ciuitatem. non enim mœnibus id definitur. licet enim Peloponnesum totam vnis mœnibus circudari, talis fortasse est Babylon, quæ capta cùm esset ab hostibus, ferunt partem aliquã non ciuitatis tertia die nondũ aliquid sensisse, similiter & quæcunq; alia magis habet circunscriptionẽ gentis quàm ciuitatis. Sed huius quæstionis alio loco vtilis erit cõsideratio. nam de

magnitudine ciuitatis,& quantam esse vtile sit, & vtrum vnam vel plures,latere nó debet ciuilé hominem. At manentibus eisdem habitatoribus eodem loco,vtrum quoad sit idem genus habitantium eandem esse ciuitatem dicendum sit, quanuis semper alij intereant,alij oriantur:et & flumina solemus eadem dicere,& fontes eosdé, quanuis semper vnda noua superueniat ac defluat. An homines dicendum sit eosdé esse propter eandem causam,sed ciuitatem aliam? Nam si ciuitas est societas quædam(societas autē ciuium)variata reipublicæ gubernandæ forma,& alia effecta,necessarium vtique videretur, ciuitatem quoq; nó eandem permanere, vt & chorum alium esse dicimus dum tragicus est,quàm dum comicus:& si iidē sint homines, eodémque modo,omnem aliam societatem & compositionem, si species compositionis alia fiat: ceu harmoniam earundem vocum aliam esse dicimus, & modo Doricam, modo Phrygiam vocitamus.Id si ita est,patet quòd maxime discendum est eandem ciuitatem, ad rempublicam respicientes, nomine autem vocari alio, aut eodem licet, eisdem habitantibus eandemue vel aliis penitus hominibus. Vtrum autem iustum sit † reddere pecuniam mutuo sumptam, mutata reipublicæ gubernandæ specie, an non iustum,alia est dubitatio.

† Pactū dissoluere. aut non dissoluere.

De virtute absolute viri boni,& boni ciuis.num sit eadem an altera. De virtute ciuis qui præsit, & qui paret. An opifices sint dicendi ciues.

CAP. III.

His vero quæ nunc dicta sunt,cōsequens est videre,vtrum eadem sit virtus boni viri,& boni

boni ciuis,an non eadem. Atque si hoc est perquirendum,prius de virtute ciuis sub compendio considerare oportet. Vt igitur nauta vnus aliquis est eorum,qui sunt in communi societate,ita & ciuem dicimus.Nautarū veto, quanquam dissimiles sint secundum potentiam(nam alter est remex,alter gubernator, alter proram dirigens,alter alteram huiusmodi appellationem habens)patet quòd expressissimus vnius cuiusque sermo proprius erit illius virtutis.Similiter autem & commune quiddam conuenit omnibus.salus enim & conseruatio nauigantiū, commune est omnium opus.ad hoc enim vnusquisque eorum intendit.sic igitur & ciuibus, licet dissimiles sint, opus est conseruatio communis societatis: societas vero est respublica, quapropter necesse est virtutem esse ciuis ad rempublicam. Si quidem igitur plures sunt rempublicarum species,patet non esse recipiēdum,vt studiosi ciuis vna sit virtus, eáque perfecta,at viri boni perfecta est virtus. Quòd igitur fieri possit, vt ciuis studiosus non possideat virtutem illam, per quam dicitur vir bonus, manifestum est. Quinetiam & alio modo inquirentibus, peruenire licet ad eandem rationem circa optimam rempublicam. Nam si impossibile est ex omnibus studiosis esse ciuitatem:& oportet singulos opus suum benefacere, hoc autem à virtute, sit vero impossibile similes esse ciues omnes:nequaquam vna esset virtus ciuis & viri boni. Nam virtutem studiosi ciuis omnibus esse oportet.sic enim optima fore ciuitas vtique.at viri boni virtutem impossibile est omnibus esse, nisi necessariam sit in studiosa ciuitate ciues omnes esse viros bonos.

* λόγος.

Præterea cum ex dissimilibus constet ciuitas, vt animal ex anima & corpore: anima vero ipsa ex ratione & appetitu, & domus ex viro & vxore, & acquisitio ex domino & seruo: eodem modo cum ciuitas ex his omnibus, ac præterea ex aliis dissimilibus constet speciebus, necesse est non vnam esse ciuium omnium virtutē, quemadmodum nec chorum agentium, supremi & assistentis, quòd igitur non eadem simpliciter ex his patet. Sed an erit alicuius eadem virtus ciuis studiosi & viri boni? Dicimus vtique studiosum in magistratu, bonum esse atq; prudentem: ciuilem autem hominem necessarium est esse prudentem, & statim aliam esse disciplinam

†magistratū gerentis.

† præsidentis aiunt quidam, vt patet in regum filiis, qui ad equestrem bellicámque disciplinam in adolescentia eruditur. & Euripides inquit, *Non mihi speciosa, sed ea quorum ciuitas indiget.*

Tanquam sit præsidentis disciplina quædam. Si autem est eadem virtus præsidentis boni, ac viri boni: ciuis autem est & qui regitur: non eadem virtus simpliciter esset ciuis & viri boni, sed tamen cuiusdam ciuis. non enim eadem virtus est eius qui præsidet, & ciuis. Et ob hoc fortasan Iason inquit grauiter ferre, si non regnare, quasi nesciret priuatus esse. Sed nihilominus laudandum est posse imperare, & patrēmadmodum præclari ciuis virtus est posse præesse, & subesse laudabiliter. Si ergo virtutem boni viri posuimus præsidentem, ciuis autem vtranque: non vtique fuerint ambæ similiter laude dignæ. Cùm ergo aliquando videatur vtraque, sed non eadē, eum qui imperat & eum qui paret, addiscere debere: ciuem autem vtraq; scire, & participare ambarū: quid sequatur deprehēdere quis poterit. Est

Est enim præsidentia dominatiua, hac vero in his quæ necessaria vocantur scire facere, nequaquam necessarium est ei qui præsidet, sed vti magis, alterum vero seruile efficio autem alterum, posse exhibere ministeria. Seruorum autem species plures esse dicimus, cum sint ministeria plura: quorū partem vnā obtinent manuales, hi sunt, vt nomē significat, qui ex manibus viuunt, in quibus sunt opifices. Quapropter apud quosdam antiquitus huiusmodi homines excludebantur à reipublicæ honoribus, antequā populus extremus fieret. Hęc igitur opificia eorum qui ita subsunt, neque rectorem discere oportet, neque eum qui in republica versatur, neque bonum ciuem: nisi fortasse quandoque suipsius priuatim gratia. Non enim amplius contingeret esse alterum dominum, alterum seruū, sed est præsidentia quædam, per quam præest similibus genere, & liberis hominibus: & hanc dicimus esse ciuilem præsidentiam, quam eū qui præest didicisse parendo oportet: ceu præfectum equitum esse, cùm ipse prius sub alio esset: & exercitum ducere, cùm ipse prius in exercitu per inferiores militiæ gradus ductus sit. Quamobrem recte dicitur, neminem bene imperare posse, qui non prius sub imperio fuerit. Sed horum diuersa est virtus, & oportet bonum ciuem scire ac posse præesse & subesse. & hæc virtus ciuis, scire recte se habere in vtraque parte, & boni viri vtraque, quanquam alia est species eius temperantiæ & iustitiæ quæ præest. nā eius qui subest ac liber est, non vna profectò fuerit virtus ac boni viri, vtputa iustitia alias species habet cùm præest, alias cùm subest. Quemadmodum viri & mulieris alia temperantia, & forti-

tudo.nam videretur vtique timidus esse vir, si ita fortis esset,vt fœmina fortis.& mulier inhonesta videretur,si sic honesta foret,vt vir honestus:ad ministratio quoque domus, alia mulieris,alia viri. nam viri est acquirere, mulieris seruare.Prudentia vero propria virtus est præsidentis.nam cæteræ quidem virtutes videntur communes,tam eorum qui præsunt, quàm eorum qui subsunt:at prudentia nó est virtus eius qui subsit,sed opinio vera.qui enim subest, vt is est qui fistulam faciat:qui vero præest, vt is qui vtitur fistula.Vtrum igitur eadem sit virtus viri boni,& ciuis studiosi,vel alia,& quomodo eadem,& quomodo alia,ex his patet. Restat adhuc vna dubitatio circa ciuem: vtrú reuera ciuis sit is solum,cui participatio est publicæ potestatis,an opifices etiam ac mercenarij sint ciues nuncupandi. Nam si ponamus hos quoque esse ciues, qui magistratuum sint expertes, nequaquam possibile est vniuscuiusque ciuis talé esse virtutem,si vero nullus horum est ciuis, in qua parte sunt huiusmodi homines reponendi? neque enim in eorum ministrorum loco qui nobiscum habitant, neque tursus vt peregrini. An secundū hanc rationem nihil dicemus euenire absurdum,neque enim serui suprà dictorum quicquam, neque liberti. Illud autem verum, quòd non omnes illi dicēdi sunt ciues,sine quibus ciuitas esse non potest:cùm neque pueri ita ciues sunt,vt viri:sed hi quidem simpliciter, illi vero ex suppositione.ciues enim sunt, sed imperfecti.Veruſtis quidem tēporibus apud quosdam opifices erant serui,aut peregrini,quapropter etiam nunc plerique tales sunt.Optima quidem ciuitas nunquam opificem faciet ciuem, quòd

quòd si hi ciues,ciuis autem virtus,quam diximus,dicendum est non esse cuiusq; ciuis,neque liberi modo,sed eorum qui à ministeriis necessariis sunt alieni. necessaria vero qui vni ministrat,seruus est:qui autem publice,viles & sordidi. Patebit autem hinc parum adhuc considerantibus, quemadmodum in his res se habeat. hoc enim quod diximus,id ostendit.Cùm enim plures sint rerumpublicarū species, plures quoque species ciuium sint necesse est, ac maxime eorum ciuium qui subsunt.Itaq; in quadam republica opifices & sordidi ciues erunt: in quibusdam vero impossibile est vt ciues sint: puta in optimatum gubernatione, siqua illa est, in qua secundum virtutem dantur honores, & secundum dignitatem. neque enim virtutem exercere potest qui vilibus opificibus occupatus est. In paucorum quoque gubernatione tenues homines ad rempublicam non recipiuntur: ex magno enim censu ad honores reipublicæ peruenitur. Artifices tamen ad hanc speciem pervenire possunt, etsi sordidi sint: quoniam plerunque diuitiis abundant. Apud Thebanos lex fuit, vt nemo habilis esset ad honores reipublicæ suscipiendos, nisi decem annis à mercatura destitisset. In multis autem rebusp̄ublicis attrahuntur lege ad ciuitatem etiam peregrini, & est etiam lex in quibusdam ciuitatibus, vt satis sit ex matre ciue esse genitum. & eodem pacto spurios mulæ recipiunt: atque propter defectum legitimorum ciuium tales ciues faciunt. paucitate enim hominum inducti, his vtuntur legibus quòd si abundent multitudine, paulatim excludūt,primo libertini generis homines, deinde eos qui ex matre solummodo ciues sint:

tandem non nisi ex vtroq; patente natos ciues, pro ciuibus habent. Quòd igitur plures sint species ciuium, ex his patet: & quòd maxime dicitur ciuis ille, qui habilis sit ad honores suscipiendos, vt Homerus inquit. sed vbi id occultum est ex deceptione habitatorũ, tanquam inhonoratum quendam reptitium, repellunt. vt inquilinus enim est & aduena, qui honores capere non potest. Vtrum igitur alia, an eadem virtus sit, per quam est vir bonus & ciuis studio sus, patet ex supra dictis, quòd cuiusdã ciuitatis idem, cuiusdã vero alius, & ille non omnis, sed qui præest reipublicæ, & potestatem habet, aut solus, aut cum aliis gubernationem exercens.

Quid sit respublica, & ipsius finis. Quot sint imperij in re familiari modi. Quid respublica recta, quidve lapsa.

CAP. IIII.

His ita determinatis, videndum iam est, vtrum vna sit ponenda respublica, an plures. Et si plures, quæ, & quot, & quæ'nam differentiæ earum sint. Est autem respublica ordinatio ciuitatis & circa magistratus alios, & maxime circa id quod summã in ciuitate habeat autoritatem, & si sit principalissimum. Principalissimum autem est id, quod vbiq; gubernat & regit ciuitatem: ceu in populari quidem populus, in paucorum vero potentia pauci. Dicimus autem & rempublicam aliam esse ab istis, eodémq; modo dicemus de aliis. Supponendũ est primo, cuius gratia ciuitas sit constituta, & quot sint gubernandi species circa hominem, & circa vitæ societatem. In superioribus libris, vbi de gubernatione rei domesticæ, ac de domino & seruo determinauimus, dictum est, natura esse hominem ciuile animal ac sociale. Ex quo fit vt si etiam nihil indigeãt mutuo auxilio, nihilominus affectent vitæ societatem. quinetiam & communis vtilitas coniungit eos, inquantum eneiem singulis partem bene viuendi. maxime igitur hic est finis & publice omnibus, & priuatim. Congregantur etiam ipsius vitæ gratia. forsan enim inest sibi aliqua particula honesti, & continet ciuilem societatem, etiam viuendi gratia solum, si non molestiæ in vita admodũ exuperent. Patet autem quòd tolerant homines multa aspera, propter viuendi cupiditatem, vt existente in eo quodam prosperitate, & naturali dulcedine. Atqui & modos imperij facile est diuidere, cùm frequẽ sit de his à nobis in externis sermonibus determinatum. Dominatio enim, licet reuera vtilis existat natura seruo, & natura domino, nihilominus imperat pro domini vtilitate, pro vtilitate autem serui contingẽter. neq; enim fieri potest, vt seruo deficiente seruetur dominatio. Filiorum vero imperium, & vxoris, & domus totius, quam vocamus rei familiaris gubernationem, aut gratia est eorum qui gubernantur, aut gratia alicuius, quod sit vtiliq; commune. Gratia eorum qui gubernant, vt videmus & alias artes, ceu medicinam & gymnasticam illorum quibus imperatur, vtilitatem quærere: contingenter tamen & eorum qui præsidunt, esse potest. nihil quippe vetat, magistrum ipsum gymnasij esse vnum eorum qui exercentur, quemadmodum gubernator semper est vnus ex his qui sunt in naui. Magistrum igitur gymnasij & gubernator considerant semper eorum vtilitatem quos gubernant. sed

quando horum vnus est, per accidens ipse quoque suscipit vtilitatem, hic quidem natura, ille autem vnus eorum qui gymnasio exercentur. Quapropter ciuilia quoq; imperia, cùm sint secundum æqualitatē ciuium constituta, & secundum paritatem, vicissim exigunt ea gerere, quæ natura sert: censentes inuicem munera subire, & considerare vicissim quoddam illius bonum, quemadmodum ille prius dum præesset, considerauit vtilitatem istius. nunc autem ratione commodorum ex reipub. gubernatione prouenientium, volunt continuo in potestate esse, velut si semper contingeret magistratum gerentibus ex valetudinariis ante, sanos degere: nam forsan sic magistratus amplectentur. Constat igitur quòd quæcunq; reipublicæ ad communem vtilitatem intendunt, hæ certe rectæ sunt secundum simpliciter iustum: quæcunque vero ad propriam eorum qui præsunt vtilitatem solum, aberrant quidem, sunt q; omnes rectarum rerumpublicarum transgressiones & labes. gubernantur enim quasi à dominis: ciuitas autem est liberorum societas.

De diuisione & definitione iustæ rerumpublicarum, & de earum transgressione.

CAP. V.

His determinatis, consequens est respicere, quot sunt & quæ: & primo quidem eas quæ sunt rectæ: nam labes earum ex illis patescunt. Cùm vero gubernatio ciuitatis & regimen idem significent: regimen autem est potestas ciuitatis. necesse est potestatem huiusmodi aut penes vnum esse, aut penes paucos, aut penes multos. Quando igitur vnus, vel pauci, vel multi communem vtilitatem in gubernatione sequuntur, has esse rectas rerumpublicarum species necesse est. quando autem ad propriam vtilitatem vel vnius, vel paucorum, vel multitudinis gubernatur, trāgressiones sunt & labes. Aut enim dicendum est non esse ciues, aut ad participationem vtilitatis sunt recipiendi. Vocare autem consueuimus, cùm vnus ad vtilitatem communem respiciens gubernat regiam potestatem. Cùm vero pauci gubernant, plures tamē vno optimatium gubernationem: vel ex eo quia optimi præsunt, vel ex eo quia ad optimum publicum administrant. Cùm autem multitudo gubernat ad communem vtilitatem, vocatur communi nomine rerumpublicarum omnium, respublica. Contingit autem rationabiliter. vnum enim excellere secundum virtutem, aut paucos datur: vt vero multitudo excellat ad omnem virtutem, difficile est, sed maxime ad bellicam. hæc enim in multitudine fit. Quare in hac reipublicæ specie principalissimum ac potentissimū est id, in quo robur belli consistet. & in his ipsi illi sunt, qui sunt in possessione armorum. Prolabuntur vero ac transgrediuntur huiusmodi species, ex regia quidē gubernatione, in tyrannidē: ex optimatibus vero, in paucorum potentiam: ex republica autem, in populare statum. Tyrannidem enim esse dicimus, dominatum vnius ad proprium commodū intendentis. Paucorum autem potentiam, cùm ad opulentorum commodum gubernatur. Popularem autem statum, cùm ad commodum egenorum. harum enim nulla ad communem vtilitatē respicit. Oportet autem paulo vberius explicare quæ sit vnaquæque istarum. habent enim

enim dubitationes quasdam. Philosophantis enim circa singulorum disciplinam, & non solum ad agendum respicientis, proprium est nihil negligere neq; prætermittere, sed demonstrare in singulis veritatem. Tyrannidem enim esse diximus vnius dominationem ciuili societati præsidentis. Paucorum autem potentiam, quando rempublicam tenent opulenti & diuites. Popularem vero gubernationé cum tenues homines & non possidentes diuitias gubernant. Prima igitur dubitatio est circa definitionem. Nam si plures sint opulenti & diuites, ac rempublicam teneant: popularis autem gubernatio sit cùm multitudo regit: eodémque modo, si cubi contingat inopes esse pauciores quàm opulenti, sed potentiores ac rempublicam teneant, & vbi pauci rempublicam obtinent paucorum potentiam nuncupamus: non recte viderentur istæ definitiones esse positæ. Enimuero si quis adiungens opulentiæ quidem paucitatem, inopiæ vero multitudinem; sic appellet rerumpublicarum species, vt dicat paucorum potentiam esse, in qua gubernationé reipublicæ habent opulenti, numero pauci: popularem vero, in qua inopes rempublicá tenent multi existentes, aliam habet dubitationem. Quas enim dicemus eas respublicas, eam videlicet in qua plures opulenti, & eam in qua pauciores inopes gubernant: siquidem nullæ sunt aliæ respublicæ præter supra dictas. Videtur igitur ratio ista ostendere, quòd paucos esse vel multos qui gubernant, contingens est, aliud paucorum potentiæ, alterum populari: propterea quòd vbiq; accidit, vt pauci sunt opulenti, multi vero inopes. Ex quo fit, vt huiusmodi causæ non faciãt diffe-

rentiam sed in eo differat popularis gubernatio à paucorum potentia, quòd alibi opulenti, alibi inopes rempublicam obtinent. Necessariúmq;, est vbicunq; per opes ac diuitias præsunt, siue hi pauciores sint, siue plures, hanc esse speciem illã quæ vocatur paucorum potentia: vbicunq; autem inopes, hanc esse popularem gubernationem. Sed accidit (vt diximus) hos quidem paucos esse, illos vero multos. opibus enim ac diuitiis pauci abundant, libertatis tantum omnes participes sunt, propter quas causas contendũt vtique de republica.

De iusto paucorum ac popularis gubernationis.
De simitatu sine, virtute ac vitio.

CAP. VI.

SVmendum est prius, quos terminos esse dicunt paucorum potentiæ & popularis gubernationis, & quid sit iustum in vtraq;. Omnes enim attingunt iustum quoddam, sed vsq; ad aliquid, & aiunt non omne iustum proprie. puta videtur æqualitas iustum quidam esse, & est, sed non omnibus, at æqualibus. & inæqualitas videtur iustum esse: & est quidem, sed non omnibus, at inæqualibus. Alij vero hoc auferunt, vt deficere quibus, & male iudicant. causa vero est, quia de seipsis iudicium fit. quivero de propriis iudicant, vt plurimum non recti sunt iudices. Itaq; cum iustum aliquibus, & diuisum sit eodem modo in rebus & personis, vt diximus in Ethicis, æqualitatem rei confitentur, sed de personis contendunt, maxime ob id quod dictum est modo, quia de seipsis non recte iudicãt. Deinde quia vsq; ad aliquid vtriq; eorum iustum quoddam dicentes, putant se dicere simpliciter

iustum

iustum. illi enim si in aliquo sint superiores, reu opibus & diuitiis, alios omnino putant imperes esse: hi vero si in aliquò sint pares, puta libertate, omnino putant esse pares. Cæterū quod est principalissimum, non dicunt. Si enim possessionum gratia societatem inissent, atq; vna conuenissent, tantum caperent ciuitatis, quantum possessionis. itaq; ratio illa valeret, quæ est paucorum potentium, qui aiunt non esse iustū, vt qui vnum contulit, tantum participet de centum minis, quantum is qui contulit omne reliquum: neque de iis quæ ab initio, neque iis quæ postea supernenient. Quòd si non viuendi solū gratia, sed magis bene viuendi: nam sic seruorum & aliorum animalium ciuitas esse posset quod non est ex eo quia, felicitatis non sint capacia, nec viuendi secundum electionem: neque societatis gratia bellicæ, ne à quoquam iniuria afficiantur: neq; propter commercia ac mutuā vtilitatem: nam sic Tusci & Carthaginienses, & omnes ij quibus est commercium inuicē tanquam ciues essent vnius ciuitatis: sunt nempe illis fœdera circa res importandas & pacta, ne iniuria afficiantur, & scripturæ circa mutuam bellorum societatem. sed neque magistratus communes his deputati sunt: verum alij apud alios. nec quales esse oportet alteri de altero cogitant, neque vt nemo eorum iniustus sit, qui sub fœdere comprehenduntur, neq; vt prauitatem nullam habeant, sed solum vt non inuicem se iniuria afficiant. At enim de virtute ac vitio publice cogitant, quicunq; curam habent bene instituendi ciuitatem. Ex quo manifestum est, de virtute curam esse habendam ei, quæ vere ciuitas sit nominanda, non orationis gratia, nam

nam sit communicatio societatis aliorum ad bellum, loco solum differens ab aliis socijs longe existentibus. & lex pactio, vt ait Lycophron Sophista, si ieiussit inuicem iustorum, sed non talis, vt bonos & iustos ciues efficiat. Et quòd ita se habeat patet. nam si quis coniungat loca ita vnam vt Megarensium Corinthiorúmque ciuitas esse inuicem contingant mœnibus, nihilominus vna non erit ciuitas: nec si simul coniungā ineant: quanquam hoc vnum sit de his communibus, quæ proprie sunt ciuitatum. Eodémque modo si qui habitent separati quidem, non tamen ita longe vt nequeant simul communicare, legésque habeant, iniuriam sibi inuicem in commerciis prohibendi: ceu si vnus faber, alter agricola, alter sutor, alter aliquis huiusmodi foret, esténtq; hi decem millia numero, nec alia eis forent communiones, nisi talium rerū, puta contractuum & bellorum confœderatio. nec sic quidem ciuitas adhuc foret. propter quam vtique causam? Non enim, quia non propinqua sit communicatio. nam si in vnum conuenirent ita communicantes, vnusquisq; tamen haberet propria domo vt ciuitate, ac sibi ipsis vt confœderati auxilium, ferant contra iniuriantes solum, ne sic quidem ciuitas esse videretur. neq; consideratibus. si quidem eodem modo communicarētur simul, coniunctim, & separatim. ex quo patet, quòd ciuitas non est cōmunicatio loci, & non iniuriandi sibi ipsis, & cōmercij gratia. sed ista quidem vt adsint, necessarium est, si quidē futura sit ciuitas. nec tamē si ista adsint omnia, ciuitas adhuc erit. At bene viuendi sodalitas & domibus, & generibus, vitæ perfectæ gratia, & per se sufficiētis. hoc tamē non erit nisi

vno

vno eodémque loco habitantibus, & coniugia simul ineuntibus. propter quod propinquitates in ciuitatibus extiterunt, & sodalitia, & fatera, & conuersationes familiarum. Idque est amicitiæ opus. nam simul viuendi electio amicitia est. Finis est igitur ciuitatis bene viuere: illa vero gratia finis. Ciuitas autem est generum pagorumque societas, vitæ perfectæ ac perfacientis: hoc est (vt diximus) bene ac beate viuere. Bene igitur agendi gratia ponendum est esse ciuilem societatem, non autem gratia simul viuendi. Quapropter quicunque plus conferunt ad huiusmodi societatem, his plus iuris competit in ciuitate, quàm his qui libertate ac genere pares sunt, vel maiores, sed ciuili virtute sint impares: & quàm iis qui diuitiis superant, sed virtute superantur. Quòd igitur omnes qui de republica contendunt, partem aliquam iusti dicunt, manifestum est ex supradictis.

Quem oporteat in ciuitate dominari: & quomodo de repetundis rationibus.

CAP. VII.

Est autem dubitatio quid oporteat dominans esse in ciuitate, nunquid populum, an eos qui diuitias habent, an bonos & æquos, vel vnum qui sit optimus omnium, vel tyrannum. Verũ hæc omnia videtur habere difficultatem. Quid enim inopes quia plures sint, si partiantur ea, quæ sunt opulentorũ, hoc non iniustum est? † decreuerunt enim qui potestatem habent, iniuria igitur summa, quæ tandẽ dicenda est? Quæsũ, omnibus acceptis, si plures ea sibi tribuãt quæ sunt paucorum, constat quòd ciuitatẽ corrumpunt. atqui virtus nunquam corrumpit id, quod eam habet, neque iustum ciuitatis corruptissimum est. ex quo patet legem istam non posse iustam esse. Præterea illa quoque quæ facta fuerint à tyranno, necessarium foret iusta esse omnia. vim enim adfert propter potentiam, vt multitudo diuitibus. Sed an paucos & opulentos iustum est dominari? an ergo si & illi hoc agant, & rapinas exerceant, auferántque multitudinis bona, hõcne erit iustum? & cætera ergo. hæc igitur omnia constat esse praua, & non iusta. Verùm bonos & æquos dominari oportet, autoritatémque habere omnium. Ergo alij omnes cùm magistratus non capiant, inhonorati manebunt? nam honores quidem magistratus potestatésque appellamus: quos si boni semper habeant, necessarium est alios excludi ab honoribus reipublicæ. Sed nunquid vnus qui sit optimus, dominari debet? at enim hoc etiam † grauius est: quoniam plures erunt ab honoribus exclusi. Sed forsan dicet aliquis, legem dominari debere, non autem hominem, in quem cadunt animi perturbationes. Si igitur sit lex quidem, sed vel ad paucorum potentiam, vel ad multitudinis fauorem declinans, quid tandem refert in his, de quibus dubitatum est? euenient enim eadem, quæ supra dicta sunt. de his igitur sit alias quidem sermo. Quòd autem magis penes multos debeat esse potestas, quàm penes paucos, licet optimos, videtur solui posse, & quandam habere dubitationem, imò forte veritatem. Nam si plures sint, quorum vnusquisque sit studiosus, tamen fieri potest, vt in vnum conuenientes, omnes meliores sint quàm illi, non vt singuli, sed vt omnes: quemadmodum cena in qua plures conferunt, quàm ea quæ ex

† iniustum est enim eo quidẽ iniuste ei qui

† ad minorem paucorum potentiã attinet.

vnius erogatione fit. nam cum plures sint, vnusquisque partem habet virtutis ac prudentiæ, ac fiunt in vnum collati, quasi homo vnus qui multos pedes habeat, multáq; manus, multósq; sensus, & eodem modo circa mores & intelligentiam. quapropter melius iudicant multi & in musica, & in poëtarũ operibus: alij enim aliud, & cuncti cuncta discernunt. Sed in hoc differunt studiosi viri ab vnoquoque aliorum ex multitudine: quemadmodum decoros à non decoris aiunt, & picta artificiosè à veris, eò quòd seorsum distincta in vnũ colliguntur. cùm si separatio fiat, pulchrius se habebit, huius quidam picti oculus, alterius vero cuiusdam alia particula. Si igitur de omni populo omníque multitudine recipitur hanc esse differentiam multitudinis ad paucos studiosos, incertum est, imò per ipsa certum, quòd de quibusdã est impossibile. nam eadem ratio de bestiis esset, quanquã quid differunt quidam, vt dixerim, à bestijs? sed de alia multitudine nihil vetat, quod dicti est esse verum. Quapropter dubitationẽ illam priorem per ista soluere quis potest, ac similiter alia subsequentem, quorum oporteat potestatẽ habere liberos homines ac multitudinem ciuium, quales sunt quicunq; neq; opes habent, neq; virtutis vllam existimationem. Etenim permittere istis magnos magistratus, neq; quàm est tutũ, propter iniustitiam & ignorantiã, per quas quibusdam iniuriarentur, in quibusdam errarent, pursus vero excludere illos penitus ab honoribus periculosum esset. cum enim multitudo inopum est in ciuitate, eáque ab honoribus exclusa, necesse est eam ciuitatẽ esse plenam hostiũ reipublicæ. testat igitur vt ad consultandũ, & decernendum

nendum isti recipiantur. Quapropter & Solon, & alij quidam eorũ qui leges cõdidere, huiusce modi homines ad repetendas gestorum rationes, & ad suffragia electionésque magistratuum admittunt: solis autem vt magistratus committantur, neq; quàquàm permittũt. Dum enim cum aliis vna decernunt, atq; consultant, capiunt omnes simul sufficientẽ sensum, & permisti melioribus prosunt reipublicæ: quemadmodũ non purum alimentum vna cum puro, totũ facit vtilius, quàm paucũ. seperatim vero vnusquisq; imperfectus est ad iudicandum. Sed habet dubitationem huiusmodi ordinatio reipublicæ. Primum, quia videretur eiusdem esse hominis scire medicare quis recte medelã attulit, qui ipse sciat etiam mederi, ac sanitatem ægrotãtibus afferre. hic autem est medicus, eodem modo de aliis fabricarius & artibus. vt enim medicũ rationem dare medelæ apud alios medicos reddere oportet, ita & alios apud similes. Medicus autẽ est & ille qui agit, & ille qui præcipit & ostendit, & tertio loco ille qui à pueritia expertus est circa artem. sunt enim quidam tales in cunctis (vt ita dixerim) artibus, tribuimus vero iudicij non minus expertis quàm scientibus. Deinde & circa electionẽ eodem se videtur modo habere, nam recte eligere scientis est opus: ceu geometrã in geometria, & gubernatorem in nauigatione. etenim in quibusdam operibus & artibus contingunt alij quidã ignorantes, non tamẽ melius iudicant quàm scientes. Itaq; secundũ hanc rationem autoritas multitudini danda non esset, neq; in electionibus magistratuum, neq; in rationibus administratorũ reposcendis. At enim fortasse hæc omnia non bene dicuntur, etiã pro-

ter superiorem sermonem, si sit multitudo non nimis seruilis, erit enim vnusquisq; deterior iudex, quàm hi qui sciunt, veruntamen simul omnes, vel melius iudicabunt, vel nõ deterius. & de quibusdam quidem non solum is qui fecerit, neq; melius iudicat, quàm quicunq; qui opera cognoscunt etiam non habentes artem. puta domum, non solũ is intelligit & iudicat qui fecit, sed melius is qui vtitur. vtitur autem patersamilias. & de temone gubernator, non faber: & de epulis conuiua, non coquus. Hoc igitur dubium per hunc modum videtur sufficienter solui. Est & alia dubitatio cum hac annexa, quia inconueniens videtur, vt deteriores qui sunt, maiorum rerum habeãt potestatem, quàm probi. rationes vero administratorum à magistratibus reposcere, & magistratus ipsos deligere maximum est. quæ duo in quibusdam ciuitatibus (vt dictũ est) à populo fiunt. concio enim talium omnium domina est. atqui concionis quidẽ participes sunt, & deliberant, & decernunt exigui census homines, & cuiusq; ætatis: quæsturam vero & militũ prætutam & maximos magistratus suscipiunt ex censu magno atq; ætate. Quæstio illa potest eodẽ modo solui. nam forsan id se recte habet. neq; enim iudex, neq; consultor, neque is qui in concione existit, dominatur, sed iudicium, & senatus, & populus: dictorum vero vnusquisq; est particula istorũ. dico autem particulam. cõsultorem, concionatorẽ, & iudicem. itaq; iuste domina maiorum est multitudo. ex multis enim populus constat, & senatus, & iudicium, maiorq; census est vniuersorũ quàm singulorum per se. & quàm illorum paucorum, qui magnos suscipiunt magistratus. Hæc igitur in hunc modum deter-

determinata sint. Prima vero illa quæstio manifestũ facit, nihil adeo vt leges rectæ positas debere dominari, illũ autem, qui reipublicę præest, siue vnus hic sit, siue plures, debere in his potestatẽ habere, in quibus leges expresse cauere nõ possunt, ex eo quia non facile sit, generali sermone singulos casus comprehendere. Quæ tamẽ leges rectæ positas dicamus, nondũ apparet. sed adhuc superest anterior dubitatio. atq; tales esse leges, quales sunt respublicæ, necessariũ est. prauas vel studiosas, iustas vel iniustas, & hoc vnum manifestum est oportere ad speciem reipublicæ leges esse accommodatas. Quòd si ita sit, patet quòd leges illas, quæ ad rectas gubernationes accõmodatæ sunt, necesse est esse iustas: illas vero quæ ad earum labes, esse non iustas.

Ex nobilibus, ingenuis, opulentis viris constituendam esse ciuitatem: iustitia, virtute bellica in ea opus esse: & ad quos legislator respicere debeat.

CAP. VIII.

Cvm vero in cunctis scientiis & artibus finis sit bonum, maximum autem & maxime in principalissima omnium: hæc autem est ciuilis potestas, est autem ciuile bonũ, iustum, id autem communis vtilitas: videtur autem omnibus æquum, quoddam esse iustum, & vsq; ad aliquid consentiunt philosophicis rationibus, in quibus determinatum est de moralibus: quid enim & quibus iustum, & oportere paribus paria existere: iquorum certe paritas, & quorum impares sit, oportet non latere (habet enim id dubitationem) & philosophiã ciuilem. Forsan enim diceret aliquis, secundum omnis boni præmientiam oportere impariter magistratus tri-

buere, si in aliis non differant, sed pares sint. differentibus enim aliud esse iustum, & quod sic secundum dignitatem. Atqui si hoc verum sit, erit & secundum colorem & secundum magnitudinem, & secundum vnumquodq. bonorum plus tribuendum de ciuili iusto illis qui superexcellunt. an hoc quidem aperte falsum est: quod patet in aliis scientiis, & artibus. Paribus enim fistulatoribus quantum ad artem, danda non est prærogatiua fistularū illi qui sit nobilior (nihil enim melius caneret) sed oportet his qui in opere ipso superexcellunt, tribuere fistularum prærogatiuam. Quòd si nondum patet quod dicimus, etiam magis deducentibus erit manifestum. nam si erit aliquis excellens fistulatoria arte, inferior tamen nobilitate generis, vel forma, & si maius quo libet illorum est bonum quàm fistulatoria (dico autem nobilitatem & formam) & secundum proportionem fistulatoriæ sunt anteponenda tamen huic dandæ sunt meliores fistulæ. oportet enim in opus ipsum prærogatiuam conferre. diuitiarum vero & nobilitatis respectus nihil confert. Præterea, secundum istam rationem, omne bonū ad omne bonum esset vtiq; comparabile. Nam si magis aliqua magnitudo, & certe omnino magnitudo comparabilis foret & ad diuitias, & ad libertatem. itaq. si magis hic excelleret magnitudine quàm ille virtute, & magis superemineret omnino magnitudo virtuti, essent omnia * conferenda. quanto enim magnitudo huius illum superaret, tanto constat esse parem. Cùm vero hoc fit impossibile, patet quòd in rebus ciuilibus, nō secundum omnem imparitatem de magistratibus recte contendunt, si enim sint hi quidē tardi, illi

* συμβλη τέα.

illi autem veloces, nihil ob hoc oportet alios plus, alios minus habere: sed in gymnicis certaminibus horum excellentia honorem capit. At ex quibus constat ciuitas, in his est necesse contentiones cadere. Quapropter rationabiliter sibi arrogant honoré nobiles, & ingenui, & opulēti, oportet enim ingenuos esse & censum habere ad onera perferenda. non enim ciuitas esse potest ex pauperibus omnibus, quemadmodū nec ex seruis. At si hæc requiruntur, patet quòd & iustitia & virtus bellica requiritur. sine his enim fiare ciuitas non potest. Hoc tamē interest, quòd sine primis illis ciuitas esse non potest, sine his autem nō bene permanere. Ad hoc igitur vt sit ciuitas, videri possunt vel omnia, vel quædam istorum recte sibi honores vendicare. ad vitam tamen optimā disciplina & virtus iustissime sibi vendicare honores vtiq. viderentur, vt suprà dictum est. cùm vero nec omnium parium par habere debeant qui in vno aliquo sunt pares, nec impar impares secundum vnum, necessariò est omnes huiusmodi rerumpublicarum trāsgressiones esse, & labes. dictum vero est prius, quia inter se quodammodo omnes iuste contendūt. simpliciter autem non omnes iuste. opulenti quidem, quòd plus regionis possident: regio autem commune quiddam, præterea in commercijs magis creditur eis vt plurimum. Ingenui autem & nobiles, quasi prope inter se. ciues enim magis generosiores quàm ingenerosi. nobilitas autem apud omnes in honore habetur. Insuper consentaneum est, ex melioribus ortos esse melliores: est enim generis virtus nobilitas. similiter quoq; dicimus virtutem merito contentionem inducere. sociabilem enim virtutem dici-

mus esse iustitiam, quam cæteræ omnes virtutes necessario consequuntur. atqui & plures ad paucioresnam & potentiores & ditiores & meliores sunt, vt susceptis pluribus ad pauciores. An ergo, si omnes isti forent in vna ciuitate, ceu boni, & diuites & nobiles, essétq; alia multitudo populi, vtrum in dubium veniret, quibus gubernatio reipublicæ foret tribuenda, an non esset dubium? In vnaquaq. igitur republica earum quas diximus, indubitatum est iudicio, quinam debeant gubernare. principatibus enim inter se differunt, ceu aliqua quatenus per diuites sunt, alia quatenus per studiosos, & aliarū vnaquæq. eodem modo. Sed tamen considerandum est, quando circa idem tempus ista existunt, quomodo sit determinãdum nempe si studiosi sint in ciuitate admodum pauci, quomodo est agendum. An considerare oportet si pauci ad opus gubernandi rempublicam sufficiant, an tot esse oporteat, vt ex his ciuitas constet. Est autem dubitatio quædam in cunctis, qui de honoribus in republica contendunt. Nam qui vel propter diuitias, vel propter genus gubernationem sibi tribuendam putant, nihil iuste dicere viderentur, sequeretur enim, vt si quis vnus omnium ditissimus foret, is eodem iure gubernare alios omnes deberet. eodem modo qui nobilitate antecelleret, eorum gubernator esset, qui cum ipsi sint ingenui, de honore contendunt. Hoc idem forsan contingeret in optimatum gubernatione circa virtutem. Siquis enim vnus probitate antecellat aliis, qui in eadem republica versentur, hunc dominari oportebit secundum illam rationem. ergo si & multitudinem dominari oportet ex eo, quia potentior est quàm pauci, etiam si vnus vel

vel plures vno, pauciores tamen quàm multitudo, potentiores sint aliis, hos oportebit gubernare potius quàm multitudinem. Hæc itaque omnia videntur ostendere, quòd harum determinationum nulla est recta, secundum quam censent sibi quisq; gubernationem esse tribuendam, cæteros vero omnes sub eorum gubernatione esse debere. Nam profecto & ad eos qui per virtutem sibi arrogant gubernandi autoritatem, & ad eos qui per diuitias, respondere posset multitudo iustum sermonem. nihil enim vetat multitudinem quandoque meliorem esse quàm pauci ac ditiorem, non secundum singulos, sed secundum vniuersos. Ex quo ad quæstionem illam, quam afferunt nonnulli, per hũc modum responderi potest. Quærunt enim nonnulli, ad quid respicere legis conditor debeat in legibus rectissime constituendis, vtrum ad meliorum, an ad plurium vtilitatem, quando contingat quod modo diximus. Rectum quidem ac cognoscendum est æque. æque vero rectum ad totius ciuitatis vtilitatem, & ad communem ciuium, cuius autem communitet qui particeps est imperandi & parendi, licet alius secundum vnamquanque speciem rerumpublicarum. secundum autem optimam speciem, qui potest & eligit patêre & imperare ad vitam secundum virtutem degendam.

An vnus qui cæteros virtute excellat, ciuitatis pars sit ponendus. De ostracismo. Et quid ab optima republica de viro illo agendum sit.

CAP. IX.

QVòd si vnus sit vsque adeo superexcellens virtute, vel plures quàm vnus, nec tamen

tot numero vt implere ciuitatem possint, vt neq; comparanda sit aliorum omnium virtus, neque facultas gerendi rempublicam ad hanc plurium si plures sint, vel vnius tantum si vnus, non amplius hi ponendi sunt ciuitatis pars, fieret enim illis iniuria, si pariter atq; alij censerentur: cùm sint vsq. adeo superiores secundum virtutem ac ciuilem potentiam. putandum est enim talem virum, tâquam Deum in hominibus esse. Ex quo manifestum est, positionem legum necessariam esse circa æquales genere potentia. sed in illos tales non est lex: ipsi enim lex sint. etenim ridiculus foret, qui illos legi subiicere conaretur. Dicerent enim fortasse quemadmodum de leone scribit Amisthenes, concionantibus lepusculis, ac censentibus æquum omnes habere debere. Quapropter à ciuitatibus, quæ popularitet reguntur, Ostracismus repertus est. Siquidem ciuitates æqualitatem maxime complectuntur. Itaq. qui superexcellere videtur, vel propter diuitias, vel propter amicos, vel propter aliquam aliam ciuilem potentiam, extra ciuitatem relegatur ad tempus aliquod terminatum. Traduntur etiam fabulæ, ob huiusmodi causam Herculem ab Argonautis fuisse relictum. non enim vnà cum aliis nauè regere illum voluisse, vt nimium superexcellentem inter nauigantes. Quapropter qui vituperant tyrannidem & consilium Periandri Thralibulo datum, non simpliciter existimandi sunt recte dicere. Ferunt etiam Periandrum nihil respondisse ei, qui consilij petendi causa ad ipsum missus fuerat: sed supereminentes spicas demetendo festinanter adæquasse. cuius causam cùm non intelligeret nuntius, ac factura ab eo narraret, intel-

lexisse Thrasibulũ, quòd oportebat supereminẽtes ciues auferre. Hoc autem nec prodest solum tyrannis, nec solum faciunt tyranni, sed & in paucorum potentia, & in populari statu similiter se habet. Ostracismus enim eandé quodammodo vim habet, tollendo eos qui supereminent, & in exilium pellendo. Hoc idem & in ciuitatibus & in gentibus faciunt qui dominantur, velut Athenienses circa Samios & Chios & Lesbios, quamprimum enim imperium firmiter habuerunt, eos in multis pessundarunt contra fœderis æquitatem. Persarum autem rex Medos, & Assyrios, & alios qui magnũ aliquid de ipsis sapiebant ob imperium prius habitũ, sæpe contriuit. Quæstio autem proposita circa omnes est rerumpublicarum species vniuersaliter, & quæ sunt rectæ, nam illæ quæ transgrediuntur, ad propriam respicientes vtilitatem, hoc agunt, quinimo & illæ quæ ad cõmune respiciunt bonum, eodem modo se habent. Patet hoc in aliis quoque artibus & scientiis. neque enim pictor pedem mensuram excedentem, animal habere pateretur, quamuis pulcherrimus ille pes esset: neque nauium faber proram, aut aliam partem nauis: neque certe magister chori eum, qui pulchriorem ac meliorem toto choro vocem emittit, sinet in choro esse. Itaque ob hoc quidem nil prohibet eos qui domini sunt, conuenire cum ciuitatibus, si proprix dominationis gratia quæ ciuitatibus vtilis sit, id agant. Quare secundum eas quas confitemur superexcellentias, quandã habet † vtilitatem ratio illa, per quam ostracismus fuit repertus. Melius tamen foret sic ab initio per legis conditorem prouideri, vt respublica non indigeret tali medicina, secundo autem

† similis institutio.

loco

loco, siquid tali accidat, conandum est tali alliquo remedio corrigere: quod tamen factum nõ est à ciuitatibus, non enim respexerunt ad commodum publicum, sed per seditionem vsi sunt ciuili pulsione. In his igitur speciebus gubernandi, quæ lapsæ sunt, quod ad priuatum commodum pertinet ac iustum est, patet, forsan autem non simpliciter iustum: & hoc est manifestum. Sed in optima republica magna haberur dubitatio, si non per excellentiam aliorum bonorum, ceu iurium & diuitiarum, & amicitiarum, sed si quis excellat virtute, quid de eo sit faciendum. Non enim dicendum est, vt talis vir sit de ciuitate pellendus, atqui neque gubernationi aliorum talis vir erit subiiciẽdus: perinde enim est, ac si qui Iouem gubernare velint potestatem diuidentes. Restat ergo, vt videtur, naturam huius talem esse, vt omnes sponte sua illi parere debeant, itaque huiusmodi quidem homines reges esse perpetuos in ciuitatibus.

De republica regia, & regum speciebus.

CAP. X.

FOrsan vero post hæc congruum fuerit considerare de regia gubernatione. Diximus enim hanc esse vnam ex rectis speciebus rerumpublicarum. Considerandum est autem, vtrum conducat ciuitati & regioni, quam recte gubernari oporteat, regem habere an non, sed alia quædam species gubernandi magis conducat an quibusdam conducat, quibusdam non. Ante omnia vero distinguendum est, an sit vnum genus eorum, vel differentias habeant plures. Et facile est intueri quòd plura genera sunt, nec est omnium regum modus vnus potestatis. In Lacedæ-

ræmoniorum enim republica videtur rex esse maxime secundum leges, neque enim potestatem habet omnium: sed cùm egreditur extra regionem, imperium habet eorum quæ pertinent ad bellum, præterea sacrificia, Deorúmque cerimoniæ ei commissa sunt: hæc igitur regia potestas est, quasi autoritatem belli perpetuã habere. vitæ enim necisque alicuius non habet potestatem, nisi dum bellum gerit, vt etiam apud antiquos fuisse videtur, quod ostendit Homerus: nam Agamemnon in concionibus, maledicit & iurgiis vexabatur, sed cum à concione digressus in prælio erat, occidendi habebat potestatem. Itaque, inquit, quem ego procul à pugna fugientem conspexero, non sibi sat erit iugere canes & aues: nam penes me occidendi potestas. Vna ergo species regni est autoritas belli perpetua, & quandoque per genus, quandoque per electionem huiusmodi regnum obtinetur. Est & alia insuper monarchiæ species, qualia fuse apud quosdam Barbaros regna, vim habentia proximam tyrannidi, licet sint legitima & secundum morem patria. Ob id enim, quia magis aptæ sunt natura ad seruiendum nationes Barbarorum quàm Græcorum, & eorum qui incolunt Asiam, quàm eorum qui Europam, perferunt seruile iugum æquo animo. Et ob hoc tyrannica sunt huiusmodi regna: sed habent securitatem, quia more & legibus constituta. Et ea de causa custodiam habent regiam, non tyrannicam. reges enim à ciuibus custodiuntur: tyranni vero ab externis mercede conductis, & reges secundum leges, & volentibus: tyranni vero inuitis dominantur, itaque alteri à ciuibus custodiuntur, alteri contra ciues cu

* δορυφο-ρικὸν γέ-νος.

ues custodiam parant, sunt igitur hæ, de quibus dictum est. duæ species monarchiæ. Tertia est species, vt antiquitus in Græcia fuere, quos vocabant Aesymnetas. Est autem hæc, vt simpliciter dicamus, electiua tyrannis, differens à Barbarica, non eo quòd non legitime. sed eo quòd non consuete, potestas autem huiusmodi, aut viuente eo durabat, aut tempore quodam præfinito, vel rebus gestis finiebatur, qualem elegerunt quandoque Mitylenæi Pittacum aduersus exules suos, quibus præerant Antimenides & Alcæus posita, ostendit hoc Alcæus in quodam loco suorum carminum. increpat enim, quòd Pittacum hominem obscuri generis laboranti ciuitati præfecerint, tyrannum plaustra frequentantes. Huiusmodi igitur species, quia tyrannicæ sunt, dominationem habent: quia vero electiuæ sunt, & volentium, regiæ. Quarta species regni est, quales erant heroicis temporibus spontaneæ secundum morem & legem. propter beneficia enim à patribus collata in populos, vel per artes, vel per bellum, vel per congregationem in vnum, vel propter acquisitionem regionis delatum fuit eis regnum de populorum voluntate & successoribus. Id erat secundum morem. Hi & imperium habebant belli, & rei diuinæ cultum exercebant: nisi talia essent sacrificia, quæ sacerdotium requirerent, & præterea de controuersiis iudicabant, & hoc faciebant alij iureiurando præstito, alij sine iureiurando, erat autem illis iusiurandum per sceptri eleuationem. Veteres igitur illi reges antiquis temporibus ciuitates, & gentes, & nationes externas continuo gubernabant, postea vero, partim ipsis regibus dimittentibus, partim multitudine

tudine detrectante, illud solum in quibusdam ciuitatibus relictum est regibus, vt ceremoniarū erga Deos haberent facultatem, ac belli duces in externis essent.

De speciebus iterum regiæ potestatis. An ab optimo viro regi, vel ab optimis legibus gubernari magis expediat. Cui vbi lex prouidere non potest, prouidenda danda sit potestas. De permutatione ex vna alteram reipub. speciem. Et de cultu diuino regio.

CAP. XI.

REgiæ ergo potestatis tot sunt species, quatuor videlicet. Vna qualis erat temporibus heroum, volentium scilicet, & in quibusdam determinatis rebus. Dux enim belli, & iudex controuersiarum erat rex, & dominus ceremoniarum erga Deos. Altera erat Barbarica, ex progenie scilicet, dominatio secundum leges. Tertia, quam Aesymnetiam vocant, quam esse diximus electiuam tyrannidem. Quarta, Lacœna autem est, vt simpliciter dicam, imperium belli in quodam genere perpetuum. Ista quidem igitur per hunc modum inter se differunt. Quinta est species regni, quando vnus omnium habet potestatem, quemadmodū vnaquæque gens, & ciuitas vnaquæque publice ordinata, ad exemplar gubernationis domus. Vt enim gubernatio patrisfamilias est regia quædam potestas domi, ita regia potestas est ciuitatis & gentis vnius, aut plurium quasi domestica quædam gubernatio. Ferè autem duæ sunt regni species, de quibus considerationem facere expedit, vna hæc, de qua diximus, altera Lacœnica. nam aliarum pleræque inter has mediæ sunt.

sunt.pauciorum enim dominæ,quàm omnimoda potestas regia:pluriū vero quàm Laconica. Itaq. consideratio fetè circa duo versatur. Vnū, conducátne ciuitatibus perpetuum belli ducem habere:& hunc vel per genus,vel per electionē. Alterum,conducátne, vnum habere potestatem omnium,an non conducat. De duce igitur belli considerare,ad leges potius pertinet, quàm ad aliquam speciem reipub.nam in omni republica id cadere potest,quare dimittamus hanc primam partem.De rege autem,quoniam hæc est gubernandi legitima species,considerare oportet, & dubitationes quæ in ea cadunt percurrere. Caput vero huius quæstionis est, vtrum expediat magis ab optimo homine regi, vel ab optimis legibus gubernari. Qui gubernationem hominis præferunt, aiunt leges solum vniuersaliter prouidere,nō autem de singulis quæ accidunt iubere,itaque in quacunque arte liceris præcipere fatuum esse. Et in Aegypto post tertiam diem mouere licet medicis, quòd si prius periculo id agunt suo. Patet ergo propter eandē causam,non esse per literas & leges optimam gubernationem, atqui & illam adesse oportet gubernantibus vniuersalem rationem. Et melius certe cui nō adest turbatio aliqua omnino, quàm cui natura aliter inest.hæc autē turbatione lex caret,mens vero humana non caret.Sed forsan dicet aliquis,quòd per huiusmodi rationem probabilius deliberabit circa singula.Quòd igitur necesse sit ipsum legis conditorem esse,ac leges poni,manifestum est:sed non inuiolabiles, quatenus transgrediuntur. nam in cæteris quidem inuiolabiles esse oportet.At de quibuscunque lex aut prouidere non potest omnino, aut

aut non bene prouidere, vtrum in his vni viro optimo danda sit potestas, an multis? Etenim nunc plures simul cognoscunt de causis,& deliberant,& iudicant,sunt autem huiusmodi iudicia omnia de singularibus,& cum vnusquisque per se fortasse deficiat,ciuitas autem ex multitudine constet: vt conuiuium,ad quod plures conferunt,melius est quàm vna atque simplex mensa:sic iudicia multorum sæpe meliora sunt, quàm vniuscuiusque. Præterea multitudo minus subiacet corruptioni, quemadmodū aquæ magna congeries:sic etiam plures quàm pauci, incorruptibiliores sunt.at cùm vnus iudicat,si ira vel alia huiusmodi perturbatio vincat,necessarium est iudicium corrumpi:sed in multitudine,difficile foret omnes ira sci atque errare. Sint autem multitudo liberorum hominum, qui nihil agant præter legem,nisi in quibus lex ipsa necessario deficiat,quòd si hoc nō facile in pluribus,si plures sint boni viri & ciues, vtrum incorruptior erit vnus in gubernando,an cū erunt plures & boni omnes? an patet quòd plures? enimuero plures inter se factionibus cōtendūt, vnus autē non contendit.Sed aduersus hoc forsan ponendum est,quòd studiosi viri sunt omnes,vt ille vnus. Si ergo plurium gubernatio, bonorum autem virorum omniū, optimatium dicitur, vnius autem regnum, optabilius esset ciuitatibus ab optimis gubernari quàm à rege, & si cum potestate,& si sine potestate sit imperium,modo reperiri queant plures similiter, & ob hoc forsan rex ab initio repertus est, quòd difficile erat viros plures excellente virtute reperiri,præsertim cùm tunc ciuitates paruæ forent,præterea ob beneficia accepta regem creabant.

uere: quod opus est bonorum virorum. sed cùm postea contingerer, vt plures pari virtute reperirentur, non amplius toleraruntregem, sed commune quiddam quærentes respublicas constituere. Cùm vero deteriores facti, lucrum sibi quærerent ex gubernatione reipublicæ, paucorum hinc potentiam exortam fuisse credendum est. Honorabant enim diuitias: ex his vero in tyrannides transire: ex tyrannidibus rursus ad plebem, semper enim ad pauciores redigêtes, propter quæstus cupiditatem, multitudinem corroborauerunt. vt tandem insurgens multitudo ad popularem statum ciuitates redegerit, factis insuper maioribus ciuitatibus, non facile est aliâ quàm popularem gubernandi speciem retinere. Si autem quis ponat optimum esse ciuitatibus à rege gubernari, quomodo fiet in filiis? vtrum per genus erit successio. At si nazorum quale sæpe, pernicioſum est. Sed dices, non refert, dummodo regnum huiusmodi natis rex, cùm id in sua sit potestate. At non facile iam est in hoc fidem habere: arduum enim ac maioris virtutis, quàm secundum humanam naturam. Quæstio est etiam vtrum habere debeat qui regnaturus est, circa se potétiam quandam, qua possit compellere nó parentes, vel quomodo gubernationem exercebit? Si enim habeat potestatem à legibus concessam, & nihil ex voluntate sua faciat præter leges, tamen necessaria erit sibi potentia, per quam leges tueri queat. Forsan quidem de huiusmodi rege non difficile est determinare. nam oportet ipsum vires habere, sed tales vt vnoquoque separatim & simul pluribus potentior sit, populo tamen sit impotentior: vt anti qui solebat custodias ciuitati dare, cùm aliquem

quem ciuitati præfecissent, quem Aesymnetam vocitabant, vel tyrannó. Et Dionysio postulanti extra se habere aliquot custodiæ causa, consuluit quidam Syracusanis tot esse dandos.

De regia vnius tantum & absoluta potestate: & an ipsum legémve dominari melius sit. Et qua multitudo à regibus quæve ab alijs viris apta sit gubernari. CAP. XII.

VErùm de eo rege, qui cuncta ex voluntate sua gerit, consideratio nunc est facienda. nam ille qui secundum leges dicitur rex, nõ facit (vt diximus) regiæ gubernationis speciẽ, quia in cæteris rebus publicis cadere potest vt sit quidam ducendo exercitui, cùm ciuitas bellum gerit, perpetuo præfectus puta in populari statu, & optimatium gubernatione, pluresq; autoritatem vni committunt belli gerendi. Est autẽ talis quædam deputatio apud Doracium, & apud Sypontinos: licet apud Sypontinos paulo constrictior. Sed regia illa potestas plenissima, per quam rex omnia ex voluntate sua gubernat, videtur quibusdam non esse secundum naturã: vt vnius omniũ dominus sit ciuium, cùm ex similibus ciuitas conster. nam similibus natura idem ius esse necessarium est, & eandem dignitatem secundum naturam, quare vt parem habere impares alimoniam, aut vestem, nociuum est corporibus: sita & in honoribus res se habet, similiter ergo & inæqualem inæqualibus, ex quo non magis præsse quàm subesse iustũ est, & per vicissitudinem eodem modo, & hanc iam lex, nam institutio † lex est. Melius est igitur vt lex dominetur, quàm aliquis ciuiũ, eademque ista ratione si quos præsse oportet, ita sunt præficiendi, vt † ordo.

custodes legum, atq; ministri. necesse est enim esse aliquos magistratus cum potestate, sed non vnum hûc esse debere aiunt in ciuium paritate. Quæcunq; tamen videntur per legem quidem terminari non posse, per hominé vero cognosci posse, prudenter cauens lex adiungit, cætera iustissima intentione iudicari debere per eos qui iudiciis præsunt, ac insuper emendare permittit, quid videatur, conantibus vt melius disponatur quàm sicut iacet. Qui igitur legem præesse iubent, videntur iubere Deum præesse & legesquè autem hominem iubet præesse adiungit & bestiam, libido quippe talis est, atq; obliquos agit etiam viros optimos qui sunt in potestate, ex quo mens absq; appetitu lex est. Videtur autem de artibus falsum esse exemplum. quòd secundò literas medicari vanũ esset, melióq; fore si possidentibus artem vtamur. nam illi quidem nihil contra rationem per amicitiam agunt: sed † recusant mercedem accipere, cum sanos faciant. At in ciuilibus magistratibus multa per affectionem & gratiam consueuerunt delinquere, cum si de fide medici timeretur, ac suspitio foret, ne suscepto ab inimicis pretio necare velit, tunc ex literis curam magis optaremus. Atqui ægrotantes medici allos ad se medicos vocant, & magistri palæstræ alios magistros: quasi nequeant verum discernere qui de propriis iudicant, & in affectu constituti sunt. quare manifestum est, quòd iustũ quærentes, mediũ quærunt. Lex enim medium est. Præterea validiores, & de validioribus rebus leges sunt illę, quę ex moribus proueniunt, quàm quæ ex literis: quare si minus fallitur homo magistratum gerés quàm hi qui secundum literas, nõ tamẽ quàm hi qui secun-

† a. Iuuer-cedem accer-piant.

secundum consuetudinem. Atqui nec facile est vnum discernere: opus erit ergo, vt plures sint sub eo magistratũ gerẽtes. itaq; quid refert hoc, statim ab initio prouidere, vel expectare, vt ipse vnus aliis ista cõmittat? Insuper quod prius debatur, si quidé vir studiosus, quoniam melior sit, præesse debet, vno autem duo boni meliores sunt. Hoc enim est quod Homerus ait:

Duo simul euntes. Et optatio Agamemnonis:

Vtinam tales mihi decem consultores adessent.

Sunt autem etiam nũc magistratus cum potestate iudicandi de quibusdã, ceu iudex de quibus lex prouidere nõ potest, nam de quibus lex determinare potest, nemo dubitaret. Sed cum quædam comprehendi legibus possint, quædam non possint: & hæc sint illa quæ dubitationem & quæstionem facũt, vtrum melius sit ab optima lege, an ab optimo viro gubernari: nam quæ in consultationem veniunt, de eiusdem ferri legem impossibile est. nõ igitur hoc aiunt, quòd necessarium sit hominem de huiusmodi rebus iudicare, sed quòd non vnum solum sed plures. iudicat enim vnusquisque in magistratu bene, si sit eruditus primo à lege. Forsan vero absurdũ videri posset, si melius cernat duobus oculis, & duobus auribus audiat, & duobus pedibus, duabúsq; manibus agat, quàm plures pluribus: cum & nunc quidem reges & tyranni oculos plures sibi comparent, & aures, & manus, & pedes præficiendo amicos, & curationem rerum eis commũnicando, qui nisi sint amici, non faciunt secundam illorum intentionem: si vero sint amici, & status illorum & personarum: amicus autem par & similis. quare si eos censet præficiendos, eosdem pares ac similes gubernationi præesse cẽ-

set oportere. Quæ igitur contáalentes contra regiam gubernationem aiunt, ferè ista sunt. Sed hæc forsan in quibusdam ita se habent, in quibusdam autem non ita. Est enim quiddam natura dominabile, aliud regibile, aliud populare, & iustum, & vtile. tyrannicum vero non est secúdum naturam, nec vlla aliarum gubernationum, quæ rectam transgrediuntur formam. hæc enim sunt præter naturam. Sed ex his quæ dicta sunt, patet, quòd in similibus & paribus nec vtile est neque iustum, vt vnus sit dominus omnium: neque si non sint leges, sed tanquam ipse sit lex: neq; si sint leges, neq; bonus bonorũ, neque non bonorum non bonus: neq; si secundum virtutem sit melior, nisi per quendam modum. Quis autem iste sit modus dicendum est. diximus vero aliqualiter & ante. Et primo determinandum est, quid congruat regi, quid optimatibus, quid reipublicæ. Regibus congruit huiusmodi multitudo, quæ natura apta sit ferre genus præstans virtute ad principatum ciuilem. Optimatibus vero congruens est multitudo liberorum, quæ nata sit ad ferẽdum gubernationem eorum, qui sunt secundum virtutem primarij. Ad ciuilem gubernationem autem reipublicæ congruit ea multitudo, in qua populus innascitur bellicus, qui gubernari possit, & gubernare secundum leges & æquitatem, impartiens tenuioribus honores & magistratus. Quando igitur aut totum genus, aut inter alios vnum aliquem ita virtute præcellere contingat, vt vnius ipsius virtus maior sit aliorum omnium virtute, tunc iustum est hoc esse regium genus, & omnium dominari, & hunc vnum esse regem. Vt enim dictum est prius, non solum id habet

habet iustitiam, quam præferre solent rerumpublicarum institutores, & qui optimatum, & qui paucorum potentiæ, & qui popularis. omnes enim secundum excellentiam tribuunt, sed excellentiam non eandem, sed secundum prius dicta. neq; interficere, neq; in exilium agere, neque relegare hunc posse decet, neq; dignari vt per vices gubernet. non enim natura fit, vt pars superet totum. habenti vero tantam excellentiam hoc accidit. restat ergo vt huic suadenti pareatur, & potestatem eum habere, non per vices, sed simpliciter. De regia igitur gubernatione, & quas differentias habeat, & vtrum vtile sit ciuitatibus vel non, & quibus & quomodo, in hunc modum determinatum sit. Cùm vero tres dixerimus esse rectas gubernandi species: harum vero necessarium sit eam esse optimam, quæ ab optimis gubernetur: talis autem est, in qua contingit, aut vnum aliquem omnium, aut genus totum, aut multitudinem virtute præstantem gubernare eos, qui gubernari valeant, ad eam vitam quæ sit maxime expetenda: & in primis libris ostensum sit necessarium esse, vt sit eadem virtus boni viri & ciuis optimæ ciuitatis: patet quòd eodem modo & per eadem fit vir bonus, & ciuitatem statueret quis ab optimis gubernari, vel à rege. itaq; eadem ferè disciplina & iidem mores facient studiosum virtutis, qui faciunt ciuilem & regium. His determinatis, considerandum iam erit de optima republica dicere, quemadmodum fiat, & quomodo constituatur. nam necesse est de illa conuenientem considerationem facere.

ARISTOTELIS POLITICORVM LIBER QVARTVS.

SVMMA LIBRI.

De variis rebuspublicis, ac ipsarum speciebus & tandem de optima. Qui apti sint ad vnam rempublicam, quive ad aliam. De earum mutuis deceptionibus. De reipublicæ partibus. consiliis scilicet. magistratibus, & iudicijs.

De optima republica. & aliis etiam à legislatore cognoscendis.

CAP. I.

IN cunctis artibus & scientiis quæ non circa partem sed circa genus aliquod perfecte existunt, vnius est considerare, quid cuique conueniat generi. ceu exercitatio corporis qualis quali conueniat, & quę sit optima. optime enim natura disposito & optime distributo, optimam conuenire necessarium est, & quæ plurimis, vna omnibus: etenim hoc gymnasticæ est. Præterea vero, si quis non exactam illum cupiat habitum & scientiam circa certamina, nihilominus magistri gymnasiorum est hanc potentiam præparare. eodémque modo in medicina, & in fabricatione nauium, & vestium

filium, & in omni alio artificio videmus contingere. Quare manifestũ est, quòd eiusdem est scientiæ videre quæ sit optima respublica, & qualis maxime ad votum foret, nullo externorum eam impediente. & quæ quibus conueniat, nam plures optimam assequi, forsan impossibile est. Itaq; & ea quæ sit simpliciter optima, & ex quæ quantum fieri potest optima, latere non debet legis conditorem, ac vere ciuilem hominem. Ac præterea tertia quæ sit ex suppositione. nam oportet datam quoque considerare posse, quemadmodum ab initio constituatur, & constituta seruaretur quamplurimo tempore. Dico autem ceu si cui ciuitati contigerit, neque optimam gubernationẽm habere, neque necessaria illi adesse, neque illis ipsis quæ assint recte vti, sed aliis deterioribus. præter hæc autem omnia, eam gubernationem, quæ omnibus maxime congruat ciuitatibus, nosse oportet: vt tradunt plurimi eorum qui de republica tradunt. Et si de aliis recte dicant, de vtilibus certe aberrant. non solum enim optimam rempublicam cõsiderare oportet, sed etiam illam quæ in vsum cadere possit, & quæ sit facilior & communior omnibus. Nunc autem alij supremam quærunt solum, multis admiculis indigentem. alij magis communem aliquam tradentes, tollentésque eas quæ in vsu sunt, Laconicam, vel aliam quandam commendant. At enim oportet talem institutionem reipublicæ inducere, vt velint ac possint homines ex his quæ sibi adsunt, facilitèr eam recipere. Nam est non minus difficile corrigere rempublicam iam institutam, quàm ab initio instituere. quemadmodũ & post discere, quàm ab initio didicisse.

Quapropter non solum his quæ libris scriptæ sunt rebuspublicis, verumetiam illis quæ re vera existunt auxiliari posse decet ciuilem hominem, vt diximus. Hoc autem facere non potest, si ignoret quot sint species earum. nam nunc quidam putant vnam esse popularem, & vnam paucorum potentum: quod non est verum. Itaque oportet non latere differentias omnium, & quot sint, & quotupliciter componantur. Leges etiam simul cum his considerandæ erunt, quæ sint optimæ, & quæ conueniant vnicuique gubernationi. Sunt enim leges omnes ad rempublicam accommodandæ, non autem respublica ad legem. est nanque respublica institutio ciuitatis circa magistratus honoréque publicos, quemadmodum debeant impartiri, & in quo potestas autoritásq; summa debeat consistere, & qui sit finis cuiusq; societatis. Leges autem earum variæ sunt, per quas modus reipublicæ gubernandæ significatur secundum quas, debeant illi qui sunt in potestate imperare, & prohibere transgressores. Ex quo patet, quòd necessarium est differentias & numerũ tenere singularum rerumpublicarum, etiam ad legũ positiones. neq; enim fieri potest, vt eædem leges vtiles sint paucorum potentiæ, ac popularibus omnibus. siquidem plures sunt, & non vna popularis potestas, neque vna duntaxat paucorum potentia.

De speciebus rerumpublicarum, transgressionibus, ac de iis quæ à ciuili viro sunt exquirenda.

CAP II.

CVm vero in præcedentibus dictum sit à nobis, tres esse rerumpublicarum species re-

gas, regnum, Optimatem, & eam quæ appellatur Respublica: ac tres earum transgressiones & labes, cùm regnum in tyrannidem, optimorum autem gubernatio in paucorum potentiam, respublica autem in popularem statum labatur: & de optimatum gubernatione & regia sit dictum: nam de optima republica considerare idem est, ac de illis dicere: vult enim vtraq; illarum per virtutem, cæteris opportunius concurrentibus consistere: & insuper quid inter se differat regia potestas, & optimorum gubernatio: & quando regia gubernatio putanda sit, determinauimus: restat nunc vt de illa quæ appellatur respublica dicamus, & de cæteris gubernandi formis, vt de paucorum potentia, ac de populari statu, & de tyrannide. Patet igitur harum transgressionum quæ deterrima sit, quæve secunda. necesse est enim primæ & diuinissimæ transgressionem, esse deterrimam: Regiam quippe gubernationem necesse est aut nomen habere solum, cùm non sit: aut propter magnam illius, qui regit excellentiam, esse. Ex quo sit, tyrannidem deterrimam existere, ac plurimum à recta specie gubernandi abesse, secundo autem loco, paucorum potentiam. nam optimorum gubernatio multum ab hac specie distat. maxime vero mediocrem esse popularem statum. Fuit & prius quidam, qui isto modo tradidit, non tamen in idem aspectum nobiscum. ille enim existimabat spectarum omnium, quæ recte sanè essent, velut paucorum potentiæ & aliarum, deterrimã esse popularem: improbarum vero optimam. Nos autẽ eas quæ transgrediuntur, aberrare omnes dicimus, nec paucorum potentia, quòd melior

sit

sit altera quàm altera recte dicitur, sed quòd minus improba. verum de his nùc discutere omittamus. Est à nobis primo distinguendum, quot sint differentiæ rerumpublicarum, siquidé plures sunt species popularis gubernationis ac paucorum. Deinde quæ communissima & optabilissima sit post optimam rempublicam, & si qua contingit alia ad optimatium naturam declinans recte constituta, & quamplurimis congruès ciuitatibus, quæ nam ista sit, deinde aliarum, quæ à quibus expetéda. Forsan enim quibusdam necessaria est popularis gubernatio magis quàm paucorum potentia: quibusdam vero hęc magis quàm illa. Deinde quemadmodum dispositum esse conueniat illum, qui velit has gubernationes recipere. dico autem popularem secundum singulas species, ac rursus paucorum potentiam. Tandem vero omnium illarum cùm facta fuerit breuiter mentio, conandũ erit referre quænam labes, & quæ conseruationes sint rerumpublicarum & communiter omnium, & particulariter vniuscuiusq; & per quas causas illas maxime euenire contingat.

Quæ sit rerumpublicarum diuersitatu causa: & quæ sint earum species præcipuæ, tum ex aliorum, tum vero ex propria opinione.

CAP. III.

VT igitur sint plures rerumpublicarum species, illa est causa, quòd cuiusque ciuitatis partes sunt plures. Videmus enim primo, ex domibus constare ciuitatem: deinde rursus ex hac multitudine alios esse diuites, alios pauperes, alios medios: diuitúmq; & pauperum, partem esse bellicam, partẽ imbellem: & rursus ex plebe partem agrorum culturæ deditam videmus, partem mercaturæ, partem opificiis & sordidis ministeriis. Nobilitatis quoq; differentiæ sunt secundũ opulentiam, & magnitudinem census. sunt enim alij equites: quod munus nemo facile sustinere supportare potest, nisi sit diues. Itaq; antiquis ẽporibus quæcunq; ciuitates equestri potentia excellebant, in his paucorum potẽtia gubernabat: equitatu autem bella contra finitimos exercebant, ceu Eretrienses, & Chalcidenses, & Magnesij, qui sunt super Mæandro, & alij plures Asiaticorum ciuitatum. Præterea sunt aliæ quàm iuxta diuitias nobilium differentiæ. quosdam enim genus, quosdam virtus extollit, & si quid aliud tale ciuitatis partem esse oporteat, dictum est, vbi de optimatibus tractauimus. ibi nanque distinximus, ex quot partibus necessariis omnis constat ciuitas, & hę quidem partes, quandoque concurrunt omnes ad rempublicam gubernandam, quandoq; plures. Patet igitur, quòd necesse est plures respublicas esse inter se differentes specie. nam & hæ partes earum inter se specie differunt. Respublica etiam est institutio gubernatorum. hanc vero distribuunt omnes, vel secundum potentiam eorum qui participes sunt, vel secundum aliquam æqualitatem communem. dico autem, veluti tenuiorum, & opulentiorum, vel communem aliquam amborum. Necessariũ est ergo respublicas tot esse, quot sunt institutiones circa earum superemineutias, & secundum differentiam partium. Maxime vero duę videntur esse. quemadmodũ de ventis dici solet, alios quidem esse boreales, alios australes, exteros autem ventos horum esse excessus: sic etiam respublicas duas esse

popu

populare scilicet, & paucorum potentiã: nam optimates speciem esse paucorum potentium posuere, & eam quæ vocatur respublica, dicebat esse popularem: quemadmodum de ventis Zephyrum quidem borealem, Eurum autẽ australem. Eodémq; modo in harmonijs, vt quidam tradunt. nam & in illis posuerunt duas species, vnam Doticam, altesam Phrygiam, cæteras vero omnes, vel ad Doricam, vel ad Phrygiam referri. maxime quidem igitur consueuerunt de rebuspublicis sic existimare. Sed certe verius ac melius est, vt nos diuisimus, duarum vel vnius rectè constitutæ cæteras esse transgressiones, & aliquas esse probè temperatæ harmoniæ, alias vero ipsius optimæ reipublicæ. ad paucorum vero potentiam inclinant quæ duriores sunt ac magis violentæ: quæ vero remissæ & molles, ad popularem statum.

De populari gubernatione ciuitatis paribus, sic etiam plebis, nobilium, ac popularis gubernationis.

CAP. IIII.

NEq; vero popularis ita simpliciter ponenda, vt quidam ponunt, vbi multitudo dominatur. nam & in paucorum potentijs, & vbique maior pars præualet. Etenim si essent vniuersi mille trecenti, & horum mille forent opulenti, neque partem gubernationis darent trecentis illis pauperibus ingenuis, ac in cæteris paribus, nemo certe diceret hanc esse popularem. Eodémq; modo, si pauci quidem inopes in ciuitate plus possent quàm multi & opulenti, nec honores illis impartirentur, nemo veiq; dicer

diceret hanc esse speciem, quæ appellatur paucorum potentium. Potius itaq; dicendum fuerit popularem quidem esse, cùm penes ingenuos homines est gubernatio: paucorum autem potentium, cùm penes opulentos. sed contingit vt alteri multi sint, alteri pauci. plerique enim ingenui sunt, rari vero diuites. Etenim si magistratus, honoréſque publici secundum magnitudinem distribuerentur, vt in Aethiopia quidam tradunt fieri, vel secundum pulchritudinẽ, paucorum esset gubernatio, cum parua sit multitudo magnorũ & formosorum. Veruntamen non isto modo sat est respublicas istas determinasse, sed cùm plures sint partes & multitudinis & paucorum potentiam, adhuc resumendũ est, vt neq; ingenui pauci existentes pluribus, neq; multitudo ingenuis dominetur. vt in Apollonia, quæ est in Ionio & Thera. in vtraque enim istarum vrbium honores dignitatésque erant istorum, qui nobilitate præstabant, & qui primi eas colonias venerant, qui erant pauci: non autem diuitum superaret populus. vt in Colophone antiquitus: ibi enim possidebat magna patrimonia multitudo, antequã bellum gereret aduersus Indos. Sed est multitudinis quædã gubernatio, quando ingenui homines & inopes multi existentes gubernant rempublicã. Paucorum vero potentiam, quando opulenti & nobiliores pauci existentes gubernant. Quòd igitur plures sint rerumpublicarum species, & quibus de causis, patet. Quamobrem vero plures sint, quam illæ quas dictum erat, & quænam istæ sint, & propter quid, deinceps dicemus, principium vnde prius assumpto. fatemur enim non vnam omnem, sed plures omnem habere ciuitatẽ

Vt

Vt igitur si animalis vellemus species capere, primo segregaremus id quod necessarium sit animal omne habere, ceu quædam sensoriorũ, & quòd cibum conficiat atq; receptet, puta os & ventrem, & præterea illas, quibus mouẽtur partes. Si itaq; tot species solum, harum vero differentiæ forent, dico autem ceu otis genera plura, & ventris, & sensoriorum, & præterea earum quibus mouentur, partium, harum coniugationis numerus necessario efficiet plura genera animallum. non enim fieri potest, vt idem animal habeat plures differentias otis, sic etiam neque aurium. itaque, quando susceptæ fuerint omnes combinationes istorum, facient species animalis: & tot quidem species, quot coniugationes sunt partium necessariarum. Eodem modo de dictis rebusp̃licis. ciuitates enim non ex vna, sed ex multis partibus constant, vt sæpius dictum est. Vna quædam pars est circa alimenta multitudo, quos agricolas dicimus. Altera vero pars ea quæ vocatur mechanica, hæc autem versatur circa ministeria, ceu artes, sine quibus ciuitas habitari non potest. harum vero artium aliæ sunt necessariæ, aliæ ad delicias pertinent, & ad vitæ cultum. Tertia pars est forensis multitudo, quæ circa emendum vendendúmque, & circa mercaturam & nummulariam versatur. Quarta pars, mercenarij. Quinta, propulsatores belli, quæ quidem pars non minus necessaria est ciuitati quàm aliqua supe riori, aduersus inuadentes, si velint tueri libertatem. impossibile est enim vt quæ ciuitas vocamereatur, sit natura serua. per se enim sufficiens ciuitas: seruus autem non per se sufficiens est. Quapropter in libris de Republica ornate qui

quidem hoc, sed non sufficienter dictum est à Socrate. inquit enim ex quatuor maxime necessarijs ciuitatem constare. hos autem esse, textorem, agricolam, coriarium, ædificatorem. tum fas vero adiungit, quasi illa non sufficiant, fabrũ ferrarium & pastorem: & insuper negotiatorem, & nummularium. & hæc omnia complent primam ciuitatẽ. Quasi vero ciuitas omnis necessariorum gratia sit constituta, ac non magis gratia honesti, & quasi æque indigeat coriariis, & agricolis. propulsatores autem belli non primam facit partem, antequam aucta regione, ac vicinis coactis, ad bellum deueniatur. Atqui & in quatuor illis, & in quotcunq; communicantibus, necessarium est esse aliquẽ, qui ius dicat, ac decernat. Siquidem ergo animam quis ponat animalis esse partem magis quàm corpus, & ciuitatum magis talia ponendum est esse partes, quàm ea quæ pertinent ad necessarium vsum, propulsatores belli videlicet, ac iustitiæ iudiciariæ exhibitores, ac præterea consultores, quod est ciuilis prudentiæ opus. & hoc sine separatim existat quibusdam, siue eisdem, nihil refert ad hunc sermonem. nam & in armis esse, & agros colere, æpe cõtingit eisdem. Quare si hæc & illa ponenda sunt ciuitatis esse partes, manifestum est quòd & propulsatores belli pars necessaria sint ciuitatis. Septima pars est eorum, qui magna patrimonia habentes, reipublicæ onera sustinent, quos opulentos vocamus. Octaua, eorũ qui publicam operam exhibent. & qui in magistratibus gerendis occupati existũt. ciuitas enim absq; magistratibus esse non potest. necessariũ igitur est, esse quosdam qui magistratus gerere vocant, & hoc munus sufferre vel perpetuo,

vel ad tempus. Reliqua vero sunt illa, de quibus paulo ante determinauimus, in consulendo, & ius litiganti in ciuitate reddendo versari. Si igitur hæc ciuitatibus adesse oportet, rectéque fieri & iuste, necessarium est esse aliquos, qui virtutem habeant rerum ciuilium. Cæteras ergo potentias eisdem adesse posse videntur pluribus, ceu eosdem esse propulsatores belli, & agricolas, & artifices, & præterea consultores & iudicantes. Arrogant quoque sibi virtutem consilii & multisariam se idoneos existimant ad gubernandum. verum pauperes ac diuites eosdé esse impossibile est. quapropter hæ partes præcipuæ videntur esse ciuitatis, inopes scilicet & opulenti. Et præterea ex eo, quod vt plurimum alij pauci sunt, alij multi, maxime omnium contrariæ inter se partes istæ apparent. itaq; & respublicas secundum earum prævalentiam constituerunt: ac duæ videntur, scilicet popularis & paucorum potentia. Sed quòd sint plures, & ob quas causas dictum est prius. Quòd vero & popularis ipsius species sint plures, & paucorum potentium, ostendemus. Patet autem hoc ex his quæ dicta sunt. nam & in plebe, & in nobilitate plura sunt genera. Plebis quidem vna species agricolæ, alia artifices, alia negotiatores, qui emendis vendendisque rebus intendunt, alia circa rem maritimam, & horum alij bellatores, alij mercatores, alij † nautæ, alij piscatores. multis enim locis horum omnium turba jugens, vt piscatores Tarenti & Byzantij, nauales multitudo Athenis, mercatores in Aegina & Chio, portitores in Tenedo. insuper manuales & parum facultates habentes, qui ocioſi esse non possunt. Præterea qui non ex vtroque patente ciue

† portitores.

oti, liberi tamen homines, & siqua huiusmodi plebeiorum hominum species altera. Nobilitas vero, diuitiæ, genus, virtus, disciplina, & his similia, quæ dicuntur secundum eandem differentiam. Popularis igitur prima species dicitur maxime secundum æqualitatem. vult enim lex huius popularis pares esse diuites & pauperes, nec alteros plus posse, alteros minus, sed vtrosq; esse æquales, siquidem maxime liber est in popoli statu, vt putant quidam, & æqualitas certe esse maxime pariter omnibus reipublicæ participantibus. cùm vero populus sit multitudo, & id obtineat quod pluribus videatur, necesse est vt hæc sit popularis gubernatio. vna igitur species popularis est hæc. Alia vero species, vt magistratus honoréque in republica secundum censum patrimoniorum, & eum quidem parum, tribuantur, ita vt qui tanta possidet, habilis sit ad honores reipublicæ suscipiendos: qui vero non possidet, sit inhabilis. Alia species popularis est, vt omnibus omnino ciuibus habilitas sit, modo non sint aliqua ex causa obnoxij: dominetur autem lex. Alia species popularis est, vt omnes omnino habiles sint ad magistratus gerendos, modo sint ciues, & dominetur lex. Alia species eodem modo, nisi quòd non lex dominatur, sed multitudo. hoc autem fit, quando populi decreta prævalent legibus. Accidit vero ob prępotentes quosdam, qui populum ducunt. nam in iis rebuspublicis in quibus dominatur lex, præpotens aliquis non sit, qui populum ducat, sed optimi ciuium rempublicam gubernant. At vbi leges non dominantur, ibi duces populi oriuntur. solus enim populus euadit, compositus vnus ex pluribus. multitudo

enim autoritatem dominandi habet, non vt sin
guli, sed vt omnes. Homerus autem cum dicit
non esse bonum vt plures regant, vtrum de hac
dicit, vel de illa cum plures gubernant, vt sin-
guli, incertum est. Talis ergo populus, vtpote
absolutam potestatem habens dominari solus
quærit, nec vlli legi subesse, efficitúrque domi-
nator. itaque assentatores eius in precio haben-
tur. Et est huiusmodi populus in gubernatione
sua tyranno persimilis. iidem nempe mores, &
vtrobique meliores deprimuntur. & decreta hu
ius populi perinde sunt, vt tyranni præcepta. &
ductores suasoréque huius populi sunc velut
adulatores illi, qui circa tyrannos versantur, &
vtrisque apud vtrosque potentia par, tam adu-
latoribus penes tyrannum, quàm ductoribus
suasoribúsque populi apud ipsum populum. Hi
autores sunt, vt decreta legis infringant, & ad
voluntatem populi cuncta referantur. contingit
autem illis fieri potentes ex eo, quia populus
dominatur omnium. ipsi autem voluntatem po
puli maxime ducunt, quoniam fides à populo
eis adhibetur. Præterea qui de magistratibus
conqueruntur, ad iudicium populi negocia re-
ferunt: populus autem gratanter audit eorum
prouocationes, quare per hunc modum magi-
stratus * irritantur omnes. Merito autem repre-
hendere videntur qui dicunt huiusmodi popu-
larem non esse legitimam reipublicæ speciem.
vbi enim leges non præualent, non est respubli-
ca. nam lex dominari omnibus debet, in parti-
cularibus autem magistratus & respublica † pro
uidere. Itaque si est popularis vna specierum
reipublicæ, clarum est quòd talis gubernatio, in
qua decretis cuncta efficiuntur, non est propriè
popu

* κύριαι λύονται, dissolvuntur.

† iudicare.

popularis, nullum enim decretum recipit esse
vniuersale. De popularis igitur speciebus in
hunc modum determinatum sit.

Quòd quatuor sint species paucorum gubernationis, & de permissu gubernationibus.

CAP. V.

PAucorum vero gubernationis species vna
est, in qua magnum habentes censum ad gu
bernationem reipublicæ recipiuntur, atque ita
magnum, vt tenues homines ad eum peruenire
non possint. is vero qui tanta possidet, habilis sit
ad rempublicam gerendam. Alia species est,
cùm à paruo censu est magistratus habilitas, &
sligunt ipsi eos qui desunt. si igitur ex omnibus
hoc faciunt, videtur hoc esse potius optima-
tum: si vero ex paruo numero, paucorum po-
tentiæ. Alia species est, cùm filius patri succedit.
Quarta species, cùm hoc fit quod modo dixi-
mus, vt lex non dominetur, sed illi qui regunt.
Et hæc species in paucorum gubernatione cor-
respondens est, vt tyrannis in monarchia, & vt
est in populari statu vltima illa species de qua
diximus: & vocant huiusmodi speciem pauco-
rum potentiam. gubernationis igitur pauco-
rum hæ species sunt. Nec latere nos debet, quòd
aliàs locis accidit rempublicam quæ secun-
dum leges non sit popularis, more tamen & go-
uerno popularitèr gubernari. similiter autem
contingit apud alios contingit rempublicam
secundum leges esse popularem, moribus ta-
men & gestione ad paucorum gubernationem
magis referri. Contingit autem hoc maxime
post mutationem rerumpublicarum. non enim

statim mutantur, sed contenti sunt ab initio homines parua accessione potentiæ. Itaque leges quidem manent vt prius erant, præualent tamen qui rempublicam mutauerunt.

De speciebus popularis, & paucorum potentiæ, & causis earum.

CAP. VI.

QVòd autem tot sint popularis & paucorum gubernationis species, ex his patet. Necesse est enim aut omnes partes populi, quas supra enumerauimus, reipublicæ gubernationem habere, aut quasdam habere, quasdam non habere. Cùm igitur agricolæ, & mediocria possidentes rempublicam gubernant, secundum leges est gubernatio. victum enim ex opera sua quærere habent, nec otiosi esse possunt: itaque lege constituta, solummodo necessariis conciombus intendunt, aliis autem recipi ad rempublicam licet, cum tanta possidebunt, quanta determinat lex. omnino enim non licere omnibus, paucorum potentiæ est. otiari autem enim qui non reditus habeat, impossibile. Hæc igitur his de causis vna est species popularis gubernationis. Altera vero species est, ob adhibitam electionem omnibus licere qui prohibiti non sint per genus, vt possint tamen in otio esse. quapropter in huiusmodi quidem populari administratione leges præualent & gubernant, quia reditus non est. Tertia species est, omnibus omnino licere rempublicam gerere, qui liberi sint, non tamen licere ob supradictam causam. quare necessarium in hac quoque legem dominari. Quarta vero species est illa, quæ post-

steris temporibus in ciuitatibus esse cœpit. maioribus enim factis ciuitatibus quàm ab initio fuerant, & reditibus facultatibusque abundantibus, participant omnes reipublicæ propter multitudinis præualentiam: versantúrque in republica gubernanda, ex eo quia possunt otiosi esse, etiam inopes, mercedem capientes. maximéque huiusmodi multitudo otiosa est. non enim cura rei familiaris proprie eos impedit, quæ diuites ita occupat, vt sæpe à communionibus absint & à iudiciis. ex quo fit vt multitudo pauperum dominetur in republica, non autem leges. Species igitur popularis gubernationis tot ac tales sunt, ob necessitates supra dictas. Paucorum autem gubernationis prima species est, quando plures habent patrimonia, sed non admodum ampla. faciunt enim potestatem participandi ei qui tanta possidet. Et propter multitudinem eorum qui ad rempublicam recipiuntur, necesse est non hominem, sed legem dominari. quanto enim magis distant a monarchia, neque tam amplas habent facultates, vt eas negligendo otiari valeant, neque ita exiguas, vt à ciuitate victum quærat, necesse est vt legem velint dominari, non autem ipsos. Quòd si pauciores sint qui possident patrimonia, siquidem plura quàm prius, secunda species fit gubernationis paucorum. magis enim potentes, plus habere se dignos putant. quapropter ipsi sumunt ex aliis, qui ad rempublicam se conferunt, propterea quia nondum ita robusti sunt, vt absque lege gubernare possint, legem huiusmodi ponere. Quòd si eò deueniant, vt ipsi pauciores numero maiores facultates habeant, tertia cumulatio fit guber-

nationis paucorum. ipsi enim per se magistratus & imperia retinent, secundum legem subentem, vt parentum defunctorum loco filij succedant. Quòd si magis etiam subnixi sint opibus & amicitiis, prope est talis potentia ad monarchiam, & dominantur homines, non autem lex. & hæc est quarta species gubernationis paucorum, correspondens vltimæ speciei popularis.

In quot species Plato respublicas diuiserit: & de optimatum variis speciebus.

CAP. VII.

SVnt insuper duo alia genera rerumpublicarum, præter eas in quibus aut multitudo, aut pauci gubernant: quarum alteram aiunt omnes speciem esse vnam ex quatuor. Dicunt autem eas quatuor, monarchiam, paucorum gubernationem, popularem, & quartam, quam vocant optimatem. Est & quinta, quam communi nomine omnium appellant rempublicam. Sed quia non sæpe fit, latet numerare volentes: & ita suscipiunt, quasi sint quatuor solum vt Plato in libris de Republica facit. Optimatem igitur se recte habet appellare illam, de qua tractauimus in primis libris. quæ enim ab optimis viris simpliciter per virtutem est gubernatio reipublicæ, & non ad suppositionem quandam bonorum virorum, eam solum iustum est optimatem appellari. in sola enim ista simpliciter idem est vir bonus & ciuis. In aliis autem boni sunt ad speciem gubernandi suam. Sunt tamen quædam, quæ differentiam habeant à paucorum gubernatione (& appellantur optimates) & ab ea quæ vocatur, respublica: vbi non solum respectu

respectu diuitiarum, sed etiam respectu virtutis ad gubernationem reipublicæ sumuntur. Hæc respublica differt ab illis, & naturam optimatis sapere videtur. nam in his ciuitatibus non faciunt publice curam virtutis: sunt tamen quidam præstantiores, qui videntur esse boni viri. Vbi ergo respublica respicit ad diuitias, & ad virtutem, & ad populum, vt est apud Carthaginenses, ea naturam optimatum sapere videtur. & vbi ad duo illorum solum, vt Lacedæmoniorum, ad virtutem & ad populum: & est hæc mistura popularis ac virtutis. Optimatum igitur post illam primam optimam rempublicam gubernandi formam, hæ duæ species sunt. & tertia, quæcunque illius quæ appellatur respublica, inclinant ad paucorum gubernationem.

De ea quæ nomine generis respublica peculiariter appellatur. Quid sit ea quam censu potestatem dicunt. De bonis legibus. De finibus optimatis, popularis, & paucorum potentiæ.

CAP. VIII.

RElinquum est vt de ea quæ appellatur respublica dicamus, & de tyrannide. Ordinauimus autem ipsam nos, cùm prius non esset, neque hæc transgressio, neque illæ, de quibus modo diximus, optimates, quia re vera omnes aberrant à rectissima gubernandi forma. postmodum cum istis numerantur, & sunt harum transgressiones & labes, vt in superioribus circa principium diximus. merito autem postremo loco tyrannidem reseruauimus, propterea quod ista minime est respublica: nostra vero intentio est de republica tractare. Qua igitur de

causa sic ordinauimus, dictum est. Nunc autem est à nobis de illa quæ communi nomine appellatur respublica, ostendendum. nam clarius eius vis apparebit post determinationem eorum quæ ad paucorum gubernationem, & ad popularem spectabant. Est enim respublica (vt simpliciter dicamus) mistura paucorum gubernationis ac popularis. Conueuerunt autem eas quæ inclinant ad popularem, vocare respublicas: eas vero quę ad paucorum gubernationem, vocare optimates: ex eo quia opulentiam cum doctrina atque nobilitas magis adesse consueuerunt. præterea qui diuitias habent, ea videntur habere, propter quę cæteri iniurias faciunt. vnde & honestos, & bonos, & nobiles istos appellant. Cùm ergo optimatum gubernatio velit excellentiam tribuere optimis ciuibus, & paucorum gubernationem esse dicant ex bonis & honestis magis, videtur impossibile quæ ciuitas non ab improbis sed ab optimis gubernetur, eam non bene gubernari: eodémque modo quæ leges non habeat bonas, gubernari ab optimis. Habere autem leges bonas, non id est, si recte sint positæ, nec eis parcatur. Itaque vna recte legum institutio putanda est, legibus parere: altera, vt recte sint leges positæ, quibus parere oportet. fieri enim potest vt pareant ciues male positis legibus. id autem dupliciter accidit: aut enim optimis quantum datur ipsis, aut simpliciter optimis. Videtur autem optimatum esse, maxime honores tribuere secundum virtutem. finis enim optimatum virtus: paucorum vero gubernationis diuitiæ: popularis autem libertas. Quod autem pluribus videtur, commune est omnium. nam in paucorum, & multi-

dinis gubernatione, & in optimorum, quod videatur maiori parti eorum qui in republica versantur, id obtinet. In plerisque igitur ciuitatibus, hæc species gubernandi respublica vocatur. sola enim mistio coniecturam facit opulentorum & inopum, diuitiarum & libertatis. Ferè enim apud plurimos, illi & qui diuitiis pollent, honorum & honestorum locum obtinere videntur. Cùm vero tria sint, quæ circa æqualitatem reipublicæ contendant, libertas, diuitiæ, virtus (nam quartum illud quæ appellatur nobilitas, duobus consequens est: nobilitas enim est antiquæ diuitiæ, & virtus) manifestum est, quòd horum mistura diuitum & pauperum est respublica appellanda. atrium vero, optimatum gubernatio maxime aliarum, præter illam veram & primam. Quod igitur sint aliæ respublicæ præter monarchiam & popularem, & paucorum potentium, dictum est: & quales istæ, & in quo differant inter se, & optimatum gubernatio, & aliæ species quæ ad optimates declinant, & quomodo non longe distant inter se, manifestum est.

Quo pacto ea quæ respublica appellatur, constituatur ex paucorum potentia & populari, & de modo mistionis.

CAP. IX.

QVomodo autem fiat præter popularem & paucorum potentiam illa quæ appellatur respublica, & quo in ordine reponenda sit, deinceps dicemus, & simul apparebit quibus distinguant popularem & paucorum gubernationem. sumenda est enim horum distinctio. posita ex his ab vtraq. tanquã regulam sumen-

tes

tes componere oportet. Sunt autem definitiones tres compositionis ac misturæ. aut enim ambo sumenda, quorum vtræq; leges ponuntur ceu circa iudicia. In paucorum enim potentia diuitibus pœnã constituunt, nisi iudicando assint, pauperibus vero mercedem nullam: in popularibus autem, pauperibus mercedem, diuitibus autem pœnam nullam, commune ac medium istorum ambo hæc, itaque & ciuile, mistum est enim ex ambobus, vnus igitur modus hic est combinationis. Alius autem medium capere eorum quæ ab vtrisque iubentur ceu concionari, hi quidem à nullo censu vel exiguo penitus, illi vero à magno censu, commune certe neutrum, sed medium vtriusque census. Tertius vero ex duobus iusti, hæc quidem ex populari lege, illa autem ex paucorum gubernatione, dico autem tale aliquid, vt videtur, popularis quidem magistratus sortiri, paucorum autem gubernationis eligere: & popularis, non ex censu tribuere, paucorum autem ex censu. Optimatum igitur ac ciuile, ab vtraque vtrunque accipere: ex paucorum quidé gubernatione electiuos facere magistratus: ex populari autem sumere non per censum, modus igitur admiscendi talis. Bene autem admiscuisse popularem & paucorum gubernationé finis est, quando eadé respublica dici potest popularis, & paucorũ gubernatio. Patet enim hoc accidere dicẽtibus eas bene esse commistas, accidit hoc etiam medio: conspicitur nãque in eo vtrunque extremorum, quod contingit Lacedæmoniorum reipublicæ. Sunt enim permulti qui aggrediuntur dicere eam esse popularem, propterea quòd populariter complura in illa sunt constituta, ceu primum circa educationem pue-

rorum. pari enim modo diuitũ filij educantur, & pauperum, & erudiuntur per eum modũ, per quem valeant pauperum filij erudiri, similiterque in sequenti ætate cum viri facti sunt, in illo non magis conspicuus dives quàm pauper, cibi quoq; iidem vtrisque in conuiuationibus. Vestitu etiam tali diuites vtuntur, qualem & pauperum quiuis habere potest. Præterea, duorũ maximorum magistratuum, alterum eligit populus, alterum gerit. senatores enim per populum eliguntur, ephori autẽ ex popularibus constituuntur. Alij vero dicunt esse illam paucorũ gubernationem, quoniã multa habeat quæ paucorum potentiam asserunt, ceu omnes dignitates per electionem conferri, per sorté vero nullam, & insuper apud paucos potestatem esse necandi, & in exilium pellendi, ac cætera huiusmodi permulta. Oportet enim in republica bene temperata vtrunque videri inesse, & neutrũ, & conseruari per seipsam, nõ aliunde, & per seipsam, non per alios multos extrancos, qui vellint. nam & prauæ reipublicæ hoc potest contingere, sed nec velle quidem gubernationem alteram quoquomodo partiũ ciuitatis omnino. Quemadmodum igitur oporteat rempublicam constituere, & similiter illas quæ appellantur optimates, dictum est.

De tyrannide, & modis tyrannidis.

CAP. X.

REstat nunc vt de tyrannide dicamus: non quòd multis verbis indigeat, sed vt habeat in hoc tractatu locum suum, quando quidẽ hanc quoque positi nus partem esse aliquam publicæ gubernationis. De regno igitur determinauimus in su-

in superioribus libris, vbi tractatum est à nobis, nunquid regis gubernatio vtilis foret ciuitatibus, an inutilis, & quam, & vnde constituere oportet, & quomodo. Tyrannidis vero species duas ibidem distinximus, propterea quòd earū potentia quodammodo alteratur ad regiam gubernationem, ex eo quia ambæ potestates illæ sunt secundum leges. nam & apud Barbaros quosdam eligitur aliquis ad gubernandum solis, cum absoluta omnimodáque potestate. Et apud Græcos olim eodem modo quidem eligebantur, qui soli gubernarent, quos vocabant. Aesymnetas. Habent vero hæ inter se differentias quasdam, erant enim regiæ, ex eo quia secundum leges, & eo quia volentibus imperabant: tyrannicæ autem ex eo, quia pro arbitrio dominationem exercebant. Tertia species tyrannidis, quæ maxime proprie videtur id nomen habere, opposita est regiæ potestati absolutæ. nam necesse est tyrannidem illam monarchiam, quæ nullis subiacear legibus, & dominetur per vim æqualibus & melioribus, ac respiciat ad propriam vtilitatem, non ad vtilitatem subditorū, quapropter inuoluntaria, est cùm nemo liber sponte sua ferat huiusmodi seruitutem. Species igitur tyrannidis tot, & tales sunt.

De optima republica, partibus ciuitatis, mediocritate scilicet, excessu, atque defectu.

CAP. XI.

QVæ vero sit optima respublica, & quæ vita optima pluribus ciuitatibus & hominibus, neque per virtutem iudicāt quæ supra vulgus emergat, neque per doctrinam quæ ingenio indiget & adiumētis externis, neque per gubernationem quæ ad votum fiat, sed vitā eam probant, quam plurimi consequi possint, & gubernationem eam, quam plurimæ ciuitates valeant recipere. nam quas vocant optimates, de quibus modo diximus, partim extrius cadūt plurimis ciuitatibus, partim appropinquant illi quæ respublica vocatur, quamobrem de ambabus tanquam vna sit, dicendum est. Iudicium autem de omnibus istis ex eisdem principiis est. Si enim recte dictum fuit in Ethicis, vitam beatam esse secundum virtutem non impeditam, virtutem autem ipsam esse mediocritatē: necesse est mediam vitam optimam eius, quam singuli adipisci valeant, mediocritatis, & has omnes definitiones necesse est esse circa ciuitatis virtutem, vitium, & rempublicam. est enim respublica vita quædam ciuitatis. In cunctis autem ciuitatibus partes sunt tres. nam alij diuitiis excellunt: alij paupertate nimia deprimuntur: alij sunt inter hos medij. Cùm igitur confessi simus mediocritatem, & medium esse optimū, palam, quòd bonorum fortunæ mediocris possessio, est optima omnium existimanda. hæc enim facilis est ad †obediētiam mandatorum. At vero si modū excedant in alterutram partem, ceu si forma, si viribus, si nobilitate generis, si diuitiis, vel iis contrariis, ceu si paupertate nimia, si imbecillitate egregia, si ignominia multa) difficile est vt rationi obediant: fiunt enim istorum alij superbi & delinquentes aperte in rebus magnis, alij occulte praui, & in rebus exiguis fraudatores, iniuriæ vero inferuntur quandoque per contumeliam, quandoque per dolum. Insuper hi minime circa gubernationem reipublicæ afficiuntur, minimēque consulunt: hæc autem vtraque

†obediendi rationi.

damno

damnosa sunt ciuitatibus. Præterea qui bonis fortunæ superabundãt, ceu opibus, diuitiis, amicis, & aliis huiusmodi, nec imperium cuiusquã pati volunt, neque sciũt, & hoc statim domi eorum natis exiſtit: propter delicias enim ne in scholis quidem præceptoribus obedire consueuerunt. Qui autem eorum sunt in indigẽtia nimia constituti, dejecto nimium animo, vilésque exiſtunt, ex quo fit vt magiſtratum gerere nesciant, sed ad parendum seruiliter sint apti, illi vero sibi imperari nullo modo patiuntur, sed ipsi aliis tanquam domini, volunt imperare. Efficitur ergo seruorum & dominorum ciuitas, non autem liberorum: & aliorum inuidentium, aliorum spernentium, quod plurimum abeſt ab amicitia & ciuili societate. nam societas amicabile quid ẽst: cùm inimicis enim ne via quidem communicare volunt homines. Vult quidem ciuitas ex paribus ac similibus esse, quantum maxime id fieri poteſt, hoc autem maxime exiſtit mediis, itaque necesſario ſit, vt huiuſmodi ciuitas optime gubernetur, ex quibus diximus natura constate ciuitatem. Conseruantur quoque in ciuitatibus iſti maxime cæterorum ciuium. neque enim aliena concupiſcunt, vt faciunt pauperes: neque eorum bona cupiſtur ab aliis, vt accidit diuitibus, & quia neque inſidiantur aliis, neque alij ipſis, ſine periculo degunt. Quapropter bene optauit Phocylides, multa mediocribus optima, mediocris esse volens in ciuitate. Patet igitur, quòd ciuilis societas optima est, quæ per mediocres ſit, eáſque ciuitates recipere, vt optime gubernentur, in quibus mediocres plurimi sunt, ac plus poſſunt: maxime quidem ambabus, vel ſaltem altera parte. hæc enim

enim addita † prævalere facit, & prohibet contrarios exceſſus fieri. Quapropter valde optandum est, vt ii qui in republica verſantur, facultates habeant mediocres, ac ſufficiẽtes. nam vbi alij nimis multa poſſident, alij nihil, vel plebs infima inſurgit, vel paucorum potentia illa extrema, vel tyrannus propter vtrunque exceſſum. ex populari enim ſtatu nimium † ſuperbo, & ex paucorum potentia ad tyrannidem deuenitur. ex mediocribus autem ac prope paribus, minimè, cuius rei cauſam poſtea, vbi de mutationibus tractabitur, dicemus. Quòd autem media ſit optima, manifeſtum eſt. ſola enim ſeditionibus caret. vbi enim permultum eſt mediocre, minimum ſeditiones & diſcordiæ ciuium innaſcuntur: magnæque ciuitates ob hanc ipſam cauſam minus ſeditionibus ſubiacent, quia magna in his eſt mediocrium hominum multitudo, paruas autem ciuitates facile eſt in duas partes diuidi omnes, ita vt nihil medium relinquatur, & ferè cuncti vel inopes ſunt vel opulenti. Populares quoque gubernationes tutiores ſunt & diuturniores, quàm paucorum potentium propter medios. Plures enim ſunt, & magis honoris participant in populari gubernatione, quàm paucorum. nam quando ſine his multitudo inops plus poteſt, male res ſe habent, ac cito pereunt. Signum vero huius pulchrum eſt, quòd qui optime leges condiderunt, ex mediocribus ciuibus fuere. nam & Solon huiuſmodi fuit, vt apparet ex eius carminibus: & Lycurgus (non enim erat, rex) & Charondas, & plurimi aliorum. Patet autem ex his, & quia plurimæ reſpublicæ aut populares ſunt, aut paucorum gubernationes. propter id enim

† propenſionem.

† puerile.

quod in his frequēter pauci sunt medij, semper qui præualent) siue hi sint qui facultates habent, siue populares qui medium transcendunt per seipsos gubernationem agunt: itaque aut multitudo populi insurgit, aut paucorum potentia. Præterea, ex eo quia seditiones fiunt, & pugnæ inter multitudinem & opulentos, quibuscunque vincere contingit, hi neque communem amplius habent rempublicam neque æqualem, sed quasi victoriæ præmium reportant rempublicam obtinere: & alteri popularem statum, alteri paucorum potentiam faciunt. Præterea qui principatum Græciæ habuerunt, hi ad propriam respicientes rempublicam, aut popularem statum in ciuitatibus constituerunt, aut paucorum gubernationem, non ad ciuitatum illarum commoda respicientes, sed ad sua, atque ita per istas causas effectum est, vt vel nunquam mediorum illa gubernatio exiterit, vel admodum raro, & apud paucos. vnus enim vir consensit solus ex iis qui antiquitus in principatu fuere, hunc gubernandi modum constituere. Iámque in ciuitatibus consuetudo obtinuit, non velle æquale, sed aut imperare quærere, aut victos obedire. Quæ igitur optima sit respublica, & quam ob causam, ex his patet. De aliis autem rebus publicis, cùm plures populares & plures paucorum gubernationes esse dicere mus, quæ prima ponenda sit, & quæ secunda, & quæ deinceps potior sit aut deterior, determinata optima, nō erit difficile intueri. necesse est enim esse meliorem, quæ proxime huic accedit deteriorem vero, quæ plurimū distat à media, nisi ad suppositionem quis iudicet, dico autem ad suppositionem, quia multoties alia respublica ex

ex forma eligibiliori existēte, nihil vetat aliam quibusdam magis vtilem esse.

Quæ multitudo apta sit ad popularem aut paucorum gubernationem: Et legislatores semper ad medium respicere debere.

CAP. XII.

QVæ autem respublica quibus, & qualis qualibus conferat, consequens est tractare, sed capiendum, prius est vniuersaliter de cūctis. Oportet enim partem illam ciuitatis quæ rempublicam stare vult, potentiorem esse, quàm illa pars, quæ nō vult rempublicam manere. Est autem ciuitas ex quali & quanto, dico autē quale, eius libertatem, diuitias, disciplinam, nobilitatem, quantum vero, ceu multitudinem populi præualentem. Fieri autem potest, vt quale existat vni ciuitatis parti, ex quibus partibus ciuitas est constituta: alteri vero quantum. ceu manifestum esse numerum ignobilium quàm nobilium, & paupertum quàm diuitum, neque tamen tantum superare quantitate, quantum superari qualitate, propter hoc ad inuicem conferenda sunt. Vbi ergo superat pauperū multitudo eam quam diximus proportionē, hic popularis gubernatio exoritur, ac species singulæ popularis status, secundum multitudinis exuperantiam, * pauci- ceu si agricolarum multitudo plus possit, prima uum. species: si multitudo tenuiorum ac mercenariorum, vltima species. & sic de aliis, quæ sunt huius mediæ. Vbi autem ea pars, in qua sunt opulenti & nobiles, superat qualitate, quàm deficiat quantitate, hic paucorum potentia, gubernatioque exoritur: ac eodem modo singulæ spe-

cies huius secundum exuperantiam istiusmodi hominum. Debet autem qui legem ponit in republica, semper ad medios respicere. siue enim ad paucorum gubernationem dirigantur leges, de mediis est coniectandum: siue ad populares statum, hos respicere debent. Vbi enim mediocrium superat multitudo, vel vtrumque extremum, vel alterum tantum, hęc respublica recipit stabilitatem. non enim est metus, ne quandoque diuites cum pauperibus conspirent contra mediocres. nunquam enim alteri seruire alteris vellent. Quòd si communiorem aliquam quærunt, nullam aliam quàm istam reperient. nam per vices gubernare non paterentur, propter diffidentiam quæ inter eos existit. In cuiusctis vero locis arbiter est fidelissimus, arbiter autem medius, quantóq; melior est gubernatio temperata, tanto durabilior. Aberrant etiam plerisq; illorum, qui optimates reipublicæ gubernationes efficere volunt, non solum in tribuendo minimum diuitibus, verumetiam in excludédo plebem. necesse est enim procedente tempore, ex falsis bonis verum malum euenire, diuitū enim cupiditates plus habendi magis destruunt rempublicam, quàm multitudinis.

De simulatis legibus paucorum, ac populariū contra se inuicem, ac earum temperamento: de gubernatoribus, & cur ex regia prius, in alias gubernationes fuerit facta sit mutatio.

CAP. XIII.

SVnt autem illa circa quæ simulant, ac falsa citer prętexunt ad populum, quinq; numero: concio, magistratus, iudicia, armatura, exercitatio. Circa concionem quidem, licere omnibus adesse.

adesse, sed pœna appositā diuitibus si non adsint, vel maiorem quàm multitudini. Circa magistratus autem, non licere his qui censum habent magnum, renunciare magistratui, pauperibus autem licere. Circa iudicia vero, pœnam esse diuitibus nisi iudicent, pauperibus autē impunitatem, aut illis magnam, his paruam pœnam, vt est in Charondæ legibus. Quibusdā vero locis, omnibus licet descriptis, in concionibus iudicij; adesse, quòd si descripti sint & non exerceant, in pœnas incidūt permagnas, vt meas pœnæ vitent descriptionem, neq; iudicia, neq; conciones exerceant. Eodem modo circa arma, & circa gymnasia legibus statuunt. pauperibus enim licet non habere arma. diuitibus autem pœna constituta est, nisi habeant, & si gymnasia non exerceant pauperes, nulla pœna est. diuitibus autem est pœna, vt alij metu pœnę le exercere compellantur, alij qui nullam formident pœnam, non faciant. Hæc igitur paucorum potentiæ sunt machinamenta. In populari autem statu contra hæc, alia excogitant. Pauperibus enim salaria statuunt concionantibus atque iudicantibus: diuitibus autem nullam pœnam imponunt. Itaque manifestum est, si quis velit iuste hæc temperare, quòd oportet vtrinq; assumere, & illis quidē salaria constituere, his autē pœnā. sic enim omnes cōmunicarēt. nam illo quidem modo, respublica fit alterorum solum, oportet quidem rempublicam esse ex iis solum qui arma possident. Census autem magnitudo definiri simpliciter non potest, sed considerata qualitate, attinet maximum, vt qui participant republica sint plures quàm ij qui non participant, hunc instituere. Volunt enim pauperes

& honorum expertes, quietem agere, si neque contumelia eos quis afficiat, neque bona illis auferat. sed hoc non facile: non enim semper contingit vt qui rempublicam gubernant, sint mites & humani. & consueuerunt quoties bellum est, grauiter ferre, nisi suscipiant alimenta, nam sunt egeni: & si quis alimenta porrigat, cupiunt bellum. Apud quosdam gubernatio reipublicæ existit, non in iis qui ad armaturam sunt habiles, sed in iis qui exercebant annam. in Malientibus quidem gubernatio reipublicæ erat in istis: & magistratum creabant ex iis qui militabant. Primaque respublica apud Græcos constituta est ex his qui bellum gerebant, postea quam defierunt regna: ab initio quidem ex equitibus, nam robur belli tunc in equitibus habebatur. peditatus enim nisi ordo ac disciplina adsit, inutilis est. huiusmodi autem disciplina & ordo antiquis illis temporibus nondum erat ex quo fiebat, vt in equitatu robur belli haberetur. sed auctis ciuitatibus quæ in armis potentiam habebant, plures ad communionem reipublicæ recepti sunt. ex quo factum est, vt quas nunc respublicas vocamus, tunc populares status diceretur. Fuerat enim antiqua ciuitatum gubernatio rationabiliter paucorum, & regia: propter paucitatem enim hominum non erat magnus numerus mediocrium. itaque paucis cùm essent multitudine & institutione, magis ferebant ab aliis gubernari. Quam igitur ob causam plures sunt rerumpublicarum formæ, & quamobrem præter eas quæ dicuntur aliæ sint (neque enim popularis gubernationis vna est species, nec aliarum similiter) ac præterea quæ differentiæ sint inter eas, & quare accidat & insuper quæ sit optima respublica, & vt plurimum dici possit, & aliarum qualis qualibus congruat, dictum est.

De partibus reipublicæ, constituendi, magistratibus, iudicum, de consultandi potestate, & membris eius.

CAP. XIIII.

RVrsus autem & communiter & separatim de vnaquaque dicemus, eorum quæ post hæc sequuntur, conuenienti sumpto principio. Sunt ergo tres partes omnium rerumpublicarum in singulis, quarum studiosus legis positor considerare debet vtilitatem: quibus bene se habentibus, necesse est rempublicam bene se habere, & gubernandi formas inter se differre, in eo quòd singulæ istarum differunt. Harum triũ partium vna est quæ versatur in publicis consiliis. Altera in magistratibus, hoc est quos esse oporteat, & quam potestatẽ habere, & quemadmodum debeant creari. Tertia pars in iudiciis consistit. Ea pars quæ consulit, autoritatem habet de bello & pace, de societate belli ineunda vel dissoluenda, de legibus ferendis vel abrogandis, de morte, de exilio, de publicatione bonorum, & rationibus reposcendis. Necesse est enim vel omnibus ciuibus hæc omnia decernenda tribuere, vel quibusdam, ceu vni cuidam magistratui, aut vniuersalibus, vel aliis alia: vel quædam illorum omnibus, quædam quibusdam. Omnia igitur & de omnibus populare est: talem enim æqualitatem affectat populus. sunt autem plures huiusmodi. Vnus si singulariter & non simul omnes: vt est in republica

Teleclei Milesij,& in aliis rebuspublicis,deliberant magistratus simul collecti.ad magistratum vero vadunt omnes singulatim ex tribubus & partibus etiam minutis,donec transeat per omnes. congregatur autem populus , solummodo pro legibus ferendis , & pro his quæ pertinent ad reipublicæ statum , & pro iis audiendis quæ à magistratibus nunciantur. Alius modus est, omnes simul conuenire,aut solummodo ad magistratus creandos & ad ferendas leges , & pro bello vel pace , & ad rationes reposcendas : in exteris vero eos , qui magistratum gerunt , decernere ad singula deputatos , vel per electionem vel per sorte. Alius modus est, vt ad magistratus creados & ad rationes deposcendas cõueniant omnes ciues,& ad deliberationem belli susciplendi , vel societatis ineundæ : cæterà vero magistratus exæquantur per electionem creati : quod fieri potest. tales vero sunt quos exercere necessarium est eos qui sciunt. Quartus modus est , vt omnes de omnibus conuenientes deliberent , magistratus vero de nullo statuant , sed tamen primo loco sententiam dicant:quemadmodum fit in extrema illa gubernatione populari , quam in paucorum gubernatione ipeciei illi violentæ , & in gubernatione vnius tyrannidi correspondere diximus. Hi ergo modi populares omnes. Quosdam vero de omnibus paucorum potentiæ. habet autem & hoc differentias plures. quando enim à mediocri censu fiat assumptio , & multi alimentur, propter eam census mediocritatem, & quæ lex vetat non moueant , sed sequantur , & liceat possidenti censum, habere , paucorum est huiusmodi gubernatio , sed tamen ciuilis propter

eius mediocritatem. Quando vero non omnes participes sunt , sed qui eliguntur, & secundum leges gubernant , vt & prius , paucorum potentię est.Quando autem ipsi se eligunt, qui deliberandi autoritatem habent , & quando filius patri succedit , ac domini sunt legum, necesse est huiusmodi gubernationem esse paucorum potentium. Sed quando aliquorum aliqui, ecu cùm de bello & pace, & repetendis rationibus vniuersi:de aliis autem magistratus electi,vel sorte assumpti optimatum, id est, vel eius quæ appellatur respublica. Quod si de quibusdam electi , de quibusdam vero sortiti , & sortiti vel simpliciter,vel ex prælatis, vel communiter electi ac sortiti,partim optimatum est, partim reipublicæ ipsius. Distinguitur ergo ea pars , quæ in consulendo deliberandóve consistit in hunc modum pro natura rerumpublicarum : & administratur vnaquæque respublica secundum huiusmodi terminationem. Confert autem & gubernationi illi , quæ nunc maxime videtur esse popularis (dico autem ei in qua populus dominus est etiam legum in deliberãdo, ac melius disponendo) hoc idem facere in comunnibus , quod fit circa iudicia in paucorum potentia.imponunt enim pœnam illis quos iudicare volunt,vt iudicent:populares vero mercedem statuunt pauperibus. Confert & hoc idẽ circa conciones agere. melius enim deliberabunt , si omnes consilio intersint , populus quidem cum nobilioribus, isti autem cum populo. Confert etiam per electionem assumi eos , qui deliberaturi sunt , vel per sortem æqualiter ex partibus ciuitatis. Confert etiam si plurimum excellat multitudo plebis eos qui sunt in gu-

bernanda republica peritiores, vel non omnibus mercedem tribuere, sed quantum respondet numero nobilitatis, vel sortiri plures. In paucorum vero gubernationibus, aut eligere quosdam ex multitudine, aut tale aliquid constituere, quale est in quibusdā ciuitatibus, quos appellant prœconsultores ac legum custodes, ac de his solummodo rebus ad consilium referre, de quibus isti antè deliberauerint. Per hunc enim modum populus interueniet in deliberando, nec tollere quicquam de republica valebit, insuper aut illa decernere poterit populus, aut nihil contrarium illis, quæ præponentur: vel considerandi quidem omnes participes facere, deliberandi vero magistratibus potestatem relinquere. Et oppositum eius facere, quod fit in populari statu. populi enim decretum in condemnando ratum nō sit, sed ad magistratus rursus referatur, quod contra fit in popularibus: magistratus enim absoluendi, domini sunt omnino: condemnandi vero non, sed ad populum habetur recursus. De consultando igitur & deliberando, eiúsque potestate, in hunc modum determinatum sit.

De magistratibus propriis, qui necessarij, & honestis, & de magistratuum constitutionibus.

CAP. XV.

COnsequēs his est circa magistratus distinguere. habet enim & hæc pars differentias multas: quóru magistratus esse, & quarum rerum autoritatem habere oporteat, & pro quo tempore singulos: (nam alij semestres, alij breuiores, alij annuos, alij diuturniores statuit magistratus:) & vtrū oporteat esse perpetuos, an ad long

lōgum tempus, aut neutrum, an multoties eosdem, aut non eundem bis, sed tantum semel: & præterea circa constituendum magistratus, ex quibus oporteat creari, & à quibus, & quomodo: de his enim omnibus oportet posse distinguere quot modis fieri posset, & qui quibus conferant gubernationibus reipublicæ. Est autem nec hoc quidem facile determinare, quales magistratus sint nuncupandi: indiget enim ciuilis societas multis præsidentibus. Quapropter non omnes, qui vel eliguntur vel assumuntur sorte, sunt magistratus existimandi: vtpote sacerdotes. hoc enim aliud quiddam ponendum est à ciuilibus magistratibus. Præterea qui pompas ducunt, & præcones, & legati qui eliguntur. huiusmodi enim curæ ciuiles aut omnium ciuium sunt ad vnam actionem, puta dux eorum qui militant: aut secundum partem, vt mulierum puerorúmque curatores. aliæ dispensatiuæ: sæpe enim eliguntur qui iam ad distribuendam annonam, aliæ ministratiuæ, ad quas si opulenti eligantur, subsitituunt seruos. Maxime vero, vt simpliciter dicamus, illi sunt magistratus appellandi, quibus datum est deliberare de quibusdam, & statuere, & maxime hoc extremum. nam iubere superiorius est. Verūm ista quantū ad vsum nihil differunt, vt ita dixerim. nondū enim determinata est huiusmodi de nomine controuersia habet autem quandam aliam intellectiuam considerationem. Quales autem magistratus, & quot necessarij sunt ciuitati: & quales necessarij quidem, inutiles vero ad bonam reipublicæ gubernationem magis vtique quispiam dubitabit: & ad omnem rempublicam, & præsertim ad paruas ciuitates. Nam in magnis quidē licet,

licer, & debent singuli magistratus ad singula opera deputari. sufficit enim multitudo eiusdem ad magistratus gerendos quare alios cum intermissione magna temporis, alios semel duntaxat geruntmeliúsque singula curantur, quàm si in multis cura nostra distrahatur. Sed in paruis ciuitatibus necesse est in paucos, magistratus plures conferre. nam cùm sit paucitas hominum, non facile est multos in magistratibus esse. qui enim postea torent successores horum indigent quandoque magistratibus eisdem & legibus, paruæ magnæq. ciuitatesmisi quod hæ quidem sæpe indigent eisdem, illis vero multo tempore intermisso id accidit. quapropter nihil prohibet multas simul curas illis demandare. non enim se impediunt. & propter hominum paucitatem necessarij sunt magistratus quidam quasi luminaria obeliscis imposita. Si ergo dicere possimus, quot necessarij sunt omni ciuitati, & quot non necessarij quidem. sed opportuni, facile quis sciens ista, coniungat, quales coniungere congruat in vnum magistratum. Debet etiam hoc non latuisse, quales conueniat secundum locum magistratus plurium curam habere, & qualium vbique in vnum magistratum potestate habere, ceu honestatis. vtrum in foro præfectum annonæ, & alium alibi, aut vbique eundem. & vtrum secundum negocia partiendum est, an secúdum personas. dico autem, ceu vnum curam honestatis, alium puerorum, & alium mulierum. & in rebuspublicis, vtrum differunt secundum vnamquánq. & magistratuum genus, vel nihil. ceu in populari statu, & paucorum gubernatione, & optimatum, & monarchia, vtrum idem sunt magistratus potestatem habentes, sed non ex æqualibus, aut similibus, sed alij in aliis. veluti in optimatibus quidem ex hominibus doctis, in paucorum autem potentia ex opulentis, in populari statu ex ingenuis. vel existant quidam secundum istas differentias magistratuum, & alicubi conferat eosdem esse, alicubi diuersos. alicubi enim congruit magnos esse, alicubi paruos eosdem magistratus. Veruntamen sunt aliqui proprij, ceu coram † qui ante deliberant. hæc enim potestas non est popularis, consilium vero popularis. oportet enim esse aliquid tale, cui cura sit populum consilio præuenire, ne ocioſus sit. hi autem si pauci sunt numero, paucorum potentia est. est autem necesse vt illi sint pauci, qui ante deliberant. itaque paucorum potentia est. Sed vbi sunt ambo hi magistratus, illi qui ante deliberant consiliariis constituunt. consiliarius enim popularis: qui vero ante venit in consultando & deliberando paucorum potentiæ. Dissoluitur etiam potestas consilij in huiusmodi gubernationibus, in quibus populus ipse conueniens de omnibus constituit. hoc autem accidere consueuit, cùm est vtilitas quædam aut mercedes constituta his qui in contentionem conueniunt. ocioſi enim conueniunt perſæpe, & decretis ipſi statuunt. Qui autem puerorum curam habent, & qui mulierum, & si quis alter est qui potestatem habet & curam huiusmodi, optimatum id est & non populare (fieri enim non potest vt prohibere pauperum mulieres alterius sit quàm paucorum potentiæ) cum mulieres ipsorum in deliciis viuant. Sed de his quidem eatenus dixisse nunc satis sit. De constituendis autem magistratibus conandũ est iam

* προβουλοι, praeconsultores.

transi

transigere. Consistunt autem differentiæ in tribus definitionibus, quibus compositis necesse est omnes modos esse comprehensos: vnum ex tribus est, qui sint illi qui magistratus constituant: alterum, ex quibus constituatur: tertium, per quem modum. Cuiusque vero istorum differentiæ sunt tres, aut enim ciues omnes constituũt, aut quidam: & vel ex omnibus, vel ex quibusdam determinatis: ceu per censum, vel per genus, vel per virtutem, vel per aliud quiddam tale, quale apud Megarenses, ex his qui vna cum populo ad bella coniuncti redierũt. & hos aut per electionem, aut per sortem. Rursus autem hæc simul conduplicata. dico autem hæc, ceu quosdam aliqui, quosdam omnes: & quosdam ex omnibus, & quidam ex quibusdam: & quidam electione, quidam sorte. Vniuscuiusque istorum differentiæ modi erunt quatuor. aut enim omnes ex omnibus per electionem: aut omnes ex omnibus per sortem: & vel ex cunctis, vel quasi diuisim per tribus & conuentus & societates, quousque transeat per vniuersos ciues: aut semper ex omnibus, & partim hoc partim illo modo. Rursus vero, si pauci sint illi qui constituunt magistratus, aut ex omnibus per electionem, aut ex omnibus per sortem, aut ex quibusdam per electionem, aut ex quibusdam per sortem, vel partim isto modo, partim illo: dico autem quædam ex omnibus per electionem, quædam per sortem. atque ita duodecim modi efficiuntur seorsum, duobus conduplicatis. Horum autem duæ constitutiones sunt populares, hoc est omnes ex omnibus electione, vel sorte: vel partim sorte, partim electione. At enim non omnes simul, sed ex omnibus

hus constituere, vel ex quibusdam, vel sorte, vel electione, vel vtroque modo: aut partim ex omnibus, partim ex quibusdam vtro quæ modo. dico autem vtroque modo, partim sorte, partim electione illius speciei est, quæ appellatur respublica. Quosdam vero ex omnibus constituere, partim electione, partim sorte, aut vtroq; modo hos quidem sorte, illos autem electione, paucorum potentiæ est, multóq; magis si vtroque sed quosdam ex omnibus, quosdam ex quibusdam, ciuile optimatum: vel quosdam electione, quosdam sorte: quosdam vero ex quibusdam, paucorum potentiæ, etiam si per sortem fiat vel non fiat: & quosdam ex quibusdam vtroq; modo: quosdam autem ex omnibus, & ex quibusdam omnes per electionem optimatum. Modi igitur circa magistratus tot sunt, & distinguuntur ita secundum rerumpublicarum formas. Qui autem quibus conducant, & quomodo constitutiones eorum faciendæ sunt vna cum potestatibus magistratuum, & qui sint hi, manifestum erit. dico autem potestatem magistratus, ceu circa reditus autoritatem habere & circa custodiam. alia enim potestatis species est, quemadmodum circa bellum, & circa contractus forenses.

De iudiciis, & eorum speciebus, & de modis iudicorum.

CAP. XVI.

Reliquum ex tribus est, de iudiciis dicere. Capiendi vero sunt istorum modi per eãdem viam. est enim differentia iudiciorũ in tribus terminis, ex quibus, & de quibus, & quomodo. Dico autẽ ex quibus, vtrum ex omnibus vel

ex

ex quibusdam. de quibus, quot species iudiciorum. quomodo, vtrum per sortem vel per electionem. Primo igitur distinguamus quot sint iudiciorum species. Sunt autem octo. Vnum, rationes reposcere. Alterum, si publice quis cui iniuriatus sit. Aliud, quot ad statum ciuitatis pertinent. Quartum, ex magistratibus & priuatis hominibus, quæcunque circa pœnas versantur. Quintum, de priuatis contractibus habentibus magnitudinem. at præterea de homicidiis, & peregrinis. Homicidij rursus species, si, ue in ipsis iudiciis, siue in aliis ex prouidentia fecerit vel inuitus, & quotcunque constituimus quidem facta, sed de iure controuersiam facimus. & quòd pro homicidio exulantibus circa reditum statuuntur. vt Athenis dicitur, & quod in † Phreati iudicium. Contingunt autem talia & in omni tempore pauca, & in magnis ciuitatibus. De peregrinis autem vna pars est, si peregrinus contra peregrinum agat: altera, si peregrinus contra ciuem. Est insuper vltra hæc omnia, de paruis rebus cognitio, quæ drachmas quinque, aut non excedant, aut parum. oportet enim & de his ius dicinec incidit in iudiciorum multitudinem. Sed omittamus de his, & de homicidiis & de peregrinis: dicamus autem de ciuilibus, in quibus si non recte iudicetur, seditiones ac rerumpublicarum motus gignuntur. Necesse est enim vel omnes de omnibus supra dictis iudicare electione vel sorte vel omnes de omnibus partim sorte, partim electione: vel de quibusdam eorum aliquos, partim sorte, partim electione assumptos. hi ergo modi sunt quatuor. Totidem alteri, qui secundum partem. rursus enim ex quibus, & qui iudicant

† puteï.

dicant de omnibus per electionem, aut ex quibus de omnibus per sortem, vel partim sorte, partim electione, vel quædam iudicia de eisdé ex sortitis & electis. Isti ergo, vt dictum est, sunt modi in prædictis. Insuper eadem conduplicata, vt quædam ex omnibus, quædam ex quibusdam, quædam ex vtrisq. ceu si eiusdem iudicij essent, alij ex omnibus, alij ex quibusdam: & vel per sortem vel per electionem, vel ex ambabus. Quot igitur modi iudiciorum esse possunt, dictum est. Horum autem prima, popularia sunt, quæcunq. ex omnibus vel de omnibus. Secunda, paucorũ potentium, quæcunq. ex quibusdã de omnibus. Tertia, optimatum & ciuilia, quæcunque partim ex omnibus, partim ex quibusdam.

*

ARISTOTELIS POLITICORVM LIBER QVINTVS.

SVMMA LIBRI.

De reipublicarum mutationibus, seditionumque earum causis, ac medelis. De diuersarum specierum rerumpublicarum mutationibus, ac ipsarum conseruandarum modis. De regni, ac tyrannidis mutationibus, ac conseruatione.

De causis mutationum rerumpublicarum, & de earum inaequalitate & aequalitate, & iniqua & stabilitate.

CAP. I.

DE aliis quidem omnibus, de quibus dicere proposuimus, fere dictum est, ex quibus autem mutantur respublicæ, & quot ea sint & qualia, & quænam sint singulares rerumpublicarum corruptiones & labes, & ex quibus in quales maxime mutantur: præterea quæ remedia generaliter & specialiter cuiusque, & per quæ maxime conseruari possit vnaquæque rerumpublicarum, cõsiderandum deinceps erit. Oportet autem prius illud principium assumere, quòd plures sunt formæ rerumpublicarum, & in his consistentur quidem omnes iustitiam & con

te conuenientem æquitatem, sed aberrant aliqua, vt est amè dictum. Nam populus constat ex his qui cum sint secundum quid pares, putant se simpliciter pares. Paucorum vero potentia ex iis qui cùm præsint aliqua re, se in cunctis præstare arbitrantur. opibus enim superantes, simpliciter existimant superare. Deinde vero illi quasi pares existentes in cunctis, dignum putant se parem portioné habere. hi autem quasi superiores sint, maiora sibi competere arbitrantur: maius enim inæquale. Habent vero omnes aliquid iustum, sed simpliciter aberrant. Et ob eam causam, quando non pro opinione sua verique reportent de republica, seditiones conciant. Omnium vero iustissime hoc facerent, qui virtute præcellunt: qui tamen minime omnium id faciunt. nam hi simpliciter rationabile est vt soli præferantur. Sunt autem quidam, qui præstantes genere, plus habere se dignos putãt. Videntur nobiles esse illi, quorum maiores virtute & diuitiis præditi fuere. hinc principia & fontes, vt ita dixerim, seditionum oriuntur. Quapropter mutationes merito fiunt, quandoque ex præsenti statu ad alium: ceu ex populari gubernatione ad paucorum potentiam, vel ad popularem ex paucis, vel ad rempublicam & optimatum ex illis, vel ad illas ex istis, quandoque præsentem gubernandi formam non quærunt mutare, sed in ea permanentes, pro se illam suspiciunt, vt paucorum potentiam vel monarchiam. Insuper circa magis & minus: ceu vel paucorum potentiam existentem magis extendere vel coercere, vel popularem statum amplare vel restringere. Eodémque modo de aliis speciebus ampliandis vel restringendis, vel in

parte aliqua reipublicę mouenda, ceu magistratum quendam de nouo inducere, vel remouere, vt apud Lacedæmonios ferunt Lysandrum tentasse regiam potestatem tollere, & Pausaniam regem Ephoros. & Epidamni mutata est respublica, parte cùm pro tribuum præfectis, senatores creauerunt. Apud Elienses vero necessarium est illorum etiam, qui versantur in republica dignitates inuadere, quando creatur magistratus aliquis. Paucorum autem potétiæ erat in hac republica, quòd vnus solus ad magistratum sumebatur. Vbique enim propter inæqualitatem oritur seditio: disparibus tamen non existit proportio, perpetua enim potestas regia iniqua foret, si esset in paribus. omnino enim quærentes æquum in seditiones incidunt. At enim duplex est æquum: vnum numero, alterum dignitate. numero quidem, ceu multitudine ac magnitudine idem, & æquum: dignitate autem dico, id quod est secundum rationem, ceu tria excedunt duo secundum æqualem numerum, & hæc vnum. dico autem quatuor excedere duo, & hæc vnum: æqua enim pars duo ex quatuor, & vnum duorum: ambo enim mediotates. Fatentes autem simpliciter esse iustum id, quod est secundum dignitatem, contendunt, vt prius dictum est, alij quia si in aliquo sint pares, se penitus pares existimant: alij, quia si in aliquo præstant, in cunctis se superare arbitrantur. Quamobrem duæ præcipue fiunt gubernandi formæ, populus scilicet, & paucorum potentia. nobilitatem enim ac virtutem in verbis quidem omnes fere vsurpant. etenim qui re vera nobiles ac boni sint, nusquam centum reperiuntur: diuites autem multis in locis. Simpliciter

pliciter omnino secundum alterutrum statuere æqualitatem, improbum est, patet autem ex eo quòd contingit: nulla enim huiusmodi rerumpublicarum recipit stabilitatem. Causa vero huius, quia impossibile est ex primo errore in principio commisso, non euenire ad extremum aliquid mali. quare opus est partim arithmetica æquitate vti, partim ea quæ est secundum dignitatem. Veruntamen tutior est, ac minus seditioni subiacet popularis gubernatio, quàm paucorum. nam in paucorum gubernatione duæ gignuntur seditiones: vna inter seipsos, alia ad populum. in gubernationibus autem populi, vna tantum seditio fit, ad paucorum potentiam, ipsis vero inter se, quod quidem dignum dictu sit, nō accidit seditio populi. Insuper mediocrium hominum gubernatio, propinquior est populari gubernationi, quàm illi quæ paucorum quæ quidem est magis tuta, quàm aliqua huiusmodi rerumpublicarum.

De seditionibus paucorum, & popularium: pro quibus rebus seditiones oriantur, & quæ sint earum causæ.

CAP. II.

Cvm vero consideremus quibus de causis seditiones mutationésque rerumpublicarum euenerint, capienda sunt primo vniuersaliter principia, & causæ earum. Sunt autem ferè tria, de quibus ipsis primo succincte determinandum est. Videre enim oportet quemadmodum dispositi ad seditiones deueniunt: & quarum rerum gratia: & tertio quæ sunt initia ciuilium turbationum, ac seditionum inter ciues. Quod quidem igitur disponantur ad res nouas expetendas, illa est potissima causa, de qua iam

diximus, quia alij pares esse volunt his qui plus possunt, & nisi hoc fit non acquiescunt alij vero se præstare dignos putantes, indigne ferunt nisi plus habeant. hæc autem quandoq; iuste cupiditur, quandoq; iniuste. inferiores quidem vt pares fiant, res nouas exoptant: & pares qui sunt, vt præstent. Quemadmodum igitur dispositi sint qui res nouas quærunt, dictum est. Res autem pro quibus contendunt, sunt lucrum, & honor, atq; his contraria. dedecus enim & damnū vel ipsorum vel amicorum fugientes, seditiones in ciuitatibus agunt. Causæ vero ac principia motus, vnde ipsis ita disponūtur, & pro iis de quibus diximus, sunt vt septē, sunt etiam vt plura. quorum duo sunt eadem cum illis quæ dicta sunt, non tamen eodem modo. propter lucrum enim & propter honorem irritantur inuicem, non vt acquirant sibiipsis, sed quia vident alios partim iniuste, partim iuste plus habere. Insuper propter contumeliā, propter metum, propter potentiam, propter contemptum, propter incrementum excessuum: præterea & alio modo propter verecundiam, propter negligentiam, propter pusillitatem, propter imparitatem.

Quæ passio ob dictas causas eueniant seditiones.

CAP. III.

EX quibus contumelia & lucrum, quam habeant vim, & quot causæ, ferè est manifestum. † Superbia enim, & auaritia eorum qui gubernant homines, prouocant contra se, & contra statum eius reipublicæ, quæ ista fieri patitur, auaritia vero quādoq; ex priuatis rebus fit, quandoq; ex publicis. De honore etiam dictum est, & quid valeat, & quomodo tales fieri oportet ad

† contumelia.

dendi. ipsi enim inhonorati, & alios honoratos cernentes, seditionem aggrediuntur. Hæc autem iniuste quidem fiunt, cum præter dignitatem honorantur quidam, vel inhonorantur: iuste vero, cùm secundum dignitatē. Propter præpotentiam autem, quando maior sit & potentior, vel vnus vel plures, qui secundum dignitatem & potentiam reipublicæ. consueuit enim ex talibus fieri vnius dominatio, vel gubernatio violenta. Quapropter quibusdam in locis Ostracismo vtuntur, ceu Argis & Athenis. atqui melius erat ab initio prouidere, ne in huiusmodi potentiā augeri homines permitterentur, quā post contra auctos remedium quærere. Propter metum vero ad seditionem deueniunt, qui pœnas formidant ob maleficia commissa: & hi cōtra quos paratur violentia, præuenire volentes, priusquām malum patiantur. vt apud Rhodum nobilitas contra plebem insurrexit metu iudiciorum, quæ sibi parabantur. Propter contemptum vero ad seditiones deueniunt. ceu in paucorum potentia, quando plures sunt illi, qui à republica excludūtur. potentiores enim se putant. Et in populari statu, opulenti contemnentes inordinationem & incuriam eorum qui gubernant. ceu apud Thebanos post pugnam in Oinophytis commissam, mala gubernatione populari status interiit. & in Megarensibus, ceu per inordinationem & negligentiam magistratuum superati sunt. & Syracusii ante Gelonis tyrannidem. & Rhodi populus, antequam contra insurgeretur. Fiunt etiam propter incrementum mutationes rerumpublicarum. vt enim corpus ex partibus suis cōstat, & oportet eas simul pro modo quanq; suo crescere, vt conuenientia

permaneat, ac nisi hoc fiat corrumpitur (ceu quando per quatuor cubitorum sit, cæterum vero corpus duarum palmarum longitudinem habeat: interdum vero & in alterius animalis figuram transiret, si non solum quantitate, verumetiam qualitate immoderatum fieret incrementum) ita & ciuitas ex partibus constat, quarum interdum aliqua paulatim subcrescit, ceu egenorum hominum multitudo in popularibus gubernationibus & rebuspublicis. Contingit vero quandoq; id per fortunam: veluti apud Tarentum cùm superati prælio ab Iapygenibus, nobilitatis magnam partem amisissent. Illius autem id prælium paulo post id tempus, quo Medi Græciam inuasserunt) ad populärem statum ex republica est facta mutatio. Et Argini post cædem suorum in Hebdoma à Cleomene Spartiata factam, coacti sunt inquilinos quosdam ad rempublicam recipere. Et Athenis, cùm terra male pugnaretur aduersus Lacedæmonios, nobilitas attenuata est, cùm ex descripto submittere se ad bellum cogeretur. Contingit autem hoc & in popularibus gubernationibus, rarius tamen. pluribus enim diuitibus existentibus, vel diuitiis in pluribus auctis, mutatio fit in paucorum potentiam. Mutantur etiam respublicæ absq; seditione propter verecundiam: vt in Heræa: cùm enim per electionem sumere magistratus solerent, postea sortiti sunt, ex eo quòd electiones eorum in homines turpes pudendósq; cadebant. Et propter negligentiam, quando sinunt ad summas potestates eos assumi qui non sunt amici status eorum: per quem quidem modum apud Horeum euersa est paucorum gubernatio per Heracleodorum, qui magistratum nactus

nactus gubernationem ciuitatis ex paucorum potentia ad populärem statum traduxit. Insuper propter pusillum, dico autem pusilli, quando latet paulatim subcrescens respublicæ mutatio, quæ ad magnitudinem latenter euadit, si non aliter fiat. quemadmodum apud Ambracioras à paruo censu prius erant magistratus, tandem vero à nullo: quasi nihil aut prope foret interpatum & vilhil. Seditiones quoque concitat peregrinitas, donec in eandem simul conspirationem deuenerit. vt enim non ex quauis multitudine constituitur ciuitas, ita etiam neque in quouis tempore. Quapropter quicunque adhuc inquilinos susceperunt vel aduenas, omnes ferè seditionibus iactati sunt, ceu apud Sybarim vna cum Trœzeniis incoluerunt Achæi: postea maiorem in numerū crescentes Achæi Trœzenios expulerunt. vnde * pollutio illa exorta est Syβαρίτης. & Thuriis. Idem fecerunt Sybaritę contra eos qui illos receperant. nam plus habere volentes, quasi de suis agris pulsi sunt. Et apud Byzantium peregrini in oppressionem ciuium coniurati, cognita re, prælio & armis expulsi sunt. Et Antissæi exules ex Chio susceptos, tandem armis deiicere coacti sunt. Zanclei vero, qui Samios receperunt, mox ab eis sunt propria ciuitate deiecti. Apolloniatæ qui sunt in Ponto, incolis receptis, seditione agitati sunt. Et Syracusani post tyrannos expulsos, cùm hospites & conductos militer fecissent ciues, in seditionem & prælium inciderunt. Et Amphipolitæ, receptis Chalcidensium colonis, pulsi tandem ab illis sunt ferè omnes. Seditionem autem concitant, in paucorum quidem potentia, multitudo indigne ferès, vt dictum est prius, quòd cùm

ipsi sint pares, non pariter honorantur. In popolari vero statu nobilitas, quòd par hat cæteris, cùm ipsi sint præstantiores. Incidunt etiam quandoque in seditionem ciuitates propter situm, quando talis est locus, vt non ad vnum eandémque gubernationem sit aptus. vt Clazomoniis accidit, qui in Chytro habitant, contra eos qui habitant in insula. Et Colophonijs ergà Notios. Athenis quoque non eodem modo, sed multo magis populares sunt, qui in Pyræo habitant quàm qui in vrbe. vt enim in prælijs transitus fossarum, etiam si admodum paruæ sint, interrumpit ordines militum, ita & in ciuitate † dissidentia omnis videtur dissunctionem facere. Maxime fortan dissident virtus & vitium deinde paupertas & diuitiæ, & alia magis quàm alia: quarum vna est illa, de qua diximus.

† *disimilitudo.*

De medelis, & documentis circa seditiones.

CAP. IIII.

ORiuntur autem seditiones non pro paruis rebus, sed ex paruis ad magna prouenijs, maxime etiam paruæ corroborantur, quando in principalibus fiunt, vt contigit Syracusanis antiquitus. Mutatus est enim ciuitatis status propter duos adolescentes, qui in magistratu constituti, simultatem inter se habuerunt ex amatoria causa. altero enim absente (cùm sodalis eius esset) alter puerum, quem amabat, sibi conciliauit. at ille reuersus, cùm id grauiter ferret, vxorem illius habere studuit. ex hoc, omnes qui versabantur in republica, diuerso fauere & uerterunt. Quamobrem ab istis principijs cauendum est diligenter, ac dissoluendæ factiones sunt

sunt eorum discordiæ, qui multum in republica possiunt. In principio enim peccatur, principium autem dicitur esse dimidium totius, itaq; parum in principio erratũ, correspondens est ad alias partes. Omnino autem excellentium virorum discordiæ totam post se trahunt ciuitatem: vt contigit apud Hestiçam post popularem statum. Duobus enim fratribus de diuisione patrimonij contendentibus, vnus eorum qui erat pauperior, quasi non exhibente altero fratre bona omnia, neq; thesaurum quem pater inuenerat, proferente, querebatur, ac populum in suos fautores pertraxerat: alter vero qui diuitijs polleret, locupletes sibi asciuerat. Et in Delphis ex fauore partium contentione exorta, principium fuit seditionum omnium, quæ postea fuerunt in ea ciuitate secutæ. hic enim cùm sibi triste auriga incidisset, vt venit ad sponsam, suscipere illam noluit. parentes vero puellæ quasi spreti atque contempti, sacrorum quiddam eo sacrificante iniecerunt, atque vt sacrilegum accusantes capite damnari fecerunt. Mitylenæ quoque seditio ex hæreditate coorta, magnorum malorum fuit origo. indéq; bellum Atheniensibus contra Mitylenæos susceptum, in quo vebs eorum à Pachete duce capta fuit. Timophane enim quodam opulento homine vita functo, cùm duæ filiæ superstites fuissent, Doxander quidam dari illas filijs in matrimonium concupiuit. quod cũ assequi non potuisset, alios sibi prælatos dolens, res nouas moliri aggressus: Athenienſibus quibus erat publice hospes, bellũ suscipere persuasit. Et apud Phocenses seditio exorta est ex hæreditate inter Mnaseam Mnasonis patrem & Euthycratem Onomarchi.

hæc

hæc seditio Phocensibus initium fuit eius belli, quod sacrum appellauerunt. Mutatus est etiam Epidamni ciuitatis status ex nuptiis. despondérat enim quis filiam, cùm vero pater sponsi magistratum gerens illi mulctam irrogasset, quasi despectus, omnes qui præsenti ciuitatis statui infensi erant per factionem ad se recipit. Fiunt etiam mutationes & in paucorum potentia, & in populari statu, & in ea quæ appellatur respublica, ex eo quòd aliquod collegium vel alia pars ciuitatis famam sit vel augmentum maiorem in modum consecuta: vt apud Athenienses, Areopagi cõsilium per tempora belli Persarum famam cõsecutum reipublicæ gubernandi formam seueriorem videtur fecisse. Et rursus naualis turba, quòd causa victoriæ Salaminensi bello fuisse videbatur, & ob eam victoriam principatum maris acquisisse ciuitati, popularem statum magis asseruit. Et apud Argiuos nobilitas, quòd in prælio contra Lacedæmonios apud Mantiniam vrbem commisso, magnam famam consecuta erat, popularem statum delere tentauit. Et apud Syracusanos multitudo vrbana, quòd causa victoriæ belli aduersus Athenienses videbatur fuisse, rempublicam mutauit ad popularem statum. Et apud Chalcidenses, quòd timul cum nobilitate ad opprimendum Phoxum tyrannum plebs insurrexisset, statim reipublicæ gubernationem suscepit. Et apud Ambraciam eodem modo, populus vnà cum aggressoribus Periandro tyranno expulso, in ciuium gubernationem conuertit. Et omnino hoc latere non oportet, quòd qui potentiæ causa fuerunt, siue priuati hómines, siue collegia publica, siue tribus, siue & pars aliqua ciuitatis, siue quæcunq; multi

multitudo, seditionem commouent. aut enim qui honori illorum inuident seditionem faciũt, aut ipsi propter præualentiam partem habere cũ cæteris, non acquiescunt. Mouetur quoq; respublica quando partes illæ ciuitatis, quæ contrariæ videtur esse, parificatur (ceu diuites & plebs) medium autem parum aut nihil omnino fit. si enim quæuis pars ita robusta fiat, vt ad illã quæ prædominabatur, proxime accedat, non tolerat posthac discrimina subire. Quapropter & qui virtute præcellunt, nullã (vt ita dixerim) faciunt seditionem. pauci enim sunt, alij vero permulti. Vniuersaliter ergo in cõctis rebusp̃licis ipsius initia causæq; seditionum ac mutationum, in hunc modum fiunt. Mutatur autem respublica quandoq; per vim, quandoq; per dolũ. Per vim autem aut statim, aut postea compellendo. nam & status duplex est. nonnunquam enim decepti ab initio, sua demum spõte recipiunt alium gubernandi modum, deinde postea violenter conseruant: vt accidit cùm quadringenti illi Athenienses rempublicam susceperunt. affirmantes enim quòd Persarum rex pecunias ad bellũ contra Lacedæmonios subministraret, ac in eo mẽsi, nihilominus postea vi retinere gubernationem conati sunt. Interdum autem ab initio persuadentes, at postea rursum persuasis sponte ac volentibus retinent gubernationem. Simpliciter ergo circa omnes respublicas, ex his quæ dicta sunt, contingit mutationes fieri.

De mutationibus popularis gubernationis: & earum modo. CAP. V.

SEd oportet in vnaquaque specie rerũpublicarum hoc idem cõsiderare. Popularis ergo status

status maxime recipit mutationes, propter eorum hominum perfidiam, qui sunt quasi duces in populo. Hi enim priuatim egregium quenq; calumniando, conspirare eos simul compellunt (cogit enim in vnum communis metus etiam eos, qui prius erant inimicissimi) publicæ vero multitudinem irritant. & hoc ferè vbiq. in hunc modum fieri videmus. Nam & apud Coum popularis status interiit, ob prauitatem eorum qui populum ducebant. nobilitas enim conspiratione facta, regimẽ ciuitatis arripuit. Et apud Rhodum. impositis enim pecuniis, quæ conductis militibus soluerentur, potentes quidam in populo pro se eas retinebant, erátque id impedimento, quo minus ea redderentur, quæ præfectis debebantur triennium. præfecti autem elapsis, cùm pecunias non haberent, ac nihilominus naulgare ex lege cogerentur, veriti pœnam iudicij, conspirationem iuierunt ad popularem statum euertendum. Apud Heracleam quoque populus oppressus est illico post coloniarũ emissionem, ob populi ductores. potentes enim quidam in populo, illaris iniuriis, nobilitatem expulerunt: illi vero postea conspirantes, & in vnũ conuenientes, in vrbem reuersi, populum oppresserunt. Nec multo dissimiliter apud Megarenses popularis status interiit. Ductores enim populi, quo pecunias per bonorum publicationem haberent, multos è nobilitate pepulerant, vt tandem facta sit permagna exulum multitudo, exules ergo in vnum conuenientes prælio superarunt, oppressóque populo paucorum potentiam constituerunt. Contigit hoc idem apud Cumas in popularí statu, quem destruxit Thrasimachus, & apud alios ferè quis inspiciat mutationes eodem modo contigisse. Interdũ enim, vt gratificétur iniuriantes, nobilitatem conspirare faciunt, vel patrimonia æque diuidentes, vel reditus muneribus publicis subiicientes: interdum vero calumniantes, vt bona opulentorum publicari faciant. Vetustis quidem temporibus, quando idem erat potens in populo ac belli dux, populares res in tyrannidem mutabantur, & profecto antiquorum tyrannorũ plurimi ex popularibus hominibus facti sunt. Causa vero, cur tunc fierent, non autem nunc, illa est, quòd tunc qui in populo maxime poterant, erãt ex his qui bello gerendo præficiebantur. nondũ enim dicendi peritiam habebant: nunc autem Rhetorica arte superueniente, qui dicendi facultatem habent, populos ducunt quidem, sed quia imperiti sunt rerum bellicarum, tyrannidem inuadere non audent, nisi vbi parũ aliquid ratè incidit. Tyrannides certe frequentius fiebant prius, quàm nunc, & propter magnas potestates quibusdam cõmissas, ceu Mileti ex consulatu. multarum enim ac magnarum rerũ potestatem habebat consul. Ac etiam ob id, quia tunc vrbes non erant magnæ: sed rure homines habitabant, otium agẽtes præter quàm ab agris. qui autem patroni erant in populis, cùm viri militares essent, tyrannidem inuadebant: idque agebant omnes, præstita sibi prius fide à populo, quæ acquirebatur ex inimicitia aduersus opulentos, vt Athenis, Pisistratus per factionem contra Pediacos susceptam, & Megaris, Theagenes armentis opulentorum occisis, quæ iuxta fluuium repererat pascentia, & Dionysius accusans Daphnæum & diuites, meruit tyrannidem Syracusis obtinere, propter inimicitiam nobilitatis,

tatis, sibi fide à populo præstita, quasi popularis esset, Mutantur etiam respublicæ, ex consuetudine gubernatione in vltimam speciem popularitatis. cùm enim per electionem sunt magistratus, non tamen à censu, eligit autem populus ambientes populum magistratuum gratia, eò rem deducunt, vt sit populus dominus etiam legum. Remedium autem, ne hoc omnino fiat, vel vt minus fiat, illud est, vt tribus quidem magistratum eligant, non populus vniuersus. Popularium igitur statuum mutationes ferè omnes per has fiunt causas.

De mutationibus paucorum potentiæ, & earum modis.

CAP. VI.

PAucorum autem gubernationes mutantur per duos maxime modos manifestissimos. Vnum, si iniuriis afficiant multitudinem, quilibet enim patronus sufficit, & maxime si ex numero paucorum dux aliquis existat, quemadmodum in Naxo Lygdamis, qui tyrannidem postea Naxiorum inuasit. Habet autè etiam ex aliis initium seditionis differentias. quandoquidem enim ab ipsis opulentis, qui nō honorantur magistratibus, fit dissolutio, cùm perpauci sint illi qui dignitates vsurpant: vt in Massaliensibus, & in Istro, & apud Heracleam, & in aliis ciuitatibus accidit. Nam qui honores non susceperūt, res nouas moliri nō cessabant, donec ipsi quoq; honorarētur, primo quidem seniores ex fratribus, deinde iuniores. quibusdam enim locis nō simul ad rempublicam gubernādam recipiuntur filius & pater: alicubi vero frater senior ac iunior. & illic quidem paucorum potentia citius

citius facta est. In Istro autem ad populum recidit. In Heraclea vero à paucioribus ad sexcentos deuenit. Mutata est & Cnidi paucorum potentia, seditione inter nobilitatem ipsam coorta, ex eo quòd pars eorum ab honoribus excludebatur: siquidem pater filium impediebat, & frater fratrem, nec nisi qui senior foret honorabatur. insurgens enim populus per illorum discordiam, ac ducem nactus ex ipsa nobilitate, seruens perniciē. imbecillis enim aduersa pars erat. Et apud Erythrienses, in paucorum gubernatione regiarum vrbium antiquis temporibus, licet diligenter curarent qui in gubernatione illarum versabantur, tamen quia perpauci erant, non tulit populus, sed rempublicam mutauit. Mutantur etiam paucorum gubernationes ex seipsis, propter factiones ipsorum qui plus posse apud populum volunt. Hoc autē dupliciter fit. quandoque enim sibi asciscunt, & coniungunt alios ex ipso numero paucorum: vt Athenis in triginta illis fecit Charicles, & in quadringentis Phrynichus simili modo. quandoque vero ipsi, qui sunt ex paucorum numero, vendicant sibi plebem, vt apud Larissam, nobilitas plebem colebat, ex eo quia per plebem fiebat electio magistratus illius, qui custodia reipublicæ vocabatur: & in quibuscunque gubernationibus paucorum, non illi ipsi eligūt ad magistratus, qui & gerere illos possunt, sed ex censibus magnis tribuuntur, vel ex aliquo corpore. electio tamen eorum per ciues fit, aut per plebem, vt Abidi, & vbi iudicia non sunt ex his qui rempublicam gubernant, colendo plebem, quo eorum suffragia promereantur, rempublicam mutant, vt apud Heracleam contigit, quæ

est in Ponto, quod idem accidit, quando in gubernatione paucorum quidā existentes, ad pauciores etiam rempublicam trahunt. Pares enim cæteris esse quærentes, compelluntur populum in sui auxilium adhibere. Fiunt etiam mutationes in gubernatione paucorum, quando prodigaliter viuentes qui gubernant, per luxuriam patrimonia consumpserunt. Optant enim res nouas huiusmodi homines, tyrannidémque vel sibipsis, vel alteri affectant, quemadmodum Hipar Dionysiū Syracusis, & Amphiboli Cleotimus Chalcidēses colonos superinduxit, & eidem venisse, seditionem cum illis cōtra diuites fecit. & in Aegina qui negotium id Chariti Athenienſi fecerat, res nouas molitus est, propter huiusmodi causam. Hi ergo homines coniunctis patrimoniis, aut res nouas cōmouent, aut rempublicam furtis expilant, itaque seditiones aut ab ipsis aut ab illis concitantur, qui eorum iuri non toleranter. Apolloniæ quæ est in Ponto accidit. Concors vero si sit paucorum gubernatio, ex seipsa non facile interit. Huius signum est apud Pharsalum vrbem reipublicæ statu: pauci siquidem in ea ciuitate gubernatores, modi eorū sunt dominij, quia ipsi inter se recte ac debito more se gerunt. Euertuntur etiam, quando in paucorum gubernatione aliam paucorum gubernationem efficiunt. id est quando eorum, ad quos pertinet gubernatio reipublicæ, qui pauci sunt, selectio quædam fit, neque habilitas est omnibus ad maximos magistratus, dignitatésque posse assumi. Quod apud Elidem vrbem quandoque contigit. nam cum paucorum esset gubernatio reipublicæ, admodum pauci eorum ad senatorium ordinem, quæ erat perpetua dignitas, peruenire poterant, ob id quòd erat potentium. hic ordo ac persimilis Lacedæmoniorum senatui. Fit autem mutatio gubernationis paucorum & in bello, & in pace. In bello quidē, quòd populo diffidentes, conducto milite vti compelluntur, & qui illis præficitur, sæpe tyrannus euadit: vt Corinthi Timophanes, quòd si plures præficiuntur, ipsi sibi potentiam parant, interdum vero ista formidātes qui regunt, populum recipiunt ad reipublicæ communionem, quoniam necessitas cogit populo vti. In pace autem propter diffidentiam, quam inter se habent, conductis militibus custodiam tradunt, præficiúntque illis virum aliquem, qui ad neutram partem magis inclinare videatur, at iste sæpe fit dominus partis vtriusque, quod accidit in Larissa vrbe Leucadēsibus, qui circa Samum rempublicam tenentibus, & apud Abidum tempore sodalitatum, quarum erat Iphiadæ. Oriuntur etiam seditiones per exclusionem aliorum ab aliis factam, eorum ipsorum qui sunt in paucorum gubernatione, quando de nuptiis, vel de iudicijs concertant, quemadmodum de nuptiis supra diximus. In Erethria paucorum gubernatio requirum sublata est per Diagoram, qui affectas iniuria fuerat ex nuptiis. Ex iudicio autem apud Heracleam seditio exitit, & Thebis ob adulterij iudicium. Atqui vtroque in loco non inimica fuerat accusatio, sed per factionem pœna nimis exasperata. apud Heracleam quidem aduersus Eutionem, Thebis vero aduersus Archias, quos inimici peruincentes in foro ligatas ceruicem eius annulo ferreo includi fecerunt. Sæpe etiam paucorum gubernationes dissolutæ fuerunt ob nimiam dominationem, non

*ἢ cōpotes

probantibus quiquſdam ex ipſis qui gubernabant, huiuſmodi exceſſum: vt accidit his qui apud Gnidum, & apud Chium per paucorum potentiam gubernabant. Fiunt etiam caſu mutationes illis quæ vocantur reſpublicæ, & gubernationes paucorum, vbicunque à cenſu ſumuntur ad deliberandum, & iudicandum, & ad cæteros magiſtratus. Sæpe enim cõſtitutus primo cenſu ad præſens tempus, vt participent in paucorum quidem gubernatione pauci, in republica vero medij, † felicitate aliqua ſuperueniente, vel per pacẽ, vel per aliam cauſam, contingit eaſdem poſſeſſiones multo maioris pretij fieri: itaque omnes efficiuntur habiles ad cunctos reſpublicæ gradus, dignitatéſque ſuſcipiendas, idque contingit interdum ſenſim & latenter, interdum celerius. Paucorum igitur gubernationes mutantur, & ſeditionem recipiunt per huiuſmodi cauſas. Omnino autem & populares ſtatus, & paucorum potentiæ conuertuntur interdum non in contrarias ſpecies, ſed in eas quæ ſunt proprij generis, ceu ex inſtitutis popularibus & paucorum, in ipſa propria, & ex illis rurſus in iſta.

† abundantia rerum.

De mutationibus optimatum potentiæ, & earum modis.

CAP. VII.

IN optimatibus autem ſeditiones fiunt, interdum quidem ex eo quòd pauci ſunt honorum participes, quod in paucorũ gubernatione diximus ſeditionem mouere. nam & optimatũ gubernatio quodãmodo paucorũ eſt: in vtraq; enim pauci gubernãt, non tamen propter idem pauci, cùm videatur propterea optimatum gubernatio

bernatio eſſe paucorum. maxime vero id accidere neceſſe eſt, quando fuerit multitudo aliter ſentientium, quàm ſimilis ſecundum virtutem, velut apud Lacedæmonios ij qui Partheniæ nũcupabantur (ex ſimilibus enim erat) quæ deprehenſos res nouas moliri, in coloniam Tarentum miſere, vel quando aliqui inhonorantur, cùm ſint magni, & nihilo inferiores virtute quàm illi qui honores capiunt, quemadmodum Lyſander à regibus, vel quando vir fortis & magni animi non ſit particeps honorum: quemadmodum Cinadon ille, qui coniurationẽ facta per Ageſilai tempora, Spartiatas opprimere tentauit. Præterea cùm alij paupertate alienia premuntur, alij diuitiis abundant: quod maxime in bello contingit, & accidit hoc Lacedæmoniis Meſſenenſi bello. Oſtendit hoc Tyrtæus Poëta in illo carmine, quod inſcribitur εὐνομία, exhauſti enim quidam per id bellum ac pauperes facti, cenſebant agros æqua portione ciuibus eſſe diuidẽdos. Inſuper ſi quis magnus & potens, etiam maior fieri ac ſolus dominari velit, vt apud Lacedæmonios videtur Pauſanias ille feciſſe, qui dux belli aduerſus Medos fuit, & apud Carthaginienſes Hanno. Diſſoluuntur autem maxime & reſpublicæ & optimatum gubernationes, propter tranſgreſſionem iuſtitiæ in ipſis factam. Huius autem origo eſt, non bene temperatam ſimul eſſe ac perfectam, in republica quidem popularem gubernationem & paucorum in optimatibus vero iſta ſimul atque virtutem maximéq; illa duo, popularem dico atque paucorum. hæc enim & reſpublicæ conantur miſcere, & multæ illarum quæ optimates vocantur, differunt enim opti-

* πρφασις πρᾶξεων, eorum, qui magnam de ſe conceperunt opinionem.

mates ab illis quæ appellantur respublicæ in hoc:& ob id sunt aliæ earum minus, aliæ magis durabiles. silas enim quæ magis declinant ad paucorum potentiam, optimates appellant: illas vero quæ ad multitudinem, respublicas vocant, quapropter tutiores sunt istę, quàm aliæ. Fortius enim est id quod plus est, ac magis acquiescunt æquum habentes. Qui vero diuitiis abundant, si respublica excellentiam eis tribuat, contumelia cæteros afficere pergunt, nec par habentes conquiescunt. Penitus enim ad quamcunque speciē declinet gubernatio ciuitatis, in eam transmutatur, vtrisque suum augentibus: velut respublica ad populum, optimates ad paucorum potentiam: vel in contraria, ceu optimatum gubernatio in popularem. tanquam enim iniuriam patientes, in contrarium trahūr, qui magis sunt inopes: respublica vero in paucorum potentiam transmutatur. solum enim stabile est secundum dignitatem æquū, & habere sua quæ sunt. Contigit vero id quod modo diximus, in Thuriis, quod enim à maiore censu erat magistratus, in minorem facta est mutatio, & in plures gubernatores. & quia agros totos possidebat nobilitas contra legem (quam gubernatio eius ciuitatis erat ipsorum) itaque plus habere poterant. At populus bello exercitatus, ac potentior effectus quàm illorum custodes, nobilitatem compulit agros, qui contra legem tenebantur, dimittere. Insuper quia omnes optimatum species ad paucorum potentiam declinant, nobilitas in illis plus habet: velut apud Lacedæmonios, opes & diuitiæ in paucis sunt, ac magnam licentiam habet nobilitas faciendi quodlibet, & cui velit gratificandi; quæ causa fuit, vt Locrorum ciuitas, interiret, propter Dionysij clientelas, quod non contigisset in populari statu, neque in ea optimatum gubernatione, quę optime mista & temperata fuisset. Maxime vero latere optimatum gubernationes, paulatim sese dissoluentes, quod quidem dictum est prius vniuersaliter de omnibus rebusp̄licis, idque inter causas mutationis minuta paruitas appellatur, quando enim omittunt aliquid ex his quæ ad rempublicam pertinent, ac deinde aliud paulo maius, facilius mouent, quousque totam moueant rei publicæ formam. Quod in Thuriorum accidit republica. cum enim legem haberent, per quam non nisi intermisso quinquennio * prætoram gerere licebat. iuniores quidem militaris periti, & apud multitudinem famam habentes, cùm cæteros, qui in rebus gerendis versabantur, spernerent ac facilitèr se consecuturos arbitrarentur, legem totem illam tollere aggressi sunt, lata altera lege, vt liceret continue eosdem prætores esse. At enim magistratus qui præerant suffragiis, appellabantur vero consultores, commoti prius ad resistendū, tamen postea desiterunt, putantes, quanuis hac vna lege soluta, tamen cæteras esse permansuras, postea vero prohibere volentes, ne aliæ moueretur, nihil proficere valuerunt, sed mutata rei eorum respublica in potentiam eorum, qui nouas res aggrediebantur. Dissoluuntur vero ciuitatis respublicæ interdum per seipsas, interdum per externam causam, quando contraria gubernatio sit, vel propè vel longe quidem, sed admodum potens, quod quidem contigit Atheniensibus & Lacedæmoniis. Athenienses enim ipsique potentiam paucorum: Lacedæmonij

* στρατηγίαν.

vero vbiq; popularem statum euerterunt. Vnde igitur rerumpublicarum mutationes, seditionésque exoriantur, ferè dictum est.

De conseruatione rerumpublicarum modi viginti.

CAP. VIII.

DE conseruatione autem earum, & communiter & seorsum de vniuscuiusque, consequens est vt dicamus. Illud ergo ante omnia patet, quòd si sciamus per quæ corrumpuntur respublicæ, scimus etiam per quæ conseruantur. contrariorum enim contrarij effectus: corruptioni autem conseruatio est contraria. In illis igitur rebuspublicis quæ laudabiliter permistæ ac temperatæ sunt, illud est diligenter obseruandum, ne quid ex legibus institutisq; moueatur, maximéq; ab eo cauendum, quòd paulatim repit. latet enim corruptio, quia non tanta simul fit: decipitúrque mens ab illis, vt sophistica illa ratio, si vnumquodque pusillum, & omnia. hoc autem est vt sit, & est vt non. totum enim & omnia non pusillum, sed composita ex pusillis. vna igitur custodia aduersus hoc principium est opponenda. Deinde non considere his quæ finguntur quodammodo, & adumbrantur ad populum: reprobántur enim ex ipsis operibus. qualia vero dicamus rerumpublicarum figmenta, superius est ostensum. Intueri licet quasdam respublicas durare non solum ex optimatibus, verumetiam ex paucorum potentiis, non quia per se ipsæ stabiles sint, sed quia hi qui gubernant, recte se gerunt, tam erga eos qui sunt extra tempublicam, quàm erga eos qui in republicæ gubernatione versantur. Erga eos quidem qui non participes sunt gubernationis, non

afficiendo ipsos iniuriis, ac præstantiores ipsorum ad participationem respublicæ recipiendo, cupidósque honoris non deprimendo, neque multitudinem suis commodis fraudando. Erga illos vero, qui socij in gubernanda republica sunt humane inuicem ac populariter se gerendo. æqualitas enim illa, quæ in populari statu affectatur, ea in similibus non solum iusta est, verumetiam vtilis. Quamobrem si plures sint in gubernatione respublicæ constituti, eis permulta popularium institutorum vtilia sunt: vt semestres esse magistratus, vt omnes qui similes sunt, adipisci valeant. sunt enim tanquam populus quidam illi, qui inter se pares ac similes sunt. itaq; in illis frequenter existunt, velut duces quidam populi, vt prius diximus. Deinde etiam in potentias incidunt paucorum gubernationes & optimates. non enim similiter facile est latere male agentem in breui tempore magistratus & in longo. nam ob hoc, in paucorum gubernationibus, & popularibus tyrannides fiunt. aut enim hi qui maximi sunt in vtraque, tyrannidem inuadunt (hic ductores populi, ibi potentes) vel qui maximos gerunt magistratus, quando longo tempore durant. Conseruantur autem respublicæ, non solum ex eo quia procul sint à periculis, verum etiam interdum quia propinquæ sunt. homines enim formidantes, vigilantius intendunt ad reipublicæ custodiam. Itaq; oportet eos qui rempublicam saluã esse volunt, formidines quasdam parare, vt caueant, neq; dissoluant quasi nocturnam quandam custodiam, reipublicæ obseruationem: & quod longe abest, propinquum facere. Etiam nobilium contentiones seditionésq;, per leges

quoque oportet custodire conari, & qui extra contentiones sint eos ante capere, tanquã malum ab initio exoriens cognoscere non cuiusuis sit, sed ciuilis vici. Ad mutationes vero quæ propter censum fiunt, ex paucorum potentia atque ex republica, quando contingit hoc, manentibus eisdẽ censibus, aut pecuniarum copia facta, vtile est considerare vniuersum totius ciuitatis censum, ac præsens tempus ad præteritum conferre. nam in quibusdam ciuitatibus census agitur annuatim, in maioribus vero per triennium aut quinquennium. & si multiplicatus sit, ac multo maior factus quàm prius erat ille, secundum quem statuta fuerat reipublicæ gubernandæ habilitas, lege prouidere vt census vel augeatur vel relaxetur. si quidẽ excedat, augeatur secundum multiplicationem: si vero deficiat, relaxetur ac minor fiat census taxatio. In paucorum enim gubernationibus, & in rebuspublicis nisi hoc fiat, hic paucorum gubernatio, ibi potentia nimia insurget. illo autem modo ex republica quidem popularis status, ex paucorum vero gubernatione respublica, aut populus. Cõmune autem est & in populari, & in paucorum gubernatione & in omni republica, neque augere nimium quenquam supra modum, sed magis conari paruos & longi temporis honores præbere, quàm confestim magnos. corrumpuntur enim, nec cuiusuis est hominis prosperitatem ferre. Quòd si accumulate dati fiat alicui honores, non sunt simul omnes postea auferendi, sed paulatim. Maxime vero lege ita prouidere conãdum est, ne alicui nimium fit excellua potentia, neque amicorum, neque pecuniarum, quod si ita contingat, per absentiam re-

mouendæ sunt huiusmodi hominum clientelæ. Cum vero ex priuata etiam vita res nouæ oriantur, magistratus constituendus est quidam, qui sit quasi in specula ad mores ciuium intuendos, ne quis ita viuat, vt reipublicæ nocere possit. in populari quidem statu, ne aliene viuat à popularitate: in paucorum autem potentia, ne aliene à natura eius gubernationis. Eodemque modo de aliis speciebus rerumpublicarum. Et si quid exultet prosperitatéque sit elatum in ciuitate, per partes obseruare propter eadem causas, cuius remedium est, semper contrariis partibus magistratus & res agendas committere. contrarias partes voco, ceu præstantes viros multitudini, & diuites pauperibus. Comandúmque est vel admiscere pauperes cum diuitibus, vel medios augere. hi enim dissoluent seditiones ob impariratem procedentes. Maximum vero illud est in omni republica & legibus, & cætera omni diligentia constituendum, ne ex magistratibus lucra prouenianț. id autem maxime in paucorum gubernatione est obseruandum. leuius enim ferunt populi, qui ab republica excluduntur, quinimo gaudent, quòd sua agere non impediuntur. At si existiment eos qui magistratus gerunt ex republica ditari, duplicem capiunt molestiam, & quòd ab honore excluduntur, & quòd à lucro. Vnde vero contingit simul existere populatem statum & optimatum, si ita quis instituat: foret enim vt & nobiles & plebei haberent quæ vtrique velient. Licere enim omnibus rempublicam gerere populare est: magistratus vero à nobilibus teneri, optimatum. hoc autem accidit, quando ex magistratibus nõ prouenient lucra,

* ἐυνομία.

pauperes enim magistratus non volent, si nil insit lucri, sed potius suis rebus propriis intendere. diuites autem quia non indigent ex republica lucrari, magistratus gerent. atque ita continget egenis quidem ditari ob operam rebus suis impensam, nobilibus vero non subiici cuiquam. Ad hoc autem vt non subripiantur pecuniæ publicæ, editio fiat pecuniarum præsentibus ciuibus omnibus, & descriptę per societates, & ordines, & tribus deponantur. Quòd vero magistratus sint absq; lucro, statuendi per legē sunt honores, iis qui optime se gesserint. Oportet autem in populari statu diuitibus parcere, ac non modo possessiones eorum non auferre, sed ne fructus quidem earum: quod in quibusdam ciuitatibus imprudēter fit. Melius etiam est volentibus prohibere, ne munera illa subeant, quæ sint magni sumptus, ac nullius vtilitatis, ceu chotos exhibere & ludos & faces, instar Chiorum, & cætera huiusmodi munera. In paucorū vero gubernatione, cura est pauperum suscipiēda diligenter, & officia quibus sunt salaria constituta, istis tradenda. & si quis diuitum eos contumelia affecerit, maior pœna est constituenda, quàm si ipsi inter se idem fecissent. Et successio in hæreditatibus per cognationem sit, non per donationem. nec valeat quisquam plures hæreditates capere, sed vnam solummodo. Per hunc enim modum magis æquales erunt facultates, & egenorum permulti ad abundantiam traducentur. Vtile est & in populari statu, & in paucorum gubernatione, aliorum vel æqualitatem vel præstantiam tribuere his qui minus participant reipublicæ. in populari quidem diuitibus, in paucorum vero gubernatione, egenis: exceptis tamen his magistratibus, in quibus ius autoritásque reipublicæ consistit. hi enim solis iis qui sunt ex republica, committi debent.

Quas conditiones habere oporteat præcipuos magistratus susceptūros. De præceptis, quibus popularis status, aut paucorum potentia seruentur.

CAP. IX.

TRia vero debent habere illi, qui principales magistratus sunt suscepturi. Primum vt ament præsentem ciuitatis statum. Deinde, vt habeant potentiam maximā ad ea exequenda, quæ magistratus requirit. Tertium, vt habeant virtutem & iustitiam in vnaquaque republica, ad ipsam rempublicam. nisi enim iustam idem sit in cunctis rebuspublicis, necesse foret & iustitiæ esse differentias. Habet autem dubitationem, quando hæc omnia non conueniunt in eodem, quemadmodum sumere oportet, ceu si sit quidam aprus ad rem militarem, sit autem ille idem improbus, nec reipublicæ amator: alter vero iustus & amator, sed ad rem militarem non aptus: cuius facienda sit electio. Videtur inspiciendum esse ad duo, cuius magis participent omnes, & cuius minus. Quapropter in re militari quidem ad peritiam magis quàm ad probitatem est respiciendum: pauciores enim sunt rei militaris periti, plures probitatis. Contra vero, in custodia & administratione ærarij: plus enim probitatis requirit, quàm quantum habeant multi. scientia vero huius communis est omnibus. Dubitari enim potest, si potentia adsit reipublicæ & amicitia, quid opus est virtute. sufficient enim illa duo ad

ad reipublicæ vtilitatem. An, quia fieri potest, vt duo illa habentes sint intemperantes: sicque vt sibi ipsis non obtemperant scientes & amantes seipsos, sic etiam erga rempublicam nihil vetat ita se habere quosdam. Simpliciter autem quæcunq; in legibus prodesse diximus, cuncta illam rempublicam seruant. Et quod sæpe iam diximus, maximum fundamentum est, custodire vt potentior sit ea pars, quæ rempublicam similem esse velit, quàm illa quæ nolit. Præter hæc autem omnia, latere non oportet, quod modo latet eas respublicas, quæ transgrediuntur modium. Multa enim quæ popularia videntur, populärem statum dissoluunt: multa etiam quæ paucorum esse videntur, dissoluunt paucorum gubernationem. qui vero existimant hanc esse vnam virtutem, trahunt ad excessum, ignorantes quòd quemadmodum nasus excedit rectitudinem laudabilem ad aquilinum esse vel simum, sed tamen adhuc pulchritudinem ac gratiam retinet, at si quis magis trahat ad excessum, primo quidem abilcit congruentem mensuræ partis, tandem vero ita disponitur, vt non nasus appareat propter excessum ac defectum contrarium. eodem modo & de aliis partibus. Contingit autem hoc & circa alias gubernationes. ni paucorum quidem potentiam, & populärem sufficienter se habere contingit, & ii transgrediantur ab optimo statu. quod si quis intendat magis vtranque earum, deteriorem primum faciet rempublicam, tandem vero neque rempublicam esse. Quapropter non ignorari oportet à legis conditore ac ciuili homine, qualia populária seruent populi statum, & qualia paucorum apparentia euertant paucorum gubernationem.

†incontinentia.

tionem. neutra enim istarum videtur stare posse absq; opulentia & multitudine. sed quando æquatio fiat faculeatiũ, aliam necesse est esse rempublicam. itaq; dissoluentes leges, quæ sunt circa excessum, dissoluunt respublicas. Aberrat vero & in populari statu, & in paucorũ gubernatione. In populari quidem ductores populi, vt multitudinem dominam legum efficiant. ob id enim faciunt semper ciuitatem opulentis repugnantem, at oportebat cõtrarium videri semper dicere pro opulentis. In paucorum vero gubernatione pro populo, eos qui rempublicam gubernant, & contra iurare quàm nunc iurent paucos gubernantes. in quibusdam enim ciuitatibus nunc iurant, populum odio habebo, & consilio annitar vt male habeat. expedit autem simulare ac fingere contrarium, atque ita iurationem concipere, non afficiam populum iniustis. Maximum autem omniũ quæ dicta sunt, ad reipublicæ stabilitatẽ est id, quod nunc pariaciunt omnes, eruditi ad reipublicæ disciplinam. nihil enim prosunt vtilissimæ leges quæ à gubernatoribus decernuntur, nisi moribus insistant & disciplina imbuti in republica homines fuerint: si leges populares, populariter: si paucorum potẽtiæ, ad hanc ipsam gubernationem. Nam si est in vno intemperantia, est etiam in ciuitate. disciplina autem reipublicæ est, non ea facere per quæ lætentur pauci potentes aut populares, sed per quæ valeant. illi quidem paucorum gubernationem tenere, hi vero populärem. Nunc autem in paucorum potentia gubernatorum filij deliciis intendunt: populiorum autem filij gymnasiis laboribúsq; exercentur, itaque & volũt magis & possunt res nouas moliri.

In po

In populari vero statu qui maxime videtur esse popularis, cõtra quàm vtile sit constitutum est. huius rei causa est, quòd male definiunt libertatem. Duo sunt enim, quibus popularis status definitur, potestate summa populi, ac libertate. Iustum autem æquum videtur esse. æquum vero quodcunq; videatur multitudini, id esse †stabilitum. liberum autem & æquum quodcunque velit quis facere. itaque viuit vnusquisq; vt vult in huiusmodi populari statu, & ad quod gliscit vt ait Euripedes. Sed hoc est prauum. non enim putandum est esse seruitutem, viuere ad formã reipublicæ, sed salutem. Ex quibus igitur mutantur rebus publicæ, & corrumpuntur: & per quæ seruantur, & permanẽt, vt simpliciter dicamus, tot & talia sunt.

† præcipuũ

De mutationibus Regni, & tyrannidis.

CAP. X.

REstat nunc videre de vnius gubernatione, ex quibus corrumpatur, & per quæ seruari valeat. Ferè autem similia ac propinqua sunt illis, quæ diximus suprà de cæteris gubernationibus, illa quæ circa regnum, & circa tyrannidem contingunt. nam regia quidem potestas optimatum gubernationi respondet: Tyrannis autem, ex paucorum potentia illa postrema, & ex populari componitur. quapropter pernitiosissima est his qui sub ea sunt: vt pote ex duobus composita malis, & transgressiones & delicta continens, quæ ex ambabus illis proueniunt. Existitq; generatio statim ex contrariis vtriq; istarum. nam regia potestas pro tutela præstantium virorum contra populum reperta est: & fit Rex ex præstantibus per excellentiam virtutis, vel rerum gestarum quæ sint à virtute, vel per excellentiam huiusmodi generis. Tyrannus vero originem habet à populo ac multitudine, contra nobilitatem, vt populus iniuriam ab illis non patiatur. Patet hoc ex ipsis his quæ contigerunt. ferè enim tyranni vt plurimi facti sunt ex ductoribus populorum, fidem adepti ab inicio propter calumnias contra nobilitatem iactas. Tyrannides igitur aliæ in hunc modum constitutæ sunt, ciuitatibus iam adauctis. Aliæ prius ex regibus transgredientibus patria iura, & affectantibus magis dominari. Aliæ ex electis ad principales magistratus: antiquitus enim populi constituebant diuturniores administrationes & procurationes. Aliæ ex paucorum potentia, eligentium vnum aliquem ad maximos magistratus. Omnibus istis modis facultas fuit id perficiendi, si modo voluissent, per potentiam sibi præexistentem, vel ex regia potestate, vel ex honoribus à populo exhibitis. ceu Phidon apud Argos, & alij alibi regiam potestatem habentes tyranni sunt facti. circa Ioniam vero tyranni, & Phalaris, ex honoribus. Panætius quoq; in Leontinis, & Cypselus Corinthi, & Pisistratus Athenis, & Dionysius Syracusis, & alij eodem modo ex fauore populorum, apud quos multum potuerunt. Vt ergo diximus, regia potestas constituta est secundum optimatum gubernationem. est enim secundum dignitatem, vel per virtutem propriam, vel generis, vel per beneficia collata, vel per ista simul ac potentiam. Omnes enim qui maxima beneficia in ciuitates gentesque contulerunt, vel qui eam facultatem habuerunt vt conferre valerent, hoc honore potiti sunt, alij bello conseruatis populis ne in seruitutem

deuenirent, quemadmodum Codrus, alij à seruitute liberatis, vt Cyrus. alij quòd condidissent vrbem, vel quòd regionem acquisissent, quemadmodum Lacedæmoniorum, & Macedonum, & Molossorum reges. Vult autem Rex esse custos vt qui diuitias habent, nihil iniustum patiantur, nec etiam populus afficiatur contumelijs. Tyrannus autem, vt sæpe iam diximus, ad nullam communem respicit vtilitatem, nisi gratia proprij commodi. Est autem obiectum tyranni, quod placeat regis, quod honestum &c. quamobrem & illa in quibus plus habent, sunt tyrannis quidem pecuniæ, regibus autem honores, & custodia regia ciuibus suis est, tyranno autem à peregrinis. Quòd vero tyrannis contineat illa mala quæ sunt & popularis gubernationis & paucorum potentiæ, manifestum est. Ex paucorum quidem potentia finem esse diuitias, per has enim solas necesse est permanere, vt conductos retineat custodes, vt sumptus faciat in educando, vt populo suo in nulla parte confidat, itaque arma ciuibus suis adimere, ac multitudinem populi conculcare, ac ex vrbe pellere, & vacuam habitatoribus ciuitatem reddere, communia sunt vtrarunque, paucorum & licet potentiæ, & tyrannidis. Ex populari autem, vexare nobilitatem, clam euertere & palam, & in exilium pellere, tanquàm aduersarios & machinatores contra potẽtiam suam. Ex his enim & consilia aduersus eos iniri contingit, aliis dominationem affectantibus, aliis seruitutem fugientibus. Vnde Periandri consilium Thrasybulo datum, supereminentes spicas decerpere, tanquàm opportunum fuerit eminentiores ciuium de medio tollere. Vt igitur ferè dictum est, eadem

dem principia mutationum sunt existimanda, & in rebuspublicis & in vnius gubernatione. per contumeliam enim, & per metum, & per contemptum insurgunt plerique subiectorum aduersus dominantes. iniuriæ vero maxime per contumeliam, nonnunquàm & per ablationem rerum fiunt. Sunt autem & fines ibi mali, quales sunt circa tyrannides & regna. opes enim & honores qui in tyrannis regibusque maximi conspiciuntur, affectant omnes. Insurgitur autẽ quandoque in corpus dominantis, quandoqi in ipsum dominationẽ. Quando enim per cõtumeliã adducuntur homines ad insurgendum, impetus fit in corpus. cúmq; sint contumeliæ partes plures, vnaquæq; illarũ concitat ad iram, ira autem vero plurimi vltionis causa impetum faciunt, non causa potentiæ. Quale fuit illud filiorum Pisistrati ob contumeliam enim sorori Harmodij illatam, & ipsum Harmodiũ compellatum, impetus in eos factus est ab Harmodio quidem propter fororẽ, ab Aristogitone autem propter Harmodium. Aduersus Periandrum quoq; Ambracię tyrannum insidiæ factæ sunt, ex eo quia in puero quem amabat puerũ interrogauit, an nondum ex se prægnans esset. Philippus vero à Pausania occisus est, quia nõ vlciscebatur contumeliam sibi factam ab Attalo. Et Amyntas paruus à Perdæ, quia inclaret se illius ætate abusum esse. Et Eunuchꝰ ab Euagora Cyprio, quòd enim mulier reuereret eius filiũ, quasi contumelia affecta eũ necauit. Plurimæ vero inuasiones factæ sunt ex eo, quia in corpus verecundiam intulissent, qualis fuit inuasio illa Cratei aduersus Archelaum: semper enim molesta illi fuerat confundendo eius. Itaq; parua etiam occasio sufficiẽs

fuit, vel quia filiarum nullam sibi dederat, cum se daturum promisisset. sed primam occupatus bello aduersus Syrram Arabeum tradidit regi Elibiæ: alteram vero filiam minorem natu filio Amyntæ coniugauit: existimans per hunc modum minime sibi fore aduersaturum ex Cleopatra genitum. sed indignationis principium extitit, quòd graviter ferebat se ad libidinis gratiam haberi. Fuit vna cum illo ad rem patrandam Hellanocrates Lariſæus ob eandem causam. quod enim abusus ætate illius non, vt prius erat deducebat, ob contumeliam sibi fieri existimauit, non ob amorem. Paron vero & Heraclides Aenij Cotyn peremerunt, †patri machantes. Adamas vero à Cory rebellauit, quasi contumelia affectus, quòd ab eo in pueritia exectus esset. Multi etiam ob verberatum corpus vel interfectum ira perciti, vel impetum fecerunt quasi contumelia affecti, & contra homines in potestate constitutos, & contra reges. vt Megacles apud Mitylenem Penthalidas circumeuntes & clauis pulsantes, cum amicis aggressus interfecit. & postea Smerdes verberibus cæsus, & à mari tractus Penthilon interimit. Archelai vero necis princeps fuit Dechamnichus. is enim primus cæteros aggressores commouit & irritauit. causa veto fuit ira, quòd illum Archelaus Euripidi poëtæ verberandum tradidisset. erat vero infensus illi Euripides ob maledictum in ipsius insuauitatem oris iactatum. Et alij complures tali de causa vel interfecti sunt, vel in periculum insidiarum venerunt. Similiter quoque propter metum. hæc enim vna ex causis est, vt in republica, sic etiam vnius in gubernatione, ceu Xerxem †Arthapobanes metuens calumniam de Datio

†ultionem sumētes patri.

†Artabanes.

Datio, quòd eum suspendisset Xerxe non iubente, sed putans illi veniam esse datam propter cœnam, quasi ab ignoscente. Alię vero propter contemptum. vt videns quidam Sardanapalum regem inter eas mulieres pensa diuidentē, si modo hęc fabula vera fuit: & si non in illo, attamen hoc in alio verum esset. Et Dionysium posteriorem Dion inuasit, quòd eum contemnebat conspiciens ipsum Dionysium semper ebrium, & ciues Syracusanos ita se habere. Amicorum etiam quidam insurgunt propter contemptum. ob fidem enim eis adhibitam spernunt, tanquam facilitatem habentes clam moliendi, & putantes se dominationem obtinere posse, quodammodo per contemptum inuadunt. Tanquam enim potentes & contemnentes periculum, propter suam potentiam faciliter insurgunt: vt duces quidam exercituum aduersus principes suos. quemadmodū Cyrus contra Astyagen, cuius & vitam & potentiam contemnebat, cernens & eos eius iam consenuisse, & ipsum in deliciis vitam agere. & Seuthes Thracius, cum esset dux exercitus Amadoci. Quidam vero huiusmodi plurium gratia insurgunt, ceu propter contemptum, & propter lucrum. velut contra Ariobarzanē Mithridates. Maxime vero propter hanc causam insurgunt ij, qui sunt natura † superbi, & honorem habent ex rebus bellicis apud dominantes & principes. fortitudo enim potentiam habens superbia est, per quas ambas quasi faciliter superaturi eos aggrediuntur. Eorū vero, qui ob honoris cupiditatem insurgunt, alius modus est causæ, vltra iam dictos. Non enim vt quidam tyrannos inuadunt spe magnorū commodorum magnorúmq; honorum quos in illis

† audaces.

cernunt, inducti, ille & qui ob honoris cupiditatem eos aggrediuntur: sed illi quidem vt ea sibi arripiant, quæ in tyrannis admirantur: hi autem vt ex re gesta memorabili atq; egregia famam ac celebritatem nominis consequantur, non dominationem acquirere volentes, sed gloriam. Sunt tamen numero perpauci qui ob hanc causam moueantur: constituendum est enim sibi vt uendum non esse, niti rem confecerint: quibus adesse oportet Dionis propositum, sed non tamen quidem est vt fiat in multis. Ille enim cum paucis militibus contra Dionysium profectus, ait quantumcunq; progredi posset, satis id bonum fore, vt si vel parum terræ illius inuasisset, pulchrum iam sibi mori existimaret. Corrumpuntur autem tyrannides, vno quidem modo, vt vnaquæq; aliarum rerumpublicarum ab extra, si aliqua sit contraria respublica robustior. nam voluntas quidem aderit, propter contrarietatem electionis: quæ autem volunt, omnes efficiant, modo possint. Contrariæ vero sunt gubernationes, populus quidem tyrannidum secundum Hesiodum, vt figulo figulus. nam gubernatio populi illa postrema, tyrannis est. regia vero potestas & optimatum gubernatio, propter contrarietatem gubernandi. Quapropter Lacedæmonij multas euerterunt tyrannides, & Syracusani per id tempus, quo respublicæ eorum recte gubernabantur. Alio autem modo corrumpuntur, cùm in sei ipsis seditionem habent: quemadmodum circa Gelonem factum est, & nunc circa Dionysium. Gelonis enim filium. Thrasybulus Hieronis frater per illecebras & voluptates ita ducebat, vt ipse dominaretur. domestici vero ac necessarij per factionem repugnabant, vt non

tyrannis omnino dissolueretur, sed Thrasybulus. verum alij inter hæc conspirantes, eam occasionem nacti, ipsos omnes pepulerunt. Dionysium autem Dion, cõtra eum copiis ductis cùm esset affinis, susceptо populo, illum pepulit, ipse vero interfectus est. Cúmq; duæ sint causæ, propter quas maxime contra tyrannos insurgunt, odium scilicet, & contemptus: odium quidem existiat oportet in tyrannos: ex contemptu autem plurimæ fiunt euersiones. Huius vero signũ fuerit, quòd plerique eorum qui dominationes adepti sunt, eas vsq; ad extremum conseruauerunt: sed qui ab illis susceperunt, confestim, vt ita dixerim, perierunt omnes. in voluptatibus enim viuentes, efficiuntur facile contemnendi, ac multas præbent occasiones opprimendi sui. Particulam vero quandam odij debemus iram existimare. nam quodammodo eorundem rerum causa existit, & est interdum ira efficacior quàm odium: vehementius enim insurgunt, quia perturbatio illa non vtitur ratione. Maxime vero contingit vt ira deferantur, qui contumelia fuerunt affecti: per quam quidem causam & Pisistratidarum deleta est tyrannis, & multæ aliarũ. Sed odium magis ratione vtitur. nam ira cum dolore fit: quare nõ facile ratione vti iis odium vero sine dolore. Vt autẽ summatim dicamus, quotcunq; causas diximus paucorum potentiæ illius postremæ & nimiæ, ac populatis gubernationis extremæ, totidem & tyrannidis causas esse ponendum est. nam & hæ sunt diuisione tyrannides quædam. Regnum autem ab his quæ extra sunt, minimum corrumpitur, quapropter & diuturnius est: ex se autem ipso vt plurimum euertit contingit. Corrumpitur autem duobus

modis.vno, si seditio oriatur inter eos qui participes sunt regni:alio modo,si tyrannice gubernare pergant,volentes esse domini plurium, & contra legem. Non fiunt nunc amplius regna, sed si qua fiunt,monarchię & tyrannides magis sunt,ob id, quia regnum spontanea gubernatio est, ac maiorum propriè.& plurimi pares sunt, neque vsqueadeo præcellentes, vt ad magnitudinem dignitatémque huius gradus se possint attollere.atque ex eo fit,vt sponte illi non pareatur.quòd si deceptione quis aut vi dominetur, iam apparet hanc esse tyrannidem.In regnis autem illis,in quibus succeditur per genus,ponendum est corruptionis esse causam, vltra illas quæ supra sunt dictæ, quòd plerunque contemnendi homines succedunt in regnũ, & quòd cùm non habeant potentiam tyrannicam, sed regiam,superbiunt.Est enim facilis deiectio regis.si enim nolint,statim non erit rex.at tyrannus etiam nolentium est.Corrũpuntur ergo gubernationes vnius per has,& huiusmodi causas.

Per quæ, regna seruantur, & quibus modis reti-neantur tyrannides.

CAP. XI.

SEruantur autem simpliciter loquendo, ex contrariis. singulariter autem loquendo per deductionem illarum ad mediocrem modum. Quanto enim paucorum est potestas omnis, tanto maiori tempore necesse est eam durare. nam & ipsi & qui regunt, minus superbiunt,magisque moderati fiunt, & illi qui reguntur inuident minus. Propter hoc enim & apud Molossos longo tempore durauerunt reges, & apud Lace

Lacedæmonios, quòd ab initio statim in duas partes diuisa fuerit regia potestas. Et postea Theopompus ad mediocritatem magis illam deduces, Ephoros superaddit,potestate quidem minuens,sed tempore augens regiam autoritatem, vt faceret eam quodammodo non minorem sed maiorem.vt ad vxorem respondisse feruntur dicentem, an non erubesceret quòd filiis minorem potestatem regiã derelinqueret, quã à parentibus ipse accepisset:Nõ profecto, inquit, nam relinquo eis multo durabiliorem. Tyrannides vero seruantur duobus modis inter se cõtrariissimis. Quorum alter est is, quem per successionem traditum plurimi tyrannorum obtinent. Horum autem multa constituisse feruntur Periandrum Corinthium.multa etiam ex gubernatione Persarum est assumere. Sũt autem hæc, illa perniciosa, quæ supra retulimus omni conatu à tyrannis fieri, quòd dominationem reti neant,veluti potentiores decerpere,& sapientes timere. Et neque comessationes permittere, neq; sodalitates, neq; disciplinam neque aliud quicquam tale,sed omnia cauere, vnde consueuerit oriri inter ciues intelligentia, & fides. Et neq; scholas, neq; conuentus aliquos scholastitos fieri concedere:& omnia facere, ex quibus ciues inter se quàm maxime incogniti sint: cõgnitio enim fidem generat inter ipsos. Et satellites eius apparêre semper,ac versari foris,quominus latere possit quid quisq; agat,assuescãtq; animum submittere per seruitutem continuam, & alia quæcunq; talia Persica & Barbarica, tyrannidis sunt. cuncta enim idem possunt. Et ne latere conari, quæcunq. quis dixerit aut fecerit,sed esse exploratores.quemadmodum Syra-

cusis hi qui traductores nuncupabantur, & auriculatij, quos submittebat Hieron, vbicunque foret congregatio aliqua vel cōuersatio. minus enim audent qui hæc timent, & si audeant minus latere possunt. Calumniari quoq; inuicem, & committere amicos eum amicis, & plebem cum nobilitate, & diuites inter seipsos, & subditos ad paupertatem redigere, tyrannicæ est prouidentiæ, vt neque sumptus fiat in custodia, & illi quoti lanis molestijs occupati vacare non possint ad consilia contra tyrannos inunda. Exemplum huius sunt pyramides Ægypti, & donaria Cypselidarum & olympi ædificatio à Pisistratidis facta, & Polycratis opera circa Samum. Fiebant enim omnia fuerunt instituta ad otium, ad quietem populorum tollendam, & ad inducendam paupertatem per tributorū pensionem: vt etiam Syracusijs factum est. Dionysio enim eam ciuitatem tenente, contigit Syracusanos in quinque annorum tempore cunctas facultates suas in soluendis tributis consumpsisse. Studet etiam bellum concitare tyrannus, vt negotijs occupentur ciues, & indigentia ducis continuo deteneantur. Et regnum quidem per amicos retinetur: tyranni autem est maxime amicis diffidere, quasi velint omnes, possint autem maxime amici eum subuertere. Et quæ fiunt cuncta vltimam popularem gubernationem, tyrannica sunt omnia: vt potentia mulierum domi, quò reuelent virorum secreta, & manumissio seruorum eadem de causa. non enim insidiantur serui & mulieres tyranno, & si prospere degant, necesse est benevolos fore, & erga tyrannidem, & erga popularem statum. nam & populus dominus esse vult. Ex quo

Ex quo fit, vt adulatores apud vtrosque in honore habeantur. est enim qui populū colit & diligit, populi adulator. Tyrannorū vero qui assentando conuersantur: quod est opus adulatoris. nam propter hoc prauos amicos habent tyranni, quod adulationibus gaudēt, id autem nemo faceret qui mentem haberet libero homine dignam: sed amant boni viri, vel nō adulantur, & viles praui ad praua. clauus enim clauo, vt dicitur prouerbium. Nullo quidem honesto, nullo quoque libero delectari, tyrannicum est. se enim solum esse talem, putat tyrannus. Qui autē subditorum vel honestati studēt, vel libertati, minuere excellentiam & præeminentiam tyranni videntur. Oderunt ergo illos tyranni, tanquam euersores potestatis suæ. Peregrinos etiam in conuiuia & familiarem vsum magis recipere quam ciues, tyrannorum est: quasi illos quidem habeant hostes, hos vero non aduersantes. Hæc & huiusmodi à tyrannis fiunt pro dominatione retinenda, nec quicquam omittunt prauitatis. sunt autem (vt ita dixerim) hæc omnia tribus speciebus comprehensa. Tria enim coniectat tyrannus. Vnum, vt animos imminuat ciuiū. nemo enim parui animi contra tyrānum insurgit. secundum, vt ciues inter se diffidentes reddat. non euertitur enim tyrannus, nisi ciuium aliqui inter se fidem habeant, quapropter & bonos viros persequitur, quasi pestiferos & aduersarios dominationi suæ, non solum quia non acquiescit in seruitute viuere, verumetiam quia fides eis & inter se, & ab aliis plurima adhibetur. neq; accusant alios, neque ipsi inter se accusantur. Tertium, impotentia agendi. nemo enim sibi impossibilia aggreditur: itaque neque tyrannidē tollere,

tollere, si potentia desit. Ad quos ergo fines referantur tyrannorum consilia, tres illi sunt. Ad has enim suppositiones tyrannica redigi possunt vniuersa, partim ne cõfidant inter se ciues, partim vt potentia eis desit, partim vt pusillanimi efficiantur. Vnus ergo modus, quo vtuntur tyranni, talis est. Alter vero modus, contrariam istis quæ dicta sunt, diligentiam facit. Est autem deprehendere ipsum ex regnorum corruptione. vt enim regi modus corruptiõis vnus est, gubernationem ipsam regiam magis reducere ad tyrannicam: ita tyrannidis conseruatio est, ad regiam gubernationẽ magis eam referre, vnum solummodo custodientem, vt potentiam retineat, per quam nõ modo volentibus, verumetiam nolentibus dominari possit. nam si hanc abiciat, simul abiicit & tyrannum esse. Sed hoc tanquam suppositionem quandã manere oportet: cætera vero partim facere, partim quàm optime simulare, vt regia gubernatio videatur. Primum enim videri communium commodorum curam habere, nõ effundentem largitiones tantas, vt ciues moleste ferant: quandoquidem ab illis capit operantibus ac laborãtibus in sua tenuitate, donat vero scortis, & peregrinis, & histrionibus effuse: rationem reddentem eorũ quæ acceperit & expenderit, quod iam factum est à quibusdam tyrannis. sic enim administrans, non tyrannus videbitur, sed legitimus gubernator. nec erit ei formidandum, ne quandoq; sibi desint pecuniæ, cùm sit dominus ciuitatis, sed dispergentibus tyrannis ex propria domo. Et prodest hoc magis, quàm relinquere congregatas. minus enim custodes ipsi contra tyrannum ob res ipsas insurgent. Sunt autem formidabiliores absen-

absentibus tyrannis, qui custodiunt, quàm ciues. nam illi quidem vnà absunt, hi autẽ remanent. Deinde reditus & impẽsas apparare oportet, tum gratia diligentis administrationis, tum etiam, vt si quando forte opus illis vri possit ad belli necessitates, omninóque seipsum præbere custodem & quæstorem, non vt suarum pecuniarum, sed vt communium & publicarũ. Et videri velle non asperum, sed cum grauitate honestum, & talem, vt eum non timeant obuij, sed magis reuereantur, hoc autem non facile eum assequi, qui foret contemnendus. Quapropter opus est, vt si non aliarum virtutum, at saltem similis eũ curam habere, ac talem de seipso opinionem afferre. Insuper nõ solum ipsum videri nulli protinus ciuium contumeliam facere, sed etiam nemini illorum qui circa eum sunt. Eodémque modo se habere mulieres suas erga exteras mulieres. nam & per contumelias mulierum permultæ iam tyrannides perierũt. Et circa voluptates corporis contrarium facere, quàm nunc faciant quidam tyranni. non solum enim statim ab aurora id agunt, conuiuantúrque per dies plures, verumetiam apparere volunt alijs quòd ita faciant, vt tanquam felices beatósque admirentur. Sed in talibus maxima erit moderatio adhibenda, vel saltem videantur illa fugere. non enim facilitèr inuadi potest, nec facilitèr cõtemni qui sobrius sit, sed qui ebrius: neq; qui vigilet, sed qui dormiat, cõtrà iúmq; agendum est supra dictorum ferè omnium. corroborãda enim & ornanda ciuitas est ab eo, tanquã à curatore, ac non tyranno. Videri etiam oportet ipsum erga religionem Deorum affici vehementer. minus enim formidabunt populi, ne quid

* δοκεῖ δεῖν μᾶσσον.

quid contra iustitiam fiat, si religioni deditum illum existimabunt, ac Deorum timorem habere: minúsque contra illum audebunt insurgere, quasi Deos habeat propitios & fauentes. Verumtamen oportet sine improbitate talé videri, atque eos viros qui aliqua in re laudabiliter se gesserint, honorare, ita vt non existiment vnquam se magis honorari à ciuibus suis, in libertate degétibus potuisse. Hos autem honores ipsemet tribuere debet tyrannus: pœnas vero & animaduersiones per alios infligere, per magistratus videlicet, & iudicia. Communis vero custodia omnis dominationis vnius, est neminem vnum præ cæteris magnum facere, sed plures: nam se inuicé custodient. Quòd si quem extollere oporteat, non tamen eum qui sit moribus audax. nam huiusmodi homines aptissimi sunt ad inuadendum circa res omnes. Si vero cuiusquam potentia minuenda est, modice ac non vno simul impetu omnis potestas est auferéda. Insuper ab omni contumelia abstinendū, præcipue tamen à duabus: ne in corpus flagris, néve in ætatem libidine insultum agat. Maximéque id cauendum in illis hominibus, qui honorem magnificiunt. nam in pecunias illatam iniuriā, auari homines grauiter ferunt: in honorem vero illatam, & qui boni sunt viri, & qui honorem magnificiunt, permolestè patiūtur. quapropter aut non huiusmodi hominum opera vtendum est, aut animaduersiones in illos patrio more, ac sine vlla contumelia sunt faciendæ. In ætatē vero ex amore sit conuersatio, non ex licentia, deniq. hoc dedecoris omnino, impensione maiorum honorū est redimendum. Eorum autem qui ad vim inferendam contra corpus tyranni in-

surgunt, illi sunt formidandi & cauendi, qui ita dispositi sunt, vt amplius viuere non curent, cùm occiderint. Quapropter maximè cauendū est ab his, qui vel seipsos, vel eos quos habebant charissimos, contumelia affectos putāt, siue vlla enim cura propriæ salutis irruunt, qui per indignationem & iram aggrediuntur, quemadmodum & Heraclitus inquit, durum esse dicēs pugnare aduersus iram. vita enim id emi. Cùm vero ciuitates ex duabus constent partibus, ex inopibus scilicet, & opulentis, maximè quidem de vtrisque partis salute cogitandum est ab eo qui gubernat, & alteros ab alteris nulla iniuria affici. Quicunque tamen eorum sint potentiores, hi præcipue sunt à gubernatione vendicandi: ac velut propriè efficiendi. nam si hoc extiterit, neq. seruorum liberationem facere compellent tyrannus, neq. arma adimere. altera nanque pars tyranni potentiæ adiuncta, sufficiens erit ad sisperandum eos qui contra insurgere velint. Superfluum autem particulariter dicere de omnibus istis. intentio enim manifesta est, quòd oporteat non tyrannicum, sed tanquam patremfamilias & regem esse putari ab illis, qui sub eo sunt, nec pro se capientem, sed pro cōmunis vtilitatis cautela & cura, & mediocritatem in vita agat, non excessus. Præterea egregios viros per familiaritatem sibi coniungere, plebem vero ac multitudinem per fauorem & gratiam in obsequio retinere. Ex his enim necesse est non solam dominationem eius esse pulchriorem, & durabiliorem, ex eo quia melioribus imperet, & non abiectis, neque affectiv, neque ex eo quòd ipse neque odio sit neque formidetur: verumtamen ex eo quòd longiorem & durabiliorem

eius

eius dominationem fore contingat. Insuper moribus talem esse, vt vel recte se habeat ad vitutem, vel semibonus quidam sit, & non malus, sed semimalus.

Quæ gubernationes minimum durant. Quæ fuerit Socratis opinio apud Platonem. & eius reprobatio.

CAP. XII.

ATqui omnium gubernationum breuissime durare solent paucorum potentia, & tyrannis. Quippe illa quæ plurimo durauit tempore Orthagoræ & filiorum, qui apud Sicyonios tyrannidem habuere, ad centesimum vsque annum peruenit. Durationis vero causa fuit, quòd mediocritate quadã erga subditos vtebantur, multáq; legibus seruiétes agebant. Et quia apud rei militari fuit Clisthenes, non facile contemnendus habebatur. Plurimum vero conuersatione, & vsu familiari fauorẽ & gratiam hominũ acquirebant. Ferunt enim Clisthenes coronasse iudicé qui victoriæ illius cõtradixerat. Aiunt quidam huius iudicis statuã esse illam, qui in foro sedet. Pisistratus quoq; fertur, aliquando apud consillũ Areopagi citatus iudicũ subiisse. Secunda vero apud Corinthum Cypselidarũ tyrannis, nã ea duranit annis tribus & septuaginta & mẽsibus sex. Cypselus enim ipse tyrannidé exercuit annis triginta. Periãdrus vero quadraginta quatuor. Psammeticus autẽ Gordij annis tribus. Causa vero durationis eadé fuit. Cùm enim populatis esset Cypselus, ac gratia apud multitudinem præualeret, sine vlla corporis custodia in dominatione perseuerauit. Periandrus autẽ eius filius, magis tyrannice se gessit, sed vir erat bello egregius. Tertia Pisistratidarum Athenis hæc

hæc autem non fuit continua. bis enim tyrãnide pulsus fuit Pisistratus, itaque ex annis triginta tribus, solum annis septem & decem tyrannidé exercuit: filij vero eius annis decẽ & octo: atq; ita omnes simul anni fuerunt quinq; & triginta. Ex reliquis vero illa quæ apud Syracusas fuit, Hieronis, & Gelonis, sed nõ longa fuit, hæc annis enim non amplius quàm duo de viginti duravit. Gelon enim septem annis cùm tyrannidẽ exercuisset, octauo defunctus est: Hieron autem decem: Thrasybulus vero mense decimo excidit. cæterarum vero tyrannidum pleræque breui tempore durauerunt omnes. Quæ igitur sint tam circa gubernationes plurium quàm circa gubernationem vnius solius, per quæ & corrũpantur & seruentur, ferè dictum est de omnibus. In republica vero Platonis Socrates de mutationibus loquitur, nec tamen recte. Illius enim reipublicæ, quæ est optima atque prima, mutatio nulla propria assignatur. inquit enim, causam esse mutationis, quia sic natura comparatum sit, vt nihil permaneat, sed in ambitu quodam temporis mutationem recipiat, esse vero principium horum, inquit, quorũ sesquitertius cubus quinario coniugatus duas exhibet harmonias, inquiens, quando numerus diagrammatis huius efficiatur solidus, vtpote natura producente prauos, & meliores disciplina. Hoc ergo forsan inquit non male. fieri enim potest vt sint aliqui, quos disciplina instituí, ac bonos fieri viros impossibile est. Sed hæc † non propria † *al. quo modo.* mutatio foret illius reipublicæ, quam optimam esse vult, magis quàm aliarum omnium, & vniuersorum quæ sunt, & ex tempore, per quod inquit omnia mutari, & quę non simul incipiũt,

simul quoque mutantur: ceu si pridie mutationis facta essent, simul forte mutantur. Præterea quam ob causam ex illa transit ad Lacedæmoniorum rempublicam? sæpius enim in contraria transeūt respublicæ omnes, quàm in ea quæ sunt propinqua. Eadem ratio est de aliis quoq; mutationibus. Ex Laconica enim, inquit, mutatio fit ad paucorum potentiam: ex ista vero ad popularem statum: ex illo rursus ad tyrannidem. Atqui & è contrario mutantur ceu ex populari in paucorum potentiam, & magis quidē quàm in tyrannidem. Præterea tyrannidis vtrum mutatio sit vel non sit, nihil dicit propter quā causam, nec in quam reipublicæ speciem transit. Huius vero causa est, quòd non facilitèr dicere valebat inde finitum enim. nam secundum eum oportebat in primam & optimā. sic enim vtique fieret continuo circulus, sed mutatur in tyrannidem tyrannis, vt ex quæ apud Sicyonios ex Myronis tyrannide in Clisthenis, & in paucos potentiā, vt illa quæ in Chalcide fuit Antileontis, & in popularem statum, vt illa quæ Gelonis fuit Syracusis, & in optimates, vt illa quæ Charilai apud Lacedæmonios & Carthaginienses. Et in tyrannidem fit mutatio ex paucorum potentia, vt in Sicilia plurimæ vetustatis: in Leontinis in Panætij tyrannidem: & apud Gelam in Cleādri: & apud Anaxilaū regium in Anaxilai: & in aliis compluribus ciuitatibus eodem modo. Absurdum etiam putare, in paucorum potēstiam ideo transire, quia homines cupidi & pecuniarum studiosi in magistratibus versantur, ac non quia existimant par habere in ciuitate eos qui non habent facultates, & eos qui habent. In nullis pauco

* μονυρχίαν.

paucorum potentiis non licet pecunias quærere, sed leges sunt prohibentes, apud Carthaginē autem quæ populariter gubernatur, pecuniis student, nec tamen adhuc mutati sunt. Absurdum etiam dicere, esse duas ciuitates sub paucorum gubernatione opulentorum & inopum. Quid enim aliud huic formæ quàm Laconicæ accidit, vel alteri cuicunq;, vbi nō omnes æqualia possideant, aut non omnes æqualiter sint boni viri? nullo autem pauperiore facto, nihilominus ex paucorum tranſmutantur gubernatione ad popularem statum, si plures sint inopes: & ex populari in paucorum potentiam, si potentiores sint opulenti quàm multitudo: & alteri negligant, alteri intendant. Cúmque plures sint causæ, ex quibus mutationes fiunt, eas non dicit, sed vnam solum, quòd prodigaliter viuentes vsuris consecti pauperes efficiuntur, quasi vero fuerint omnes ab initio diuites, vel plurimi eorum, sed hoc falsum. At quando ipsorum potentium quidam patrimonia consumserint, res nouas moliuntur: quando autē alij, sed graue accidit, & mutantur nihilo magis in popularem statum, quàm in aliam speciem gubernationis. Insuper vero & si honores vnā eum aliis non capiant, si injurias inferant, si contumelijs afficiant, seditiones oriuntur, & mutationes in republica. Fiunt etiam etsi nulla dissipatio patrimonij intercesserit, ex eo quòd liceat quicquid volunt efficere, cuius rei causam esse aiunt, nimiam libertatem. Cúmque plures sint paucorum, plures etiam populi gubernationes, tanquam vtraque vna sit, mutationes assignat Socrates.

ARISTOTELIS POLITICORVM LIBER SEXTVS.

SVMMA LIBRI.

De popularium, ac paucorum gubernationum institutionibus, speciebus, legibus, ac partibus: Nec non de magistratuum speciebus, ac eorum officiis.

Quòd, quæ respublicis paucorum potentiis, & popularibus gubernationibus conueniant, considerandum sit.

CAP. I.

QVot igitur sint differentiæ, & quales eius quod deliberandi habet potestatē, & in quo summa reipublicæ consistit, & circa magistratuum ordinationem, & de iudicijs, & qualia ad qualem ordinentur rempublicam, & præterea de corruptionibus, & conseruationibus rerumpublicarum, ex quibus proueniant, & quas ob causas, dictum est prius. Sed cùm plures sint species popularis, & similiter aliarum gubernationum, de illis siquid restat, non prius fuerit considerate, ac simul vnicuique earum propriam & conuenientem modum reddere: ac præterea considerare coniunctiones simul ipsorum modorum. nam eorum coniunctio patit rerumpublica

blicarum varietatem: vt & optimarum gubernationes ad paucorum declinent potentiam, & respublicæ magis populares existant. Dico autem coniunctiones, quas considerare oportet, & nunc vsque consideratæ non sunt: ceu si pars illa quæ in deliberando versatur, & illa quæ circa electiones magistratuum constitit, ita instituta sit, vt conferat paucorum potentiæ, aut quæ circa deliberandum ad paucorum potentiam, quæ autem circa electiones ad optimatum gubernationem magis declinet: vel per alium quendam modum non omnia instituta sint reipublicæ congruentia. Qualis igitur popularis quali congruat ciuitati, & qualis paucorum potentia quali multitudini, & aliarum gubernationum quæ quibus conferat, dictum est prius. Verumtamen oportet fieri manifestum, non solū quærtam istarum gubernationum optima sit ciuitatibus, sed etiam quomodo constituendæ sint & istæ & aliæ, breuiter est explicandum. Et primo de populari dicemus. nam per hanc etiam de contraria illius gubernatione patebit. hæc est autem, quam vocant quidam paucorum potentiam. Capienda sunt autem ad hanc disciplinam cuncta popularia, & quæ videntur popularium esse sequacia. ex his enim simul positis, resultant species gubernationis popularis, & plures esse eas quàm vnam & differentes continget. Duæ sunt causæ, per quas plures existunt populares. Primam illa quæ dicta est prius, quia inter populos differētia est. sunt enim alij agricolæ, alij opifices, alij ministri: quorum primi à secundis, & tertij ab vtrisque, non in eo modo differunt, quòd melior aut deterior popularis status, verumetiam in eo quòd non idē sit. Secunda vero

causa est, de qua nũc dicimus. quæ enim popularem statum sequuntur, ac videntur esse propria ipsius, cõiuncta simul faciunt varietatem. nam alicui pauciora consequentia sunt, alicui plura, alicui omnia. Vtile vero horum singula cognoscere, & ad constituendũ quam velit quis & ad corrigendum. quærũt enim qui rempublicam instituunt cuncta, quæ illi propria et cõuenientia sint, in vnum colligere ad propositum suum. sed aberrant dum hoc faciunt, vt suprà dictum est à nobis, vbi de corruptionibus rerum publicarum tractauimus. Nunc autem dignitates & mores, & quæ flagitent dicemus.

Quis sit finis popularis gubernationis: & de quibusdam popularium gubernationum peculiaribus.

CAP. II.

PRopositum igitur popularis reipublicæ est libertas. hoc enim dicere consueuerunt, quasi in hac solummodo republica libertatem quærentes: ad hanc enim respicere dicunt omnem popularem statum. Libertatis vero ipsius pars vna in eo consistit, vt per vices imperent & pareant. nam iustum populare est æquũ habere secundum numerum, non secundum dignitatem. Ex quo fit vt secundum hoc iustum multitudo ex necessitate dominetur: & quic quid decreuerit populus, id esse ratum, & id esse iustum. Aiunt enim oportere, vt vnusquisque ciuium æquum habeat. atque ita contingit in popularibus gubernationibus inopes plus posse, quàm opulentos. plures enim sunt, & id obtinet quod pluribus videatur. Vnum igitur libertatis signum; hoc est, quod ponunt omnes popularis reipublicæ finem. Alterum vero

vero viuere, vt quisque velit. hoc enim aiunt opus esse libertatis: siquidem serui est viuere non vt vult. hic est igitur secundus popularis reipublicæ finis. Hinc profectum est, nemini potissimum subesse velle quòd si hoc non datur, ac saltem per vices subesse ac præsse id pertinet ad libertatem quæ est secundum æquum. His præsuppositis, ac tali existente principio, popularia huiusmodi sunt. Sumi ad magistratus omnes ex omnibus, ac præsse omnes vniuersi, & vnumquenque vicissim omnibus. Per sortem tribuere magistratus, vel omnes penitus, vel illos saltem, qui non peritia indigent & arte. A nullo censu esse magistratus, vel saltem à minimo. Non nisi semel eundem magistratum aliquo geri posse, vel perraro, & paucos, exceptis his quæ versantur in bello. Parui temporis esse magistratus, vel omnes vel quot recipiunt: iudicare omnes, & ex omnibus, & de omnibus, vel de plurimis & maximis & principalissimis: puta de corrigẽdo, & de republica, & de priuatis contractibus. Et concionem esse omnid dominam, magistratum vero nullius. aut dominam esse concionem rerum maximarũ, magistratum vero minimarum. Inter magistratus autem popularissimum est consilium, vbi non omnibus est mercedis facultas. nam tunc quidem adimunt & huius magistratus potentiam, ad se enim reducit iudicia cuncta populus mercede abundãs, vt diximus suprà, vbi de hac parte tractauimus. Deinde mercedem capere potissimum quidem omnes, concionem, iudicia, magistratus: vel saltem magistratus, & iudicia, & consilium, & conciones principales: vel eos magistratus, quos necesse est in eadẽ simul esse

comessationes principales: vel cos magistratus, quos necesse est in eadem simul esse commessatione. Præterea cum paucorum gubernatio genere, & diuitiis, & eruditione definiatur, videntur quæ popularitatis sunt, contraria esse, ignobilitas, inopia, sordidum opificium. Præterea potestatem nullam perpetuam esse, quòd si reliqua sit aliqua ex antiqua mutatione, illius auferre potentiam, & ex electione ad sortem redu cere. Hæc igitur omnia communia sunt gubernationum popularium. Contingit autem ex eo iusto, quod tatentur esse populare: hoc est æquũ habere omnes secundum numerum, quod maxime videtur esse populatis status & populi æquum est enim, cùm nihilo magis gubernant diuites quàm pauperes, nec soli potestatem habent, sed omnes ex æquo secundum numerum. sic enim demum existimant paritatem in republica esse, ac libertatem.

Quo pacto in populari gubernatione census partiendi sint.

CAP. III.

SEd quæritur post hæc, quemadmodum habebit æquum, vtrum oportet partiri in mille eos census qui sunt quingentorum, & mille æqualiter posse quingentis: vel non sic ponere oportet istam paritatem, sed partiri quidem sic, demde ex quingentis pares accipientem, & ex mille, hos potestatem habere partitionum & iudiciorum. Vtrum igitur respublica ista iustissima est secundum populare iustum, vel magis illa quæ secundum multitudinem? Aiunt enim populares, id esse iustum, quod videtur vtique pluribus: potentes vero, quòd videtur his qui plus

plus possident. pro multitudine enim facultatũ aiunt esse statuendum. Sed habent hæc vtraque imparitatem & iniustitiam. Si enim quod pauci possunt, tyrannis est: nam si vnus habeat plura quàm alij opulenti, secundum paucorum iustũ, is solus dignus est qui gubernet. si vero quod plures: secundum numerum, iniuriabuntur publicantes bona opulentorum ac paucorum, vt superius dictum est. Quæ igitur sit æqualitas, quam ambo profitentur, considerandum est ex his quæ vtrique definiunt iusta. Inquiunt enim quicquid videatur maiori parti ciuium, id oportere esse ratum. Sit quidem hoc, attamen non penitus. sed cùm duæ partes sint ex quibus ciuitas constat, diuites scilicet & pauperes: quod ambabus videatur aut pluribus, id ratum sit. quòd si contraria videantur, quòd pluribus & habẽtibus maiorem censum. puta si alij decem, alij viginti, videatur autem diuitum sex, pauperum vero quindecim, accedant vero pauperibus quatuor diuitum, diuitibus autem quinq; pauperum, quorumcunq; census exuperat, conumeratis ambabus vtrisq; id ratum sit. Quòd si forsan æquales esse contigerit, communem esse hanc ambiguitatem putandum est: vt nunc accidat, si vtrinq. paria suffragia concionis sint, aut pares in iudicio sententiç. nam aut sorte diffinendum est, aut aliud quiddam huiusmodi agendum. Sed de æquo & iusto, quanquam sit admodum difficile in illis reperiri veritatem, tamen facilius est sortiri, quàm persuadere iis qui plus hebere possunt. Semper enim qui imbecilliores sunt, æquum & iustum quærunt: sed qui plus possunt, ista non curant.

De quatuor specieibus popularium, ad quas pertinent, de earum legibus, atq; vsufructu.

CAP. IIII.

CVm vero quatuor sint gubernationes populares, optima est illa, quam primo gradu posuimus, vt superioribus libris dictum est, eadem quoq; antiquissima omnium. Dico autem primam secundum distinctionem populorum, nam optimus populus est ille, qui ex agricolis constat. itaq; & popularis status effici datur, vbi multitudo ab agricultura viuit, vel pascuo: negociosa quidem, quia nondum multum habet. Ex quo fit, vt raro concionem agant. cum enim laborãdum sit illis circa necessaria ad victum, operibus destinantur suis, & aliena non appetunt: dulciúsque illis est opus facere quam in republica versari, nisi magna in gubernãdo fiat emolumenta suscepturi. plerique enim magis lucrum appetunt, quàm honorem. Signum huius est, quod tyrannides antiquitus pertulerunt, & nunc paucorum potentiam perferunt, modo suam rem agere illis permittatur, neque diripiantur quæ habent. cito nanque aliquorum ditiores efficiuntur, alij egere desistunt. Præterea, si quæ cupido honorum eis inest, facile adimpletur per potestatem, quam in concionibus habere creandi magistratus, & corrigẽdi delicta. Nam in quibusdam ciuitatibus, etsi non eligit populus magistratus, sed quidam per partes deputati ex omnibus, vt apud Mantineam, tamen satis esse putant, quod consulendi, deliberandiq; habent potestatem. Ac putandum est hanc esse tanquam formam aliquam popularis gubernationis, vt fuit quandoque apud Mantineam.

Quap

Quapropter vtile est prius dictæ populari gubernationi, & ita consuetudo fuit, eligere quidẽ magistratus, & corrigere, & iudicare omnes. Magistratus autem maximos geti per eos qui electi sint, & à censibus maioribus maiores. vel à censibus nullum, sed per eos qui possunt. Necesse est autem, cùm ita gubernantur respublicæ, eas bene gubernari. nam magistratus semper ab optimis gerentur, populo ita volente neque præstantioribus inuidẽte. nobilibus autem ipsis & præstantibus hic gradus sufficiet. non enim subeunt aliis deterioribus. ipsi vero magistratus gerent iuste, quia pœnam formidabunt, quoniam corrigere ad alios pertinet. compesci enim ac non licere facere quicquid quis velit, vtile est. nam licentia agendi quod quisq; velit, custodire, nõ potest ingenitam vnicuiq; hominum prauitatem. itaq; necesse est illud euenire, quod optimũ est in rebusp̃blicis, vt magistratus à præstantioribus gerantur, sine vlla populi diminutione. Quòd igitur hæc popularium gubernationum est optima, patet. & qua de causa, quia ob talem aliquem esse populum. Ad constituendum autem populum agricolam, tum leges quædam antiquitus apud multos latæ, vtilissimæ sunt, tum illud vniuersaliter, ne liceat cuiquam habere plus agri quàm mẽsuram certam, vel aliquo loco ad oppidum & ciuitatem. Erat antiquitus in multis ciuitatibus lege cautum, non licere venditionem facere bonorũ primæ hæreditatis. Est etiam lex, quam dicunt Oxili fuisse, ne liceat cuiquam terminari super aliqua fundi parte, quam quis haberet. Dirigere etiam id oportet Aphycalorum lege. est enim vtilis ad id quod dicimus. Illi enim

quanq

quanquam sint permulti, possideant autem exiguam regionem, tamen omnes agricolæ sunt, quoniam pretia constituunt non totarum possessionum, sed per tales partes diuidentes, vt etiam pauperes faciliter eas pretiis superare possint. Post agricolarum multitudinem optima est populus, vbi pastores sunt, & viuunt ex animalibus. In multis vero hæc cum agricultura conuenientiam habet. vtrique enim corporibus exercitati ad bellicas expeditiones vtilissimi sunt, ac potentes sub dio consistere. Cæterum vero multitudines, quasi omnes ex quibus alij status populares constant, multo quàm hi deteriores sunt. nam opificum quidem, ac forensis, & mercenariorũ * vilis est vita, nullúmq; virtutis opus eorum quæ tractat multitudo. & insuper quia huiusmodi genus hominum circa forũ vrbémq;, vt ita dixerim, assidue hæret, faciliter conciones agitat. at agricolæ, quia sparsim habitant per agros, neq; in vnum coeunt faciliter, neq; similiter indigent huiusmodi congregatione. Quibus vero contingit situm regionis talem esse, vt longe distent ab vrbe, in iis facile est popularem statum laudabilem constituere ac rem publicam. vi enim ipsa compellitur multitudo, quasi colonias per agros efficere. Quare & si sorensis turba sit, tamen conciones in populari statu non facit absq; multitudine illa, quæ per agros habitat. Quomodo ergo constituenda sit optima illa ac prima popularis gubernatio dictum est. patet etiam quomodo aliæ. subsequenter enim est descendendum, & deterior semper multitudo separanda. Postremam vero speciẽ, quia omnis multitudo ad illam recipitur, neque cuiuscunque ciuitatis est eam perferre, neque facile permanere eam, nisi legibus & moribus bene stabilitam. A quibus vero labefactari contingat, & hanc & alias respublicas, ferè dictum est prius in plurimis. Sed ad constituendam hanc popularem gubernationem, & ad populum robotandum, consueuerunt præsidẽtes, ad populum recipere complures, ac ciues efficere non solum legitimos, verumetiam spurios ex quouis ciue, id est, siue ex parre, siue ex matre. omne enim hoc huic populo magis conueniens est. Consueuerunt igitur ij qui populos ducunt, ita constituere. Oportet tamen id facere, quoad exuperet nobilium mediorũmq; multitudo, neq; vltra progredi. nam si transcendũt, turbatiorem efficiunt rempublicam, ac nobilitatem exasperando magis irritant: quæ causa seditionis fuit apud Cyrenem. paruũ enim inconueniens conniuendo transigitur: magnum vero in oculis hæret. Insuper talia cõstituta vtilia sunt ad popularem statum huiusmodi, & ad populi corroborationẽ, qualia Clisthenes Athenis facitauit, quo populi gubernationem auxeret: & apud Cyrenem, qui populum constituerunt. Tribus enim aliæ constituendæ sunt plures, & sodalitates priuatorum sacrorum rediendæ sunt ad pauca & publica. Et cuncta diligenter excogitanda, quo quàm maxime omnes simul admisceantur familiaritates, conuersationésq; primæ dissungantur. Præterea tyrannica machinamenta omnia videntur esse populatia: ceu licentia seruorum, † & mulierum, & puerorũ, vt sine metu viuant vt velint. permulti enim huiusmodi statum ciuitatis amabunt, cùm pletisq; dulcius sit dissolute viuere quàm modeste.

* φαῦλος

† Cod. Græc. ad. (hæc autem vsq; ad aliquid conducere potest.)

CAP. V.

†C. Grænō constituere maximum opus, neque facile.

Est † autem opus legis positoris, & eorū qui volunt statum aliquem talem consistere, nam vt constituitur talis status, non magnum negocium est, neq; solum sed magis vt seruetur. vno enim vel duobus vel tribus diebus permanere, quomodocūq; gubernantibus, haud difficile est. Quapropter opus est ex his, quas superiùs retulimus, conseruationibus & corruptelis rerumpublicarum, cautelam assumere, cauendo illa quæ corruptiua sunt, ac leges tales ponendo, & sine scripto & scriptas, quæ conseruationes status maxime comprehendant. neque putare id esse populare, neq; paucorum potentiæ, quòd efficiat ciuitatem maxime à multis vel à paucis gubernari, sed quòd quàm plurimo tempore. At nunc ij, qui sunt potentes in populis, gratificantes multitudini, multa popularitèr agunt per publicationes bonorū in iudicijs factas. Quare oportet eos qui curam salutis habent reipublicæ, contra moliri, leges ponendo, vt damnatorum bona sacra sint, & non in publicum sed in sacrum referantur. hæc enim lex nihilominus iniurias compesceret. nam pœna eadem erit. populus autē minus cupide damnabit, cùm nihil sit vtilitatis ex damnatione susceptorum. Insuper publicas accusationes quàm rarissimas facere, magna pœna constituta aduersus eos, qui falsò accusarint. non enim populares in iudicium vocari consueuerunt, sed nobiles. Oportet autem erga statum reipublicæ, quantū fieri potest, omnes reddere beneuolos. quòd si id fieri nequeat, saltem conati, ne hostes existiment

stiment eos qui gubernant. Cùm vero postremæ illæ species gubernationum popularium in multitudine consistant, ac difficile sit vt conciones vacare possint sine alicuius mercedis susceptione, hoc autem nisi reditus habeat ciuitas, maxime immicum est præstantibus viris. Nam ex tributo & publicatione bonorum, & ex iudiciorum improbitate necesse est prouenire, quod multas iam popularium respublicas subuertit. Vbi ergo publici reditus non sunt, facere oportet conciones raras, & iudicia magna quidem, sed paucis diebus duratura. hoc autem confert ad illud, quòd non formidabūt impensas opulenti, si diuites non capiant mercedem iudicij, sed pauperes. Confert etiam ad rem iudicandum multo magis. nam qui magna patrimonia habent, multis diebus abesse nolunt à rebus suis, modicum vero abesse tempus non molestè ferunt. Vbi vero sunt reditus publici, non id facere, quod nunc magni quidam in populo faciunt. superflua enim diuitum, ac simul exigunt, mòxq; rursus indigēt eisdem, est enim pauperibus, ceu vas perforatū huiusmodi emolumentum. Sed oportet eum qui vere popularis est, videre ne multitudo pauperie nimia prematur: nam egestas prauam reddit populi gubernationem. Conandum est igitur ingeniosè, vt abundantia adsit diuturna. nam id prodest etiā diuitibus. Congregantes vero illa, quæ ex rebellibus prouenium, simul omnia egenis tribuere oportet: præsertim si quis possit, tantum congreget, quantum sat est ad agelli comparationem, vel saltem ad facultatem negotiandi & agrum colēdi. & si non omnibus possibile, ac secundum tribus, aut partem aliam id facere.

Ia

In hoc autem ad necessarios conuentus mercedem diuites conferre, cupidos inanium munerum. Per talem aliquem modum Carthaginienses gubernantes, amicum retinent populum: semper enim quosdam à populo mittentes in aliquas gubernationes, eos diuites faciunt. gratioſorum vero, ac mentem habentium nobilium est suscipere egenos, & occasionem præbentes conuertere ad res agendas. Recte quoque se habet Tarentinorum exemplum imitari. illi enim * iumenta faciétes communia ad pauperum vsum, benevolam per hunc modum sibi plebem constituunt. Magistratus insuper omnes duplices faciunt, vt sint alij per electionem, alij per sortē. quo enim populus capiat, per sortem: quo autem melius gubernetur, per electionem. Est autem hoc facere etiá in vno eodémq; magistratu, vt alij sorte, alij electione ad eum gerendum assumantur. Quemadmodum ergo oporteat popularium gubernationes instituere, dictum est.

* κτήμασι apei.

De speciebus paucorum potentiæ, ordinatione eorum ex populo assumendi, quæ paucorum gubernationes potiores, & quæ deterrima.

CAP. VI.

DE paucorum quoq; gubernationibus quomodo agendum sit, patet ferè ex eisdem. Nam per contrarium agendum est in omni paucorum gubernatione, ad oppositam sibi popularis gubernationis speciem, reputando maxime moderatam illam ac summam cæterarū gubernationē paucorum, & primam. Hæc autē est propinqua illi, quæ respublica nuncupatur, in qua oportet cēsus dividere, & alios minores, alios

alios maiores facere, minores quidem, à quibus necessarij magistratus capiantur: maiores vero, à quibus capiantur ij magistratus, qui sunt principaliores. Et qui tātum adepti fuerint censum, habiles sint ad rempublicam gerendam, afferentes populo tantam multitudinem per ipsum censum, vt cum illa potentiores sint qui gubernant rempublicā, quàm illi qui non gubernant. Semper autem ex meliori populo capiendi sunt illi, qui ad societatem reipublicæ recipiuntur. Similiter autem in ea gubernatione paucorum quæ sequitur, intendentes parumper, est instituendū, in ea vero quæ opposita est extremæ popularitati, quæ est paucorum potentia, tyrannidi persimilis, quanto deterrima est, tanto maiori opus est custodia. Vt enim corpora bene dispositā ad sanitatem, & nauigia bene instructa ad nauigandum, multos ferunt errores, nec ob eos succumbunt: valetudinaria autem corpora, & nauigia parum firma, nautisque instructa prauis, ne parvos quidem ferunt errores: ita rerumpublicarum eæ quæ deterrimæ sunt, plurima indigent custodia. Populares igitur gubernationes per multitudinem hominum omnino seruantur, hoc enim opponitur ad illud iustum, quod est secundum dignitatem. Paucorum vero potentium contra, videlicet per rectam ordinationem oportet assequi firmitatem.

Quot partes multitudinis præcipuæ sint, & quæ ac tot idem sint partes vtiles ad bellum: & præcepta ad paucorum potentias.

CAP. VII.

CVm vero sint multitudinis potissimum partes quatuor, agricolæ, artifices, negociato-

res, mercenarij: quatuor etiam vtiles ad bellum, equites, pedites grauis armaturæ, expediti leues, & turba nauales: vbi contingit regionem esse ad equitatum aptam, ibi locum habet aptissimum, paucorum potentia illa summa. nam conseruatio habitatorum ab equitibus prouenit. equos vero nutrire, eorum est qui magnas habent facultates. Vbi autē regio ad peditatum est apta, alteram speciem affectat paucorum potentiæ. nam grauis armatura, diuitum est magis quàm pauperum. expediti autem leues & nautica turba, à plebe est omnis. Nunc autem vbi talis turba multa est, quando seditio fit, deterius certat. Sed oportet huius medicinam capere à belli decibus, qui ad equitum ac peditum robur, expeditos leuis armaturæ solent coniungere: & cum his superant populi in seditionibus opulentos. nam leues & expediti contra equites & contra grauis armaturæ pedites facile pugnant. instituere igitur potentiam istam, contra reipos est instituere. Sed oportet diuisis ætatibus, cùm alij seniores, alij iuniores existāt, in iuuenili adhuc ætate constitutos filios suos erudire ad leues & expeditas operationes: delectos quidem ex pueris, Athletas esse ipsos operationum. Concessos autem reipublicæ populo facienda est, vel cùm ad censum peruenerint, vt dictum prius est: vel vt faciunt Thebani, cùm certū tempus † meretura & huiusmodi exercitiis destiterint, vel, vt apud Massiliam iudicio facto, qui digni sint ad rempublicam recipi, & qui excludi. Praterea dignitatibus iis, quæ sunt principalissimæ, quas suscipere oportet eos qui in reipublicæ gubernatione versantur, adiungenda sunt onera publica, vt populus sponte sua eas nolit, & veniam habeat

† Seruidu ministeriu.

illis qui huiusmodi magistratus suscipiunt, vtpote mercedem permagnam pro ea dignitate soluentibus. Congruit autem cùm huiusmodi magistratus ineunt, & sacra magnificentissime facere, & publica quædam ædificia ad vsum populi construere: vt multitudo cernens vrbem ornari tum muneribus erga Deos, tum ædibus ad vsum publicum, libenter aspiciat potestatem statuum ciuitatis. Continget etiam præstantibus viris hæc esse monumenta suæ laudis. Sed hoc non fit nunc per eos homines, qui magni sunt in paucorum potentia. sed contrarium. lucrum enim quærunt non minus quā honorem. itaque dici potest recte, hos esse populares status paruos. Quomodo igitur instituendi sint, & paucorum gubernationes, & multitudinis, in hunc modum determinatum sit.

De magistratibus, & eorum speciebus, & quibus rebus præficiendi sint.

CAP. VIII.

COnsequens est circa magistratus videre diligenter, quot hi sint, & quales, & quibus de rebus, vt supra dictum est. Sunt enim quidam magistratus, sine quibus ciuitas esse non potest. sunt etiam quidam ad cultum ornatumq; pertinentes, sine quibus bene habitari ciuitas non valet. Præterea necessarium est & in paruis quidem ciuitatibus pauciores esse magistratus: in magnis autem plures, vt prius ostendimus. Quales ergo congruat simul coniungere, & quales separare, non debet esse clam. Primum ergo cura rerum necessariarum, vt in foro assint verecundenturque. super qua quidem cura magi-

stratus quidem est constituendus, cuius officium sit circa contractus & circa honestatem. nam cunctis ferè ciuitatibus necessarium est, emptiones, venditionésque fieri inuicem, pro vsu rerum necessariarum. & hæc facultas maxima & expeditissima est ad eandem sufficientiam consequendam, cuius gratia in vnam videntur conuenisse reipublicæ societatem. Altera vero cura huic coniuncta ac propinqua est circa vrbem, de publicis priuatisque rebus, de ædificatione decenti, de viarum conseruatione ac directione, de finibus regendis, vt sine querela sint, & de similibus. vocant autem huiusmodi magistratum ædilitatem. partes eius vero sunt plures, vt magnis ciuitatibus aliæ super alias incidunt: ceu mœnibus reficiendis præfecti, & fontium curatores, & potuum conseruatores. Alia vero est cura, & quidem necessaria atque huic propinqua. nam de eisdem rebus, extra vrbem non in vrbe, sed extra vrbem in agro versatur. vocant autem huiusmodi magistratum † alij definitores, alij custodes agrorum. hæ igitur procurationes sunt tres. Est & alius magistratus, ad quem reditus publici referuntur, qui apud eos conseruati, mox distribuuntur ad singulas opportunitates. vocant vero istos, receptores, & quæstores. Alter vero magistratus est, apud quem præscribi oportet priuatos contractus, & sententias iudicum, apud quos etiam postulationes vocationésque in ius præscribi debent. quibusdam in locis huiusmodi magistratum diuidunt in partes plures. sed est vna eadémque autoritas istorum omnium: appellántque eos, qui hunc magistratum gerunt, tum præfectos, tum memoriales, vel similibus nuncupatio

† alij agrorum definitores, alij custodes agrorum.

nibus. Qui vero post hunc sequitur, summe necessarius est, ac difficillimus omnium magistratuum. versatur autem circa executiones eorum qui damnati sunt, & circa eorum pœnas atque custodias. Est autem grauis huiusmodi administratio propter multas quæ inde proueniunt inimicitias. itaque nisi magna emolumenta ex eo capiantur, gerere illum omnes recusant, & si gerant, secundum leges facere non tolerant. sed est necessaria res. nam nihil prodessent de rebus iustis iudicia aut sententiæ, nisi forent qui eas executioni mandarent. quare si hæc desint, communio inter se ciuium permanere non potest. Propterea melius est non vnũ hunc esse magistratum, sed partiri in plures, vt alij de aliis iudicia exequantur. & circa actiones eodem modo conandum est distinguere. adhuc etiam magistratus alios aliis exequendis, & nouorum magis nouos: & præsentium alio cõdemnante, alij sunt qui exigant, ceu prætores vrbani ædilium cõdemnationes, ac rursus istorum alij. quanto enim minus inimicitiarum sit illis qui executioni demandant, tanto magis rem fuscm suscipient. Si sint ergo iidem qui condemnant & qui condemnationes exigunt, duplex contrahitur odium, in omnibus autem eosdem, cunctis inimicum est. Multis etiam iudicis separatur ille qui custodit reos, ab illo qui animaduertit in eos: vt Athenis illi, qui vindictæ iuuari nuncupantur. Quapropter melius est hunc quoque diuidere magistratum, & quasi adumbrare & mitigare: est enim necessarius nõ minus quàm superior. Contingitque in eo, vt viri boni maxime vitent hoc officium: prauos autem nequaquam tutum sit ei præficere, cùm

ipſi potius indigeant cuſtodia & carcere, quàm alios debeant cuſtodire. Itaque oportet hoc non vnum eſſe officium, neque continuo ab eiſdem fieri, ſed vbi eſt aliquis iuniorum ordo, aut cuſtodum, aut magiſtratuum, deputãdi ſunt pro tempore alij atque alij, qui horum officiorum ſuſcipiant curam. Hos ergo magiſtratus tanquam ſumme neceſſarios ponendum eſt eſſe primo. Poſt hos autem alij ſunt magiſtratus, nec ſane minus neceſſarij, & maioris quidem dignitatis. nam plurima indigent experientia & fide. Tales vero ſunt circa cuſtodiam vrbis, & circa illa omnia quæ ordinantur ad bellicas expeditiones. opus eſt enim & in pace & in bello permultis. nam & mœnia ciuitatis curanda tuendáque ſunt, & diſquiſitiones deſcriptionéſque ciuium agendæ. Alicubi ergo ſuper his plures ſunt magiſtratus, alicubi pauciores: veluti in paruis quidem vrbibus vnus ſuper omnibus. appellant vero hos prætores vel conſules. Inſuper ſi ſint equites, aut pedites, aut ſagittarij, aut turba naualis, ſuper vnoquoq; eorum præfecti quidem ſtatuuntur: appellantúrque præfecti equitum, præfecti legionum, præfecti naualis. & ſeorſum ſub his præfectus triremium, præfectus cohortis, tribunus militum, & alia huiuſmodi particularia. totum vero vna quædam ſpecies eſt, procuratio ſcilicet rerum bellicarum. & erga huiuſmodi magiſtratum, hoc modo ſe habet. Cùm vero quidam magiſtratuum & ſi non omnes, pertractent multa negotiorum publicorum, neceſſe eſt eſſe alium magiſtratum, qui rationes repetat atque corrigat, ipſe vero nihil tractet. vocant vero hos alij correctores, alij rationales, alij ſeruatores, alij procuratores. Præter hos vero omnes magiſtratus vnus eſt maxime principaliſſimus omniũ. idem enim pœnarunque habet finem & introductionem, qui præſidet multitudini, vbi populus dominatur. Oportet autem id quod cogit, ſummam habere in republica autoritatem. appellant vero quibuſdam in locis Præconſultores ex eo, quia ante deliberant: vbi vero multitudo eſt, conſilium magis. Ciuitatum igitur magiſtratus ferè tot aliqui ſunt. Alia ſpecies curationis eſt circa rem diuinam, ceu ſacerdotes, & ædituj circa templa: vt conſeruentur quæ ſunt, & erigantur ruinoſa ædificia, & cætera omnia quæ pertinent ad diuinum cultum. Euenit autem alicubi curam hanc eſſe vnam, vt in paruis ciuitatibus. alibi vero plures ſeparatas à ſacerdotio, vt ſacrificuli, ac ædituj. & cuſtodes ſacrarum pecuniarum. Huic conſequens eſt illa, quæ circa ſacrificia publica, quotcunque ſacerdotibus lex non committit, ſed ex publico fiunt. vocant autem eos qui iſtis præſunt, alij Reges ſacrorum, alij Pontifices maximos. Neceſſaria ergo officia ſunt circa hæc, vt illa repetamus, circa rem diuinam, circa rem bellicam, circa reditus publicos & impenſas, circa forum, circa vrbem & portus & regionem: inſuper circa iudicia, & contractus, poſtulationes, & executiones, & cuſtodias, & ſuper rationibus, & diſquiſitionibus, & ſuper correctionibus eorum quæ quis geſſerit in magiſtratu, & poſtremo circa conſilia rerum communium. Propria autem earum ciuitatum quæ magis pacatę atque tranquillæ, ſunt, curam facere de mulierum diſciplina, de legibus ſeruandis, de diſciplina iuuentutis, de gymnaſiorum gubernatione: præterea de ludis

gymnasticis ac musicis, & si qua alia huiusce-modi spectacula continget fieri. Horum vero quædam manifestæ sunt non popularia, veluti disciplina mulierum & puerorum. nam pauperibus necesse est vti mulieribus, & pueris tanquam ministris, quoniam seruos non habent. Cùm q; tres sint magistratus, per quos assumunt quidam summas potestates, conseruatores legum, & præconsultores, & consilium: conseruatores legum optimatum magistratus est, præconsultores vero paucorum potentia, consilium autem populare. De magistratibus ergo, vt in figura, serè dictum est de omnibus.

ARIST

ARISTOTELIS POLITICORVM LIBER SEPTIMVS.

SVMMA LIBRI.

De optima vita, ac ciuitate beata. De eius conuenienti multitudine, rebus maritimis, ciuibus partibus, distributione, ædificiis, ac locis variis. De ciuium institutione. De coniugiis, filiorum procreatione, cultu, ac institutione.

De optima vita, & ciuitate beata.

CAP. I.

DE optima republica rectè quærere volenti, necessariò est prius determinare, quæ vita sit maxime expetenda: nam si id ignotū sit, necesse est & optimam rempublicā ignorari. optime enim agere cōsentaneum est, qui sub optima reipublicæ disciplina reguntur, ex his quæ sibi adsint, nisi quid accidat præter rationem. Quare primo statuendum est, quæ vita sit cunctis, vt ita dixerim, maxime optanda: deinde vtrum publice & priuatim eadem sit, an alia. Iuramentes igitur multa sufficienter esse dicta de optima vita, etiam in externis sermonibus, & nunc illis vtendum censemus. Nempe aduersus hanc diuisionem nemo vtique refragabitur,

quòd tria cùm sint bonorum genera, externa, corporis, & animi, ista omnia adesse felici homini oportet. nemo enim felicem diceret eum, qui nullam partem fortitudinis habeat, neque temperantiæ, neque iustitiæ, neque prudentiæ, sed timentem etiam circumuolantes muscas, temperantem verò à nulla penitus edendi libendique extrema cupiditate, & gratia quadrantis vnius dilectissimos interficientem. similiter & mente tam stultum atq; ignatum, quasi puerum quendam vel insanum. Sed ista quidem sic, vt dicta sunt, omnes concederent. Discordant tamen in quanto atque excessu. nam virtutes quidam satis habere se putant, quantulúcunque habeant: diuitiarum verò atque pecuniæ, potentiæque & famæ, & huiusmodi omnium infinitum excessum sequuntur. At verò nos illis dicemus, quia facile est de his etiam per opera ipsa fidem suscipere, cernentes, quia homines acquirunt & conseruant non virtutes externis bonis, sed externa virtutibus. Ipsáque beata vita, siue in gaudio posita est, siue in virtute, siue in ambobus, magis existit motibus & intellectu in excessu ornatis, mediocria verò externa possidentibus, quàm his qui in externis plura possident quàm opus sit, & qui in illis deficiunt. Quinetiam ratione licet hoc probe intueri, quòd externa quidem bona finem habent tanquam instrumentum quoddam. omne autem vtile tale est, vt excessus vel noceat habenti, vel certè nil prosit. At bona animi, quanto magis excedunt, tanto magis vtilia sunt. siquidem non solum honesti, verumetiam vtilis appellationem tribuere illis oportet. Omninóque patet, quòd & qui dicemus dispositionem optimam cuiusque rei

rei ad inuicem, secundum excessum distantiæ illorum, quorum dicimus eas esse dispositiones. Quare, si est anima preciosior corpore & pecuniis, & simpliciter & nobis, necessarium est & dispositionem vtriusque optimam eodem modo illis correspondere. Insuper animi gratia illa expeti nata sunt, & ita recte sentientes expetere omnes oportet, non autem animum gratia illorum. Quòd igitur felicitatis tantum vnicuique contingit, quantum virtutis atq; prudentiæ, & quantum secundum has operatur, confessum nobis existat, teste Deo fretis dicente, felicem esse atq; beatum, non per aliquid externorum, sed per seipsum, quia talis est secundum naturam. Cùm & bonam fortunam aliud esse quàm felicitatem, propter hæc necessarium est. nam externorum quidem bonorum causa est fortuna & casus: at iustus & téperatus nemo infortuna est, neque per fortunam. Consequens verò est, & iisdem rationibus consentaneum, ciuitatem quoque beatam esse quæ optima sit, & quæ bene agat. impossibile autem bene agere eos, qui bona non agant, nulla verò bona actio est neque viri neque ciuitatis, sine virtute atque prudentia. Fortitudo autem & iustitia & prudentia ciuitatis eandem habent vim & formam iis, secundum quas vnusquisque hominum dicitur iustus, & prudens, & temperans. Sed hæc hactenus præmissa sint. neq; enim non attingere illa possibile fuit, neque omnino omnes eorum rationes explicare. nam alterius operis ista sunt. Nunc autem supponatur nobis, quod vita optima, & priuatim vnicuique & publice ciuibus est cum virtute, instantum externis facultatibus adiuta, vt actiones studiosas conficere

conficere possit. Sed de his nunc prætermissis, postea considerandum erit, si quis forsan dictis non acquieuerit.

An eadem sint felicitas, & optima vita. An contemplatiua, an actiua vita sit præferenda. De optima reipub. dispositione, placitis aliorum, & officio legislatoris.

CAP. II.

VTrum autem eadem sit dicenda felicitas singulorum hominum & ciuitatis, vel non eadem, reliquum est videre. Manifestum vero & hoc. omnes enim fatcrétur esse eandem, nam quicunque in diuitijs beatam vitam posuerunt, hi ciuitatem quoque totam, si opulenta sit, beatam fatebuntur. Et quicunque tyrannicam vitam aliis præferunt, hi ciuitatem late dominantem beatissimam esse dicent. Qui vero id vnum per virtutem recipit, is & ciuitatem beatiorem dicet, si sic studiosior. Sed hæc iam duo sunt, quæ indigent consideratione. Vnum, nunquid vita illa præferenda sit, quæ versatur in republica & in communi societate, an potius vita peregrina, & à ciuili societate remota. Præterea quam speciem reipublicæ, & quam dispositionem ciuitatis optimam putare debemus, siue ab omnibus expetenda sit communio ciuitatis, siue à quibusdam non, sed tamen à pluribus. Cùm vero ciuilis intelligentiæ & speculationis hoc sit opus (non autem circa vnumquodque expetendum) præferamus & nos hanc considerationem. nam illud quidem extra propositum esset, hoc autem secundum propositum huius inuestigationis. Quòd igitur necessarium sit illam esse optimam rempublicam, per cuius institutionē vnusquisque optime

optime agat, & beate viuat, manifestum est. Sed dubitatur etiam ab iis, qui vitam cum virtute maxime eligendam putant: vtrum vita ciuilis & actiua sit præferenda, an potius illa vita, quæ sit ab omnibus externis soluta. ceu contemplatiua: quam solam putant quidam esse sapientis. Verē enim has duas vitas, præstantissimi ad virtutem homines anteponere videtur, & antiqui, & recentes. dico autem duas, ciuilem, & philosophicam. Sed refert non parum, vtrum hoc vel illo modo veritas se habeat. necesse est enim illū qui recte sapit, ad melius propositum se disponere, & priuatim vnumquenque hominem, & publice ciuitatem. Putant autem quidam in gubernando alios, si cum dominatu fiat, iniuriam esse summam, si ciuiliter cessare quidem iniuriam, sed impediri vitę tranquillitatem. Alij vero contra hæc, omnino putant ciuilem & actiuam vitam solam esse viri. in singulis enim virtutibus nulli esse maiorem operandi facultatem, quàm in his qui in reipublicæ gubernatione versantur. Sunt etiam qui aliis dominari, & tyrannidem reipublicæ modū putant solum esse beatum, & in quibusdam ciuitatibus hic est finis legum, vt finitimis dominentur. Itaque cùm plerique constituta passim (vt ita dixerim) iaceant apud plurimos: tamen si quid vnum leges respiciunt, id coniectant omnes, vt ciuitas dominetur, sicut in Lacedæmone & Creta, ad bellum fere ordinata est disciplina iuuentutis, & legum multitudo. Præterea apud gentes omnes, quæ possunt præualere, huiusmodi honoratur potē-tia: ceu apud Scythas, & Persas, & Thraces, & Celtas. Quibusdam enim leges sunt ad huiusmodi prouocantes virtutem, vt apud Carthagi-

nien

nienses ferunt ornatum annulorum accipere pro numero expeditionum, in quibus militauerint. Fuit etiam quandoq; in Macedonia lex, eum qui nullum hostem interfecisset, capistro cingi. Apud Scythas vero nō licebat solennibus epulis pateram circūlatam accipere ei, qui nullum occidisset hostem. Apud Iberos quoq; pugnacem gentem, tot obeliscos erigere circa sepulcrum mos est, quot homines ex numero hostium necauerit. Et alia apud alios sunt huiusmodi complura, legibus aut moribus constituta. Atqui videretur forsan nimis absurdum esse, siquis considerare velit, an hoc propositum esse debeat eius, qui legibus instituit ciuitatem, prouidere scilicet, vt illa dominetur finitimis, & volentibus, & inuitis. Quomodo enim id ciuile, aut lege faciēdum, quod ne legitimum quidem est? neque enim legitimum, non solum iuste, verumetiam injuste dominari: subdere vero est, & non iuste. Atqui nec in aliis scientiis ita videmus. nec enim medici, neque gubernatoris est, vel persuadere ægrotis & nautis, vel vim afferre. Sed plerique videntur existimare ciuilem disciplinam esse dominari, & quod in seipsos fieri nollent, hoc in alios facere non erubescūt. Ipsi pro se iustitiam quærūt, pro aliis vero nullā eis iustitiæ cura est. Hoc autē absurdū, nisi tales sint natura, vt alter dominari debeat, alter non. Quod si est ita, nō est conādū omnibus dominari, sed illis duntaxat qui dominabiles sunt, sicut nec venari homines ad mēsam vel sacrificiū, sed illud quod venabile est. est autē venabile omne animal, quod sit natura ferū & esui apū. Enimuero fieri potest, vt sit ciuitas vna seorsum per seipsam beata, videlicet si gubernetur recte. nā

potest esse sita in loco penitus separato, & legibus vti laudabilibus: cuius reipublicæ constitutio, non ad bellū neq; ad superandum hostes sit. Patet igitur quōd rei bellicæ studia bona sunt existimanda, sed non vt finis supremus, sed gratia illius. Studiosi autem legum positoris est considerare vrbem, ac naturam hominum. & omnem aliam communionem vitæ laudabilis, quo participent, quantum fieri potest, felicitatem. Differentia tamen erit in quibusdam constituendis, & hoc pertinet ad eandem disciplinam, quæ est de legibus ponendis. videte, siqui sunt finitimi populi, qualia ad quales exercenda sint, & quemadmodum cum singulis conuersandam. Verūm de hoc postea suo loco consideronem faciemus, ad quem finem debeat optima reipublicæ constituo tendere.

De controuersia in vsu vitæ cum virtute, dominatu & præstantia vita contemplatiua.

CAP. III.

AD confitentes autem vitam cum virtute esse maxime recipiendam, sed contendentes de illius vsu, dicendum est nobis ad vtrosq. Sunt enim qui despiciunt magistratus ciuitatis, putantes ingenui hominis esse aliam vitam quām ciuilis, & omnibus præferandam. alij vero hanc optimam putant. impossibile enim nisi agentem bene agere. bene autem agere ac felicem esse, idem est. Vtrique eorum quædam dicunt recte, & quædam non recte. nam liberē quidem hominis vitam meliorem esse, quām in dominando occupati verum est. nihil enim egregium est, seruo vti in quantum seruus. iussus enim domini in rebus necessarijs nihil habe-

bet decorum. At putare omnem gubernationem esse dominationem, nequaquam est verū, non enim minus distat liberorum gubernatio à dominatione seruorum, quàm differat natura liber à natura seruo: de quo sufficienter superioribus libris determinatum fuit. Sed laudare magis nihil agere quàm agere, nō est rectum. nam felicitas actio est, præterea multorum & præclarorum finem habent, iustorum temperatorúmque actiones. Quinimo respondebit fortasse aliquis, quòd potestatem habere optimū esse, sic enim plurimas ac pulcherrimas res agere posset. Itaque is qui dominus agēdi esse potest, hanc facultatem dimittere aliis non debet, sed sibi arripere, & neque filium patrie, neque parentem filij, neque amicum amici hac in parte rationem habere. nam quod optimum sit, id nobis ipsis adscisscere debemus, optimū autem est bene agere. Hoc illi forsan recte dicerēt, si modo existeret afferentibus ac violantibus, illud quod esset omnium maxime optandum, sed fortassis id fieri non potest, falsóque hoc supponūt. Non enim amplius bonas actiones illas esse contingit, nisi tantum ipse præstet quantum vir mulieri, & patet filiis, & dominus seruo. Quare is qui violaret, nihil tantum proficeret posteà, quantū iam à virtute ipsa recessit. paribus enim honestum & iustum in parte. hoc enim iustum ac par, non par autem paribus, & non similibus, similibus, præter naturam est, nihil autem bonum, quod sit præter naturam. Quapropter & si alius quidem sit melior secundum virtutem, & secundum potentiam actiuam in rebus optimis, hunc sequi honestum est, & huic parēre honestum, sed oportet illi non virtutem solum, verumetiam potētiam existere, per quam sit actiuus. Quòd si hæc vera sunt, & felicitas in bene agendo est reponenda, & publice totius ciuitatis, & priuatim singulorum vita illa erit optima, quæ sit actiua. Verumtamen actiuam nō est necessarium esse ad alios, quemadmodum quidam putant. neque eas meditationes solum esse actiuas, quæ gratia eorum fiunt, quæ ex agendo proueniunt, sed multo magis quæ in seipsis perfectæ sunt ac suiipsarum gratia fiunt contemplationes & meditationes. bene agere enim finis est: quare & actio quædam, maxime autem proprie dicimus agere etiam externis actionibus eos, qui intelligentia & cogitatione operibus præsunt, vt architecti. Quinimo neque sine actione esse necessarium est eas ciuitates quæ positæ sint in solitudine, & ita viuere eligentes. fieri enim potest vt partibus inter se agere contingat. multæ enim communicationes adinuicem sunt partibus ciuitatis. Similiter autem hoc existit vnicuique homini. vix enim Deus bene se haberet, & mundus totus, quibus non sunt actiones externæ præter proprias ipsorum. Quòd igitur necessarium sit eandem esse vitam optimam priuatim vnicuique hominum, & publicè ciuitatibus, & hominibus, manifestum est.

Quanta debeat esse multitudo ad commentem ciuitatis magnitudinem.

CAP. IIII.

CVm vero ista nunc præmissa sint, ac de aliis rebus publicis fuerit prius à nobis consideratum, de reliquis dicendi initium faciamus, quales aliquas suppositiones esse oportet pro ea

ciuitate, quæ maxime secundum votum sit constitutionem susceptura. Neque enim fieri potest vt optima sit respublica nisi opportunæ adsint facultates, ex quo necesse est multa præsupponere quasi optantes, esse tamen nullum eorum impossibile: dico autem ceu de multitudine ciuium, ac de regione. Vt enim cæteris artificibus, puta textori & nauiculario, materiam subesse oportet aptam ad opificium: nam quanto melior hæc exstitit, tanto id quod fit ex arte, erit præclarius: sic & gubernatori reipublicæ & legum positori oportet propriam subesse materiam apte se habentem. Est autem ciuilis facultatis primo videre de multitudine hominum, quàm multos & quales natura esse oportet. De regione quoq; eodem modo, & quanta & qualis esse debet. Putant pletique magnam esse debere beatam ciuitatem. id etsi verum est, ignorare tamen videntur qualis magna & qualis parua dicenda sit ciuitas: existimant enim magnam ex numero habitantium. Sed oportet nõ tantum ad numerum, sed magis ad potentiam respicere. est enim ciuitatis opus quoddã. quare quæ maxime id efficere potest, hanc existimandum est esse maximam ciuitatem, ceu Hippocratem, non hominem, sed medicum quis dicet esse maiorem quàm alium, qui magnitudine corporis cum excedat. Quinimo si ex multitudine iudicandum sit, non ex quauis multitudine id est existimandum: necesse est enim fortasse in ciuitatibus esse seruorum, & inquilinorũ, & hospitum grandem numerum, sed ex his qui sunt pars ciuitatis, & ex quibus ciuitas constat. horum enim præcellens multitudo signum est magnæ ciuitatis, ex qua vero ciuitate operarei quidem

quidem permulti exeunt, bellatores autem pauci, hanc impossibile est esse magnam. non enim idem est magna ciuitas & populosa, quinetiam re & effectu patet, quia difficile est & forsan impossibile, vt quæ nimium populosa sit ciuitas, optime gubernetur. Earum certe quæ bene gubernari dicuntur, nullam videmus in populosam multitudinem esse diffusam. Patet etiam ex rationum fide. nam lex ordinatio quædam est, & bonam legis positionem necessarium est esse bonam ordinationem: at multitudo nimiũ magna non potest recipere ordinationem. diuinæ enim potentiæ id opus esset, quæ & hoc totum constinet, cùm & bonum quidem in multitudine ac magnitudine cõsueuit, fieri: qua propter & ciuitatẽ illam, cuius cum magnitudine dictus terminus exstitit, optimam esse necesse est. Sed est quædam mensura magnitudinis ciuitati, quemadmodum & aliorum omnium, animaliũ, plantarum, instrumentorum. nam horum singula, neque parua nimium, neque magnitudine exorbitãs suam potentiam retinebunt, sed aut destituta erunt omnino à natura, vel male se habebunt. Ceu nauis vnius palmæ non erit penitus nauis, neque duorum stadiorum: sed si processerit ad aliquam magnitudinem, quandoq; propter paruitatem malefaciet naulgationem, quandoque propter excessum. ita & ciuitas, si eximium paucis sit non est per se sufficiens: sin ex nimium multis, sufficiens quidem in necessariis erit vt gens, sed non vt ciuitas. rempublicã enim non facile est in illis constitui. nam quis dux esse tam excessiuæ multitudinis, aut quis præconem (tentorius)? Quocirca necesse est primam esse ciuitatẽ illam, quæ ex ea multitudine con-

stat, quæ multitudo prima per seipsam sufficiens sit ad bene viuendum in ciuili societate, recipitur vero, vt ea quæ multitudinem hanc excedit, sit maior ciuitas: sed hoc non est, vt diximus, infinitum. Quæ vero sit huius excessus determinatio, ex operibus intelligi facilius potest. sunt enim actus ciuitatis imperantium atque parentium, imperantis quidem opus est iubere ac iudicare: ad iudicandum vero secundum iustitiam, & ad magistratus demandandos secundum dignitatem, necessarium est, vt se inuicem cognoscant ciues quales sint. quare vbi hoc non fieri contingit, necesse est vt male res procedant circa magistratus demandandos, & circa iudicia. In vtroque certe horum, nequaquam est temere procedendum: quod in nimia multitudine manifeste contingit. Insuper hospitibus & inquilinis facile est ad rempublicam aspirare, cum non difficile sit in tanta hominũ multitudine latere. Patet igitur quòd est optima determinatio ciuitatis, vt sit maximus multitudinis excessus, quæ sit per se sufficiens ad viuendum, & facile inter se cognosci possit. De magnitudine ergo ciuitatis determinatum sit in hunc modum.

Optima regionis, & situs vrbis conditiones.

CAP. V.

DE regione autem eadem ferè dici possunt: nam qualis esse debeat: clarum est quòd sufficientissimam omnes laudabunt. Hanc autem necesse est feracem esse omnium: nam omnis in seipsa habere & nullius indigere, sufficientis est. Multitudinem vero ac magnitudinem tantam, vt queat habitatores ociosos nutrire, liberaliter simul temperatéq; viuentes. Hoc autem vtrum

vtrum bene vel non bene dicatur, postea diligentius erit considerandum, vbi de possessionibus & facultatibus mentionem fieri continget, qualiter & quemadmodũ se habere erga vsum ipsum oportet. Permultæ enim circa considerationem istam dubitationes cadunt, propter trahentes in vtramq. partem vitæ excessum, alios ad tenuitatem, alios ad largitatem. Formam vero regionis non est difficile præscribere, ex dictis namque est in quibusdam, rei militaris peritis asserentibus talem esse oportere, vt ab hostibus quidem non facile inuadi possit, ciuibus autem facilis sit in aliena egressio. Præterea vt hominum multitudinẽ facile inter se cognosci posse diximus oportere, sic etiam regio sit subiecta conspectui, id est vt cognosci, & succurri faciliter possit. Vrbis autem situs, si formanda nobis illa est secũdũ votũ, opportune, & ad terram, & ad mare debet iacere. Vna iam determinatio præmissa est, oportere ad auxilia ferenda communem esse locorum omnium. Vnde quoque afferenda altera, ad importationem fructuum. Præterea ad lignorum materiem, & ad, si quid aliud simile opificium regio in se habeat, facilem aductionem.

An communis maris turba nautica, & naualis potentia ciuitatibus recte institutis expediat, vel ne.

CAP. VI.

COmmunio autem maris, vtrum vtilis sit ciuitatibus vel damnosa, permultæ sunt disceptationes. Nam & frequentare aduenas quosdam, alienis educatos legibus, inutile putant ad rectam ciuitatis disciplinam, & tur-

bam populare multiplicari ex vsu maris, transmittentibus ac recipientibus negociatorum multitudinem, contrarium esse dicunt rectæ ciuium institutioni. Quòd igitur, si ista non contingant, melius sit & ad securitatem & ad copiam rerum necessariarū, communione maris habere vrbem & regionem, non est obscurum, nam ad facilius ferendum hostes, peropportuna facultas succurrendi auxiliandique suis terra & mari esse debet, & ad nocendum inuadentibus, si non vtrinque possibile, at altera ex parte magis existit ambarum participantibus. Et quæ apud eos non existunt, importari, & quę superabundant, deportari ex necessariis est, ibi enim ipsi * mercabilem non aliis ciuitatem esse oportet. Qui autem omnibus mercatum apud se præbent, hi faciunt quæstus cupiditate, quod si non expedit ciuitati hanc cupiditatem habere, neq; mercatum certe huiusmodi debet recipere. Nam & nunc quidem videmus multis regionibus & ciuitatibus stationes ac portus opportune iacere: vt neq; intra vrbem sint, neque valde distantes, muriſq; circundati, & aliis huiusce modi munitionibus. Clarum est enim, quòd si quid boni proueniet ex tali communione, ciuitas id bonum suscipiet: sin aliquid mali, caueri ab eo facile erit per leges iubentes ac determinantes, quos oportet, & quos non oporteat inuicem admisceri. De nauali autem potentia, quòd melius sit eam habere vsque ad aliquam quantitatem, manifestum est, non solum enim sibiipsis, sed & finitimis quibusdam oportet & auxiliari posse, & esse terrori, quemadmodum terra sic etiam mari. Magnitudo autem & multitudo huius potentiæ, ad mo-

* ἐμπορικὴν

res ciuitatis erit accommodanda, nam si ea fuerit ciuitas, quæ magnam præstantiam auctoritatémque habere consueuerit, necessarium erit hanc potentiam rebus esse cõformem. Turbam vero nauticam, & huiusmodi hominum multitudinem, non necessarium est ciuitatibus existere, nulla enim ciuitatis pars huiusmodi homines esse debent. Nam pugnatores qui naues conscendunt, ingenui sunt homines, terra quoque militare consueti, hi præsunt nauali turbæ & imperant. Existente vero multitudine tenuis fortunæ hominum, qui circa nos habitant, & agricolarum qui in regione rem rusticam exercent, necessarium est abundantiam esse nautarum. Videmus etiam nunc istud fieri in quibusdam ciuitatibus, ceu in ciuitate Heracleotarum, multas enim implent triremes, vrbem possidentes magis exiguam quàm cæteri. De regione igitur, & portubus, & vrbibus, & mari, & nauali potentia, in hunc modum determinatum sit. De multitudine quoque ciuilis, quam determinationem habere decet, prius diximus.

Quales debeant esse natura ciues, de quo laudantur Græci, & quales vrbis custodes.

CAP. VII.

NVnc autem quales natura ciues esse oportet, à nobis dicetur. Forsan vero id deprehendet quis, si inspiciat ad ciuitates Græcorum, quæ bene gubernari dicuntur, & ad totum terrarum orbem, vt à gentibus variis incolitur. Nam quæ frigidas regiones incolunt gentes, & quæ per Europam, animo quidem abundant, ingenij vero & artificij parum habent:

quapropter in libertate magis perseuerant. disciplinam vero reipublicæ difficulter recipiũt, ac finitimis dominari non possunt. Quæ vero Asiam incolunt, ingenio & arte abundant, sed animositatem non habent: propter quod & parere dominantibus, & seruire perseuerant. At Græcorum genus, vt mediam regionem locorum sortitum est, sic etiam amborum est particeps. nam & animosum & ingeniosum est. Ex quo fit vt in libertate degat, & disciplinam reipublicæ optime recipiat, & vnius reipublicæ constitutionem sortitum, imperare omnibus possit. Eandem quoq; differentiam habent Græcorum gentes inter se. quædam enim habét naturam ad vnum illorum: quædam vero permistæ ac temperatæ sunt ad vtranque illarum potentiarum. Patet igitur, quòd oportet & intelligentiam & vigorem animi natura existere illis, qui futuri sint idonei, quos legum positor ad virtutem instituat. Nam quod de custodibus aiunt quidam opus esse, vt benevoli sint erga notos, erga ignotos vero infesti, vigore animi est qui benevolentiam facit. illa est enim potentia animæ, per quam amamus ac benevoli sumus. cuius rei signum est, quòd magis irritatur animus contra familiares & amicos, quàm extra ignotos, si cõtemptum se putet. Quapropter Archilochus recte cum amicos incusaret, ad animum loquitur inquiens: *Non tu quidem ab amicis lancea transfixus es?* Quod dominatur & quod libertatem seruat, ab hac potentia animi existit. dominãs enim & inuictus est animus. Nec bene se habet dicere, quod aduersus ingnotos debent esse infestissimam aduersus neminem tales esse oportet, neq; sunt magnanimi homines

nec natura infesti, nisi contra iniuriantes. Hoc autem magis contra notos familiaresq; patiuntur, quod dictum est prius, si iniuriatos sibi existimant. Et hoc non sine ratione cõtingit, à quibus enim deberi sibi beneficium expectant, ab eisdem nõ solum priuari beneficio, sed insuper læsi se putant. Vnde in prouerbio dicitur, *Fratrum contentiones & ira sunt acerbissimæ. & qui se nimium amauit, sibi se nimium odierunt.* De hominibus igitur qui in republica futuri sint, & quot esse oporter, & quales natura, & de regione, quantã, & qualem, fere determinatum est. non enim eadem certitudo quærenda est, in his quæ per rationes, & in his quæ fiunt per sensum.

Quod non omnia sine quibus ciuitas stare nequeat, sint eius partes. & quæ sint ipsius partes propriæ.

CAP VIII.

CVm vero vt aliorum secundum naturam consistentium, non hæ sunt partes totius consistentiæ, sine quibus totum esse non potest: palam quòd nec ciuitatis ponendũ est esse partes, quæcunq; ciuitatibus existere necessario oportet, nec alterius cuiusque communionis, ex qua fit vnum aliquod genus. Vnum enim quid & commune esse debet communicantibus, siue æquale, siue inæquale suscipiant: ceu siue alimentum id sit, siue agri quantitas, siue aliud tale. sed quando hoc gratia huius, hoc autem non gratia, nihil in his commune: sed aut huic quidem facere, huic autem accipere. dico autem vel organo omni ad id opus, quod fit & opificibus. Domui enim ad ædificatorẽ nihil est quod sit commune, sed est domus gratia ædificatorum ars. Quapropter possessione quidem

indiget ciuitas: nulla tamen pars ciuitatis est possessio, multa vero animata sunt possessionis partes. Ciuitas autem communio quædam est similium gratia vitæ, vt maxime fieri potest optimæ. Cùm vero sit felicitas optimū, ipsa autem virtutis operatio, & vsus quidam perfectus: contingat autem ita vt aliqui illius recipiant participationem, alij parum aut nihil. manifestum est quòd hæc est causa, quare ciuitatis species & differentiæ existunt, pluresque rerumpublicarum forma, per alium enim modum, & aliis viis singuli hoc appetentes, & alios viuendi modos fecerunt, & alias reipublicæ disciplinas. Considerandum autem est, quot sint illa, sine quibus ciuitas esse non potest. nam quas dicimus esse ciuitatis partes, eas necessarium est in istis esse. Capiendus est igitur operum numerus: ex his enim id apparebit. Primum igitur debent existere alimenta. Deinde artes: multis enim instrumentis indiget vita. Tertium arma, nam qui simul in communione viuunt, necessarium est in ipsis habere arma, quibus & magistratibus parere inobedientes compellantur, & quibus vis propulsetur externa. Præterea pecuniarum habendarum facultas quædam, quo illas habere possint & ad proprias indigentias, & ad bellum. Quintum ac primum, circa rem diuinam cultus, quod vocant sacrificium. Sextum, quod est omnium summe necessarium, iudicium pro vtilitate & iustitia contrahentium. Hæc sunt igitur opera, quibus indiget ciuitas omnis, est enim ciuitas multitudo non quæcunque, sed illa quæ ad vitam per se sufficiens sit, vt diximus. Si vero aliquid horum deficiat, impossibile est simpliciter per

per se esse sufficientem huiusmodi societatem, necessarium est ergo his operibus ciuitatem cõstare. Esse igitur oportet multitudinem agricolarum, qui victum conferant, & artifices, & pugnatores, & locupletes, & sacerdotes, & iudices necessariorum atque vtilium.

Quæ ciuitatis partes quibus hominum generibus conueniant.

CAP. IX.

His determinatis, reliquum est considerare, vtrum omnes communicare debent horum omnium (fieri enim potest, vt iidem ipsi sint & agricolæ, & artifices, & consultores, & iudicantes) vel in vnoquoque opere supra dictorum alios ponendum est, vel quædam esse propria, quædam vero communia necessarium est. Sed non in omni republica hoc, vt diximus, contingit, nam fieri potest, vt omnes participent omnium, & non omnes omnium, sed quidam quorundam, hæc enim faciunt rerumpublicarum varietatem, nam in populari quidem participant omnes omnium: in paucorum autem potentia contrarium est. Cùm autem consideratio nostra sit de optima republica, ea vero est, per quam ciuitas esset maxime felix, felicitatem autem, quòd sine virtute impossibile est existere primo diximus, manifestum, quòd in ciuitate quæ optime gubernetur, & quæ iustos habeat ciues simpliciter, ac non ad suppositionem, neque artifices, neque mercatores ciues esse oportet: vilis est enim huiusmodi vita, & virtuti aduersa, nec certe agricolas esse oportet eos, qui futuri sint ciues, opus est enim quiete & otio ad virtutem comparandam,

randam, & ad rempublicam gerendam. Cùm vero hi supersint qui bello intendunt, & qui consultant de vtilibus, & iudicant de iustis & non iustis, qui quidem maxime videntur partes ciuitatis, vtrum & hos esse alios ponendum sit, vel eisdem hominibus ambas partes tribuendum? Clarum est, quòd quodam modo eisdem, & quodam modo aliis. quà enim alterius vigoris vtrunq; opus. & alterum prudentia, alterum viribus indiget, aliis: quà vero impossibile est, eos qui afferre vim & prohibere hos possunt, subiectionem pati semper eisdem, qui enim armorum domini sunt, iidem etiam sunt domini status, vel mutationis reipublicæ. Restat igitur, vt eisdem quidem ambobus respublica tradatur, non simul quidem, sed vt natura fert. Vires quidem in iunioribus sunt, prudẽtia vero in senibus. sic inter eos distribui, commodum est, & iustum esse videtur. habebit enim hæc distributio id, quod est secundũ dignitatem. Atqui possessiones quoque circa hos esse oportet. necesse est enim facultates adesse ciuibus, hi autẽ sunt ciues. nam turba quidem vrbana villium ministrorum nulla pars est ciuitatis, nec aliud genus quodcunq; quod non sit virtutis effector. Patet hoc ex eo quod præmisimus. felicitas enim necesse est, vt per virtutem fiat. felicem vero dicere ciuitatem debemus, non ad partem aliquam eius respicientes, sed ad omnes ciues. Manifestum igitur quòd horum esse possessiones oportet: siquidem necesse est agricolas esse seruos, vel Barbaros, vel ministros. Reliquum est ex his qui supra numerati sunt, genus sacerdotum esse, quorum institutio manifesta est. neque enim agricola, neq; artifex, neq. vilium exercitiorum quisq

quisquam sacerdos est deputãdus. honos enim Diis est à ciuibus impendendus. Sed cùm distincti sint ciues in partes duas, hoc est in eos qui arma tenent, & in eos qui consultant, & decens sit Diis cultum exhibere, & requiem suscipere eos, qui pro tempore in his laborauerunt ac defessi sunt, his vtiq; esset sacrorum cura demandanda. Quæ sint igitur, sine quibus ciuitas stare non potest. & quot sint ciuitatis partes, dictum sit. Agricolas enim & artifices, & omne ministerium ciuitatibus existere necessariò est. Sed partes ciuitatis sunt qui arma tenent, & qui cõsultant. & separatum est vnumquodque istorum: hoc quidem semper, hoc vero secundum partem.

De distributione ciuitatis, comessationibus, partitione regionis, ciuibus, & agricolis.

CAP. X.

VIdetur autem non nunc neque paulo ante hoc notum fuisse his, qui de republica philosophantur, quòd per genera sit ciuitas distinguenda: & pugnatorum genus aliud esse, aliud agricolarum. nam & in Aegypto vsque ad hoc tempus, in hunc modum se habet, & in Creta. in Aegypto quidem Sesostri legem ferente, in Creta vero Minoë. Antiqua videtur etiam comessationum institutio, quod in Creta factum est Minoe regnante: sed multo prius hoc in Italia quàm in Creta constitutum fuit. Tradunt enim periti homines illorum locorum, fuisse Italum quendam Oenotriæ regem, à quo mutato nomine pro Oenotris Itali sunt vocitati, orámque illam maritimam Europæ, quæ est inter Scyllaticum & Lameticum sinum (distant vero

hæc

hæc loca inter se meridiei iter) Italiæ nomen primo cœpisse. Hunc ergo Italum tradunt agriculturam Oenotros docuisse, cùm prius essent pastores vagi, ac palantes, illisq; leges posuisse, & commessationes instituisse primum. Quapropter etiam nunc quidam illorum populorum commessationibus vtuntur, & legibus quibusdam ab illo positis. Incolebant autem eam Italiæ partem, quæ ad Tyrrheniam versa est Opici, qui nunc Ausonij nominantur. Alteram vero partem quæ ad Iapygiam & Ionium pertinet, incolebant Chaones, Syrtim appellatam: & ipsi quoque ab Oenotris orti. Inuentio igitur commessationum hinc primum extitit. Diuisio autem ciuitatis per genera, apud Ægyptum incepit. Sesostris enim multis temporibus ante fuit, quàm Minos in Creta regnaret. Et alia ferè credendum est eodem modo Inuenta fuisse multoties in longo tempore, imò vero infinities. Nam quæ necessaria sunt ad vsum vitæ, indigentiam ipsam docuisse rationabile est: & illis repertis additamenta postmodum facta fuisse, ad expolitiorem viuendi formam, quod eodem modo in constitutione rerumpublicarum accidisse credendum est. Esse vero cuncta vetusta, signum est, quòd Ægyptij (quorum antiquitas maxima putatur) leges habuerunt, & ciuilem institutionem. Quapropter vtendum est iis quæ sufficienter tradita sunt, & quæ deficiunt reperire conandum. Quòd igitur agri & possessiones eorum esse debent qui arma tenent, quisque partes sunt ciuitatis, dictum est: & qua de causa cultores illarum alios esse oportet, & quanta & qualis debet esse regio. De distributione vero ipsius regionis, & qui, & quales

les debent esse cultores, dicendum est. Quandoquidem neque communes omnium censemus esse debere possessiones, vt quidam tradiderè: sed vsu amicabili communes fieri, neque deesse vlli ciuium alimenta. De commessationibus videtur quoque omnibus vtile esse, vt alias bene institutis ciuitatibus. Quam vero ob causam nobis quoque idem videatur, postea dicemus. Oportet autem ciues vniuersos ad earum communionem admitti, at non facile est, vt qui pauperes sint, contribuere statutam pensionem ex proprio possint, & cæteram domum gubernare. Præterea in sacrificiis, cultúque deorum sumptus communes esse debent totius ciuitatis. Est igitur necessarium in duas partes regionem diuidere, & aliam esse publicam aliam priuatorum. Vtraque illarum partium rursus dividenda est: illius namque partis quam publicam esse debere diximus, vna pars deorum cultui deputãda est, altera vero ad commessationum compensam. Rursus vero priuati agri ars vna ad proprias necessitates est deputata, altera vero ad ciuitatem: vt duabus sortibus vtrinque distributis, amborum locorum omnes participes sint, æquum enim & iustum a se habet, & ad finitima bella concordantius. Vbi enim hic modus non seruatur, alij facilèr prosiliunt ad finitimorum inimicitias: alij timium illas refugiunt, & contra dignitatem. Quamobrem apud quosdã lex est, vt qui agros habet vicinos, hi non admittantur ad consilia belli aduersus illos suscipiendi, quasi ob iuratam sui causam recte consilium dare no/aleates. Agrorum igitur per hunc modum facienda partitio est, ob causas antè dictas. Cultores autem ipsi maxime

maxime quidem si secundū votum optandum est, seruī esse debent: neq; omnis vnius generis, neq. animo elati, ita & ad faciendum opus vtiles iorent, & nihil noui ab eis metueretur. Secūdo autem loco Barbari ministri, natura similes his quos supra diximus. Horum autem in priuatis quidem agris & ipsi priuatorum domino rum sint, in publicis vero publici. Quemadmodum autem seruis vtendum sit, & quare melius est omnibus seruis præmiū libertatis esse propositum, postea dicemus.

De situ vrbiū, locis in ea ad diuersa accommodatis priuatis ædibus, mœnis, & ipsius ornatu.

CAP. XI.

VRbs autē quòd terræ marisq; particeps esse debet, & quòd ad totā regionē similiter debet esse communis quātum fieri potest, dictū est prius: ipsius autem ad seipsam, optandū est positionē sortiri, ad quatuor respicientes. Primū ad sanitatem, ad orientē enim Solem conuersæ vrbes, & ad eos ventos qui inde perflant, salubriores sunt: secundo loco quæ sunt secundū Boream sitæ: hæ nanq; sunt ad hyberna potiores. In reliqui vero, vt ad ciuiles res & ad bellicas opportunè habeat: ad bellicas quidem, vt facilis sit ciuibus in aliena egressio, hostibus autē difficilis aditus, ac difficilis circundatio. Aquarum autem & fagnorū abundantiā habeat, maxime naturalem, quòd si naturalis deficiat, ex aqua pluuia: cernē & lacus, qui magnam vim aquarum suscipiant, comparentur, ita vt deesse aqua, si quando obsiderentur, nunquam possit. Sed cùm oporteat de sanitate habitantium curam habere, hoc tem sit primū in situ & qualitate loci, secundum in aquarum salubritū vsū, in ea quoque re est diligentia merito adhibenda. Quibus enim plurimum & frequentissime vtimur ad corpus, ea plurimum important ad sanitatem. aquarum autem & ventorum potentia talem habent naturam. Quapropter in ciuitatibus quæ recte sapiunt, distinguendus est aquarum vsus, si non omnes sint pares, nec abundantia sit earum aquarum, vt aliæ seorsum aquæ ad cibum & potum, aliæ ad aliam indigentiam deputentur. Loca autem munita, non pariter cunctis ciuitatibus vtilia sunt. vtpura arx ad dominationem vnius, vel paucorum, in populari vero viuendi modo, æqualitas loci, in optimatum vero gubernatione, neutrū horum, sed magis loci plures ardui. Priuatarum autem domorum forma gratior & commodior ad exteras res existimatur secundum nouorem istum Hippodamium morem: sed ad securitatem tutelāmq; ciuitatis vtilior erat antiquorum ædificatio. habent enim illorum ædificia inextricabiles aditus, ex quibus nisi conscii euadere vix possunt, & inscrutabiles lateras, siqui aggrederentur: ex quo vtriusque horum participare debent. potest enim hoc fieri, si quis ita disponat, vt solent agricolæ illos, quos vocant quidam vinearum tramites. Et totam vrbem nō facere penetrabilem, sed partes quasdam & loca. sic enim ad securitatem, & ad ornatum se bene habebit. Mœnia vero qui dicunt non oportere adesse ciuitatibus illis, quæ virtutem possideant, nimium prisce loquuntur: & hoc patent per experientiam reprobatum in iis ciuitatibus, quæ sibi id ad gloriam iactabant. est enim ad pares ac non multo excedentes multi-

tudine, non satis decorum per mœnia seruari velle. sed cùm aliquando contingat & fieri possit, vt multo maior hominum multitudo, & maiori virtute superueniant, si saluos esse oportet, neq; perire, neque contumeliis affici, firmissimam munitionem murorum putandum est opportunissimam esse in bello: præsertim hoc tempore, in quo tormenta & machinæ ad obsidiones vrbium cum omni subtilitate sunt adinuenta. Simile est enim ciuitatem non circundãdam mœnibus censere, & regionem facilem ad inuadendum quærere, & deiicere montuosa loca, & priuatis domibus nõ circundare parietes, quasi viles futuri sint habitatores. Atqui ne id quidẽ latere oportet, quòd qui mœnibus circundantur, eis licet in vtranque partem vti vrbibus, & tanquam muros habentibus, & tanquam non habentibus: sed eis qui mœnia non habent, non licet. Si ergo per hunc modum se habet, non solum mœnia circũdanda sunt vrbi, verumetiam curandum vt & ad ornatum ciuitatis se habeãt decenter, & ad bellicas opportunitates, tum alias, tum ad illas quæ nunc repertæ sunt. Vt enim aggressoribus cura est quibus modis vincant, ita quædam iam reperta sunt, quædam inuestigare atque philosophari oportet eos qui defendunt. principio enim non aggrediuntur eos qui bene se præparauerunt expugnare.

De ædibus sacris, foris, & locis comessationum.

CAP. XII.

CVm vero multitudo ciuium in comessationes distributa esse debeat, mœnia vero sint præsidiis quibusdam, & tutribus per opportuna loca interpositis munienda, clarum est, quòd

quòd res exigit aliquas comessationum, in illis ipsis præsidiis collocari. & hæc quidem per hũc vtique modum videntur constituenda. Aedes vero Deorũ, ac principalissimæ magistratuum comessationes, idoneum locum habere debent, & eundem sacra quotcunque lex non separat, aut responsum oraculi. Esset autem talis locus quisquis supereminentiam haberet & ad edendam virtutem sufficienter, & ad vicinas partes ciuitatis excellenter. Decet autem sub hunc locum constructionem fori esse talem, qualis est in Thessalia eius quod liberum vocant, id est quod debet esse purum ab omni mercatu, & neque opifices, neque agricolas, neque alios vllos tales illi appropinquare, nisi à magistratibus vocarentur. Esset vero hic locus grator, si & gymnasia seniorum in eo sint constituta. decet enim secundum ætates distribui hunc ornatum, & in iuuenibus magistratus quosdam versari, seniores autem magistratibus assistere. præsentia enim magistratuum ante oculos posita gignit veram reuerentiam, liberalẽmque pudorem. Venalium autem rerum, aliud forum esse debet & alio loco situm, accessu facile, quo & à terra & à mari facilis sit importatio omnium. Cùm vero multitudo ciuium diuisa sit in sacerdotes & magistratus, decens est sacerdotibus circa ædes sacras esse comessationes institutas. Magistratuum autem quicunque de contractibus ius dicunt, & qui accusationibus cognoscunt, & qui circa vocationes in ius, & aliã huiusmodi administrationem intendunt. & insuper qui ædilitatis & vrbanarum rerum curam gerunt, iuxta forum in loco celebri, communiq. sint comessationes statuendæ. talis est locus il-

lius sori, in quo necessaria venundantur. nam alterum illud forum superiori loco situm, debere esse diximus otiosum. hoc autem ad negotia rerum deputari. Hunc eundem ordinem in regione quoque imitandum esse dicimus. sunt enim magistratus quidam apud rusticos, quos alij syluarum custodes, alij † rectores appellant: quibus & loca ad custodiam regionis, & comessationes sunt iisdem in locis constituendæ. Templa quoque per regionem distributa esse debent, partim Diis, partim heroibus. Sed immorari nunc circa ista superfluum est, cùm sint illa non difficilia cognitu, sed magis facta dicere enim, vóti est: euenire autem, fortunæ. Quapropter circa talia insistere, ad præsens omittamus.

† agrimensores.

In quibus bene agere consistat. De felicitate, & de iis quibus homines sunt studiosi.

CAP. XIII.

DE republica autem ipsa, ex quibus & qualibus constare debet ciuitas, quæ beata sit futura, & rectè gubernari, dicendum est. Duo sunt, in quibus omnis commendatio bene agendi consistit. vnum, vt propositum ac finis agendi rectè subiaceat aliud, vt eas, quæ ad illum finem ferant, actiones inueniamus. Fieri enim potest, vt & concordent hæc inter se, & discordent. nam quandoque illud ad quod intenditur, rectè iacet: sed in actionibus per quas illo potiri cupimus, aberratur. quandoque autem omnia ad finem diriguntursed finis ipse est prauè positus. quandoque etiam in vtroque est error, veluti circa medicinam. neq; enim quale aliquid esse oportet sanum corpus, recte iudicat interdum, neque

neque ad subiectum sibi finem opera dirigitur. Oportet autem in artibus & scientiis hæc vtraq; obtineri, finem, & eas quæ sunt ad finem actiones. Quòd igitur bene viuere ac felices esse omnes cupiunt, manifestum est. sed aliis potestas est adipiscendi, aliis non propter fortunam aliquam, vel naturam. opus est enim adiumentis quibusdam ad bene viuendum, minoribus quidem illis, quæ melius disposita sunt, maioribus autem, qui pejus. alij vero, statim nõ rectè quærunt felicitatem cùm possint. Cùm autem propositum nostrum sit optimam rempublicam, vitam vero est, per quam ciuitas optime gubernetur: optime autem gubernatur, si felicitatem maximè recipiat manifestũ est, quòd quid sit felicitas, latere non debet. Diximus autem in Ethicis, si modo illorum librorum vtilitas vlla est, operationem esse, & vsum virtutis perfectũ, & hunc non ex suppositione, sed simpliciter. Ea autem ex suppositione, quæ necessaria sunt: simpliciter autem, quod in seipso commendationem habet: veluti circa res iustas iudicare, punire, supplicio afficere, à virtute quidem est, sed ex necessitate, commendationémque habet ex compulsione. eligibilius nanque foret nullo tali indigere, neque hominem neque ciuitatem. At enim ad honores & opes, simpliciter sunt optimæ actiones. nam alterum quidem illud mali alicuius electio est. hæ autem contra, effectiones enim bonorum sunt, & generationes. Studiosus enim vir, & paupertate, & morbo, & aliis fortunæ aduersitatibus laudabiliter vtitur: verumtamen felicitas in contrariis existit. nam & hoc determinatum fuit in Ethicorum libris, quòd talis est studiosus, cui per virtutem bona, sunt sim

pliciter bona. patet autem, quòd & vsus istos necessarium est studiosos & bonos esse simpliciter. Quapropter existimant homines, externa bona causam esse felicitatis: seu siquis bene pulsandi causam putat esse lyram magis quàm artem. Necessarium est ergo ex his quę dicta sunt alia subesse, alia parare legis positorem, ex quo secundum votum optamus constitutionem ciuitatis in his, quorum domina est fortuna: dominam enim illam posuimus, sed studiosam esse ciuitatem, non est fortunæ opus, sed scientiæ ac electionis. At studiosa ciuitas est, vt ciues qui in republica versantur sint studiosi. omnibus autem omnes ciues participes sunt reipublicæ. Hoc igitur considerandum est, quomodo fiant studiosi. nam si contingat omnes esse studiosos, non autem singulos ciuium, sic foret optabilius: sequitur enim ad singulos esse, & omnes esse. Atqui boni quidem & studiosi fiunt propter tria. Sunt autem hæc tria, natura, mos, & ratio. etenim nasci oportet primum, ceu hominem, & non aliud animal: & sic qualem aliquem secundum corpus & animam. Quædam etiam nasci nulla vtilitas est: mores enim mutari faciunt. nam aliqua per naturam ad vtrunque apta, per mores ad peius vel ad melius conuertuntur. Cætera igitur animalia maxime viuunt secundum naturam, parum vero aliquid & secundum mores. homo autem & secundum rationem. solus enim rationem habet. Ita oportet hæc simul concordare. multa enim præter mores, & præter naturam agunt homines propter rationem, si persuadeatur melius esse aliter agere. Natura igitur quales esse oportet eos, qui legum positori sint pariturі, determinatum est prius. Reliquum

quum opus est iam disciplinæ: quædam enim assuescendo discuntur, quædam audiendo.

Quos oporteat esse imperantes, & parentes, eosdemne ad diuersos partes & ipsorum disciplinam. Et ad quæ respicere debeat legum positor, ac de quibus ipse non laudatur.

CAP. XIIII.

CVm vero omnis societas ciuilis constet ex imperantibus & parentibus, hoc iam considerandum est, vtrum alios esse oporteat qui imperant, & alios qui parent, an eosdem per vitam. patet enim quòd & disciplina secundum hanc diuisionem sequi debebit. Si ergo tantum differrent alteri ab aliis, quantum Dij & heroes ab hominibus differre putantur, vt primum statim corpore, ac postea animo longe antecellerent, ac manifeste indubitatéque appareret eorum supereminentia, clarum est quòd semper eosdem istos melius foret imperare, alios vero parére. Sed cùm facile non sit hoc reperire, nec sic (vt apud Indos Scylax esse ait) reges tantum a populis differre manifestum est, quòd propter multas causas necessarium est, vt omnes similiter participes sint vicissim imperandi & parendi. æquum enim idem similibus: & difficile est stare rempublicam, quæ constituta sit præter iustitiam. cum illis enim, qui ab imperando excluderentur, concurrent omnes qui sunt in regione, statum mutare cupientes: & tantam esse multitudinem in reipublicæ gubernatione, vt sic potentior istis, vnum aliquid impossibilium est. At enim quòd oportet eos qui in magistratu

sunt differre à subiectis, indubitabile est. quomodo ergo hæc futura sint, & quomodo participent, considerare debet legislator, vt prius diximus. Natura enim ostendit, quemadmodum hæc distinguenda sunt. fecit enim eosdem genere, alios iuniores, alios seniores: quorum alteri debent parere gubernantibus, alteri gubernare. Indignatur autem nemo propter ætatem maiori concedere. nec putat illum cui cedit, potiorem esse se: præsertim cùm & ipse quando ad id ætatis peruenerit, eundem honorem sit receptus. est ergo vt eosdem esse dicere eos qui parent & imperant: est etiam vt diuersos. Itaq; & disciplinam, vt eandem dicere necesse est, & vt diuersam. qui enim imperare velit recte, oportere, aiunt, prius sub imperio fuisse. Imperium vero, vt in primis libris dictum fuit, aut gratia imperantis est, aut gratia subiectorum. horum alterum seruorum esse diximus, alterum liberorum. Mandatorum vero quædam inter se differunt, non in agendo, sed in cuius gratia. Quapropter multa quæ videntur esse ministrorum opera & adolescentium, liberis hominibus pulchrum est ministrare: ad pulchrum enim & non pulchrum non tantum differunt actiones propter seipsas, quantum in fine & gratia cuius. Cùm vero ciuis & præsidentis eandem virtutem esse dixerimus, quæ optimi viri, & eundem prius parere debere, postea imperare: hoc vtique erit legum positori intuendum laborándumque, vt boni viri efficiantur, & per quæ exercitia, & quis finis optimæ vitæ. Diuersæ autem sunt duæ partes animæ, quarum altera rationem per se habet, altera non habet quidem per se, verumtamen rationi obtemperare potest: quarum diximus

nus esse virtutes illas, per quas vir bonus dicitur quodammodo. Sed in vtra istarum magis est finis? Qui ita diuidunt, vt nos facimus, hic ambiguum non est quomodo sit dicendum: semper enim deterius melioris gratia est. patet hoc in his quæ sunt secundum artem, & in his quæ sunt secundum naturam: melius autem illud quod rationem habet. Diuiditur autem dupliciter, vt nos consueuimus diuidere: est enim ratio alia actiua, alia contemplatiua. Sic ergo necesse est & hanc partem diuidere, & actiones earum est quòd correspondenter se habere dicemus. & oportet eas actiones quæ sunt meliores secundum naturam, magis expetendas esse ab illis qui consequi possunt, aut omnia, aut illa actiua: semper enim cuique id est maxime expetendum, cuius potiri est summum. Diuisa est autem vita tota in negotium & otium, bellúmque & pacem. Et agibilium quædam sunt necessaria & vtilia, quædam honesta: in quibus necesse est eandem esse optionem & partibus animæ & ipsarum actionibus: bellum quidem gratia pacis, negotium autem gratia otij; necessaria & vtilia, gratia honestorum. Ad cuncta igitur hæc aspicere debet, qui legem ponit, & ad partes animæ, & ad illarum actiones: magis vero ad ea quæ meliora sunt & finis. Eodem modo & circa vitas & rerum diuisiones. posse enim oportet & in negotio versari, & in bello. præferenda tamen est pax & otium, necessaria & vtilia posse agere, præferenda sunt tamen honesta. Itaque ad hæc tanquam ad signum, & pueri adhuc existentes, & aliæ ætates quæ indigent, per disciplinam sunt dirigendæ. Nam qui nunc Græcorum recte gubernari videntur, & legumlatores

qui eas respublicas instituere, neque ad optimum finem videntur aspexisse, neque id ad omnes virtutes disciplinam & leges direxisse: sed oneroſæ declinauerunt ad illas virtutes, quæ vtiles dentur vtiles ac plus habere faciunt. Similiter quoque posterorum quidam scriptores opinionem suam eandem ostenderunt. laudátes enim Lacedæmoniorum rempublic. admirantur & commendant legislatoris eius propositũ, quòd omnia ad potentiam & ad bellum direxerit: quæ & per rationem refelli possunt, & per facta ipsa nunc reprobata sunt. Vt enim plurimi hominum dominari late cupiunt, quoniam exinde multa prouenium fortunæ commoda: sic Thibron admirari laudaréque videtur Lacedæmoniorum legumlatorem, & quicunque alter de republica illorum scripsit, quòd propter exercitationem eorum ad pericula, multorum dominationẽ sibi comparárunt. Atqui patet, quòd cum non habeant nunc dominationem Lacedæmonij, nec felices amplius essent, nec legumlator eorum bonus. Insuper illud ridiculum, si permanentes in legibus eius, nullóque impediente illis legibus vti, amiserunt bene viuere. Non recte vero suscipiunt, neque de dominatione, ad quam intendisse legislatorem ostendunt, nam imperium liberorum melius est ac magis ex virtute, quàm dominari, vt seruitmanda, neque legislator laudandus, quòd vincere docuerit, & finitimis dominari. hæc enim magnum continent nocumentum. nam adoetsus ciues hoc aget qui poterit, & ciuitati sux dominari quæret. de quo accusant Lacedæmonij Pausaniam, licet in tanta dignitate cõstitutum.

Nec

Nec sanè aliqua huiusmodi ratio est aut lex ciuilis, neq; vtilis neq; vera. eadem enim optima & priuatim & publice legumlatorem inducere oportet in animos hominum. Neq; exercitatio rerum bellicarum ob id est meditanda, vt in seruitutem adigant immerentes: sed primum ne ipsi seruire aliis compellantur. deinde, vt imperium quærant gratia vtilitatis subiectorum, non ante omnia dominationem: tertio, vt eis dominentur, qui seruire sunt digni. Quòd autẽ oporteat legis positorem studere, vt prouisio sua circa res bellicas & circa alias institutiones ad otium & ad pacẽ referatur, id attestatur, quòd pleræq; talium ciuitatum bellum gerentes conseruantur: sed cum dominationem adeptæ sunt, destruuntur, splendorem enim velati ferrũ per pacem amittunt. Causa huius est legumpositor, qui non ita instituit, vt in otio state possint.

Quibus virtutibus & pacis, & belli tempore opus sit, & à quo primum eruditio facienda sit.

CAP. XV.

CVm ergo idem finis esse videatur publice & priuatim hominibus, & eandem definitionem esse necesse sit viro optimo & optimæ reipublicæ: manifestum est oportere virtutes eas quæ ad otiũ spectant, illi existere. finis est enim, vt sæpe iam diximus, belli pax, negotij otium. sunt autem vtiles ad otium & quietem virtutes, quarum opus in otio est, & quarum in negotio. oportet autem multa negotiorum nobis existere, vt liceat in otio esse. Quapropter temperatam ciuitatem esse oportet, ac fortem & patientem. nam, vt est in prouerbio, nullum otium seruis, qui vero non possunt fortiter pericula subire,

subire, seruí sunt inuadentiú. Fortitudine ígitur & cõstantia opus est ad negotium: philosophia vero ad otium, temperantia autem & iustitia in vtroq; tempore, sed magis in pace & otio. nam bellum quidem ipsum cogit homines esse iustos ac temperatos, fortunæ autẽ prosperæ fruitio, & otium cum pace, petulantes magis facit. Multa igitur iustitia, multâque temperantia indigent hi, qui in optimo statu constituti videntur, & la fruitione omnium rerum, quæ beatos facere putantur, veluti siqui sunt, vt Poetæ tradunt, in beatorum insulis. maxime enim hi philosophia, & temperantia & iustitia indigerent, quanto magis otiosi sunt in abundantia talium bonorum. Qua igitur de causa beata & studiosa futura ciuitas his indigeat virtutibus, manifestum est. turpe est enim, non posse frui bonis sed in negotiis quidẽ & bello viros probos videri, in otio autem & pace seruiles. Quamobrẽ oportet, non quemadmodum Lacedæmonioru ciuitas, virtutem exercere. illi enim non eo ab aliis differunt, quòd non putent eadẽ maxima bona quæ cæteri, sed eo quòd prouenire illa existimant magis per aliquam virtutem. Cum vero maiora sint hæc bona, quàm ea quæ belli, & fruitio eorũ quàm virtutum, & quia illius gratia, manifestum ex his. Quomodo autem, & per quæ id erit, vtiq; considerãdum. Diximus iã pridem distinguentes, quòd natura, & more, & ratione indigemus. ex his autẽ quales aliquos natura esse oportet determinauimus. Restat videre, vtrum ratione prius an moribus sit eruditio tractanda. hæc enim simul concordare debent optima concordatione. contingit enim rationem aberrare ab optima suppositione, & similes per mores

duci.

duci. Clarum est hoc primum quidem, quemadmodum in aliis, quòd generatio est à principio, & finis à principio aliquo alterius finis, ratio autem nobis & mens naturæ finis: quare ad hæc generationem ac morum institutionem parare oportet. Deinde vt anima & corpus duo sunt, vitæ quoque duas videmus esse animæ partes, vnam irrationalem, alteram quæ habet rationem: habitus quoque earum duos, quorum alter est appetitio, alter mens. Vt autem corpus in generationem antecedit animam, sic pars irrationalis antecedit eam partem quæ habet rationem. Patet id in pueris, quibus statim ira & voluntas & concupiscentia existimat ratio & mens, procedente ætate, in illis fieri natæ sunt. Quapropter corporis curam necesse est prius suscipere, quàm animi, deinde appetitus, curam tamen appetitus qui gratia mentis: curam vero corporis, qui gratia animi. Si ergo ab initio prouidendum est à legis positore, vt optima sint corpora eorum qui educantur, primo quidem circa coniugia prouidere debet, qua ætate & cuiusmodi existentes, sint in matrimonium copulandi.

Quæ circa coniugia, ac liberorum procreationem considerãda sint, ac peragenda.

CAP. XVI.

HOc autem instituet legis positor, inspiciens ad ipsos, & ad vitæ tempus, vt ætatibus in idem concurrant, nec discrepet gignendi potentia. Viro enim adhuc generare potente, si mulier ipsa concipere non possit: vel mulierem quidem ad concipiendum aptam, si vir

ipse

ipse non posſit, lites ac discordiæ inter eos oriuntur. Ad filiorum quoque susceptionem est inspiciendum, ne nimis distent ab ætate paterna: quoniam nec ipsi senioribus gratiam referre vllam possunt, nec patentes filiis adiumenta præstare. Nec etiam nimis proximi ad ætatem paternam accedere debent filii. habet enim hoc turbationem non paruam: cùm neque tanta sit reuerentia huiusmodi filij erga genitores, vtpote quasi æqualibus, & circa gubernationem domus querelæ ex ista quasi paritate soleant prouenire. Insuper, quod dicere incipientes huc digressi fuimus, vt corpora natorum sint secundum legis positoris voluntatem, serè quidem hæc omnia prouenient per vnam diligentiam. Nam cum sit finis gignendi, vt plurimum viris quidem septuagesimus annus, mulieribus autem quinquagesimus: ita coniugandi ab initio sunt, vt ætatibus ad hunc finem concurrant. Est autem adolescentium coniunctio improba ad filiorum procreationem. in cunctis enim animalibus iuueniles partus imperfecti sunt, & fœminæ crebrius quàm mares, & parua corporis forma gignuntur, quocirca necesse est hoc idem in hominibus prouenire. Huius autem coniectura fuerit, quòd in quibuscunque ciuitatibus consuetudo est adolescentes mares puellásque coniugari, in eisdem inutilia ac pusilla hominum corpora existunt, in partu quoque laborant magis puellæ, ac pereunt plures. Ex quo responsum oraculi Troezenijs datum quidam existimant, ob istam causam, quasi multis pereuntibus propter immaturitatem nuptiarum, non propter fructuum collectionem. Ad continentiam quoque vtile est nuptias ferioi

ri sertiores. intemperatiores enim esse videntur, cùm puellæ veneri assuescunt. At masculorum corpora crescere impediuntur, si adhuc augente semine † consuetudinem ineant. nam huius terminus quispiam esse videtur, quem non multo excedit amplius. Quapropter puellas quidem circa ætatem decem & octo annorum nuptui tradere congruit, masculos autem circiter ætatem annorum septem & triginta. in hoc enim tempore, & vigentibus corporibus coniungentur, ac procedente tempore simul apte desinent procreare posse, & filiorum susceptio partim erit ab initio eis ætate vigentibus adhuc, si recte procedat statim generatio: partim iam vergentibus ad annum septuagesimum. Quibus igitur ætatibus coniugia sint facienda dictum sit. Tempus autem anni, vt nunc multi obseruant, recte per hyemem aptius ad nuptias esse videtur, sed considerandi sunt in procreatione liberorum, quæ à medicis & quæ à physicis traduntur. Medici enim tempora corporum sufficienter ostendunt: physici autem de spiritibus, boreales magis quàm australes laudant. Quæ autem corpora maxime vtilia sint, magis dicendum esset, vbi disciplina librorum tractatur, summatim vero sat fuerit nunc dixisse. neque enim Athletarum habitudo vtilis foret ad eiusdem habitum, neque ad sanitatem, & procreationem liberorum: nec rursus humilis & imbecilla nimium, sed media istarum. laboriosam enim habitudinem habere oportet, exercitatam vero laboribus non violentis, neque ad vnum laborem solum, vt Athletarum habitudo, sed ad liberalia opera. hæc autem similiter viris mulieribúsque exi

† ad corpor.
vt.

existere debent. Prægnantes quoque mulieres curam habere corporum oportet, non pigrescentes, neque subtili vrentes alimonia, hoc autem facile est legum positori prouidere, si iubeat singulis diebus iter quoddam facere debere ad Deorum sacra mulieres, quæ sortitæ sint concipiendi honorem. Mens tamen contra quàm corpus, in tranquillitate est traducenda. quæ enim fiunt, ab ea quæ continet, capere videntur: quemadmodum illa quæ nascuntur à terra. Circa expositionem autem vel educationem filiorum lex sit, nihil orbatum natura forte educandum. In aliis vero, si mores institutio que ciuitatis prohibeant natos exponere, ac multitudo tanta prolis alicui contigerit, vt duplicatus sit filiorum numerus (nam is definitus esse debet) ad multitudinem nimiam cuitandam anteuenire oportet, vt non concipiantur. nam postquam concepti sunt, & sensum aut vitam acceperint, nefas est attingere eos. Cùm vero determinatum sit, qua ætate vir & vxor sint ab initio coniugandi, quanto tempore liberis operationem dare conueniat, determinemus. Seniorum enim fœtus, quemadmodum iuniorum imperfecti sunt, & corporibus & intellectibus: senescentium quoque fœtus sint irrobusti: quapropter illud maxime tempus probandum est, in quo maxime intelligentia viget in nobis, id autem esset in plurimis, circiter annum quinquagesimum, vt Poëtarum quidam dixerunt, septenario numero ætatem dimetientes. Itaque qui quatuor aut quinque annis hanc ætatem excesserint, dereliquere debent in aperto procreandi studium, ac de cætero vel sanitatis, vel alterius huiusmodi

modi causa concubitum facere videri. Coitus vero omnis alterius quàm coniugis, penitus sit interdictus, quàdoquidem sit & appelletur confusus. Quòd si quis deprehendatur contra facere per tempus procreationis, dignam pro delicto pœnam reportet.

De vsu, & institutione puerorum.

CAP. XVII.

SVscepti autem filii, multum referre putandum est ad corporis robur, quali victu nutriantur. Apparet vero ex cæteris animalibus, & ex gentibus, quibus cura est assidua bellicæ habitudinis, nutrimentum lactis maxime proprium esse corporibus: abstemium autem magis propter ægritudines. Et præterea motus quoscunque in ea ætate fieri datur, conferunt. Nec membra vero ob teneritudinem distorta fiant, vtuntur adhuc gentes aliquæ organis quibusdam & machinis, quæ corpus à talibus illæsum conseruant. Confert etiam statim à pueritia frigori assuescere. hoc enim & ad sanitatem, & ad res bellicas vtile est. Quapropter apud multos Barbarorum consuetudo est, vel lauacro amne natos immergere, vel parua veste amictire, vt faciunt Galli: ad cuncta enim ad quæ possibile est, statim ab initio melius est assuescere, est autem apta puerorum natura ob corporum calorem, ad frigus exercendi. Circa priorem igitur ætatem hæc & huiusmodi diligentia est adhibenda. Sequenti vero ætate vsque ad annos quinque, quia nondum ad disciplinam aliquam sunt admouendi, neque laborent perferre cogendi, ne crescere impediantur, motus

solummodo quosdam suscipere debent, quo pigritiam corporis euitent, aut motus præparandi sunt illis, & per alios actus, & per ludum. ludi vero ipsi, neque illiberales neque laboriosi esse debent, neque remissi. Quas autem narrationes & fabulas illa ætate pueri audire debeant, cura sit iis qui pueris publice præficiuntur. cuncta enim talia ad conuersationes postea futuras accommodanda sunt, itaque ludi vt plurimum tales esse debent, vt sint imitationes eorum quæ postea serio erunt facienda. Cohibitiones vero puerorum & interruptiones ploratus qui legibus prohibent, non recte faciunt. sunt enim vtiles ad augmentum, cùm sint quodammodo exercitationes corporum. spiritus enim compressio facit robur laborantibus, quod contingit etiam pueris ploratum cohibentibus. Prouidendum est ab his, quibus puerorum cura publice commissa est, circa huiusmodi educationem, & alia, & vt quàm minime cum seruis versentur. hæc enim ætas vsque ad annos septem, necessarium est vt domi alatur, rationabile est ergo præcipue in hac ætate, vt ab auditu & visu seruilium rerum absint. Omnino igitur obscœnitas verborum, vt & quicquam aliud, per legislatorem exterminanda est de ciuitate. ex turpiter enim loquendi licentia sequitur & turpiter facere. Potissimum igitur statim a pueris, neque dicant, neque audiant quicquam turpe. Si quis vero dicere aut facere quicquam prohibitorum deprehensus fuerit, is si liber sit, sed nondum in conuentum comessatorum dignatus assumi, honore prohibeatur & verberibus castigetur, sed si sit maioris ætatis, seruili infamia afficiatur. admissi seruilis officij gratia.

Cùm

Cùm vero dicere quicquam interdixerimus, etiam est quòd & aspicere aut picturas, aut actus deformes prohibemus. Sit igitur cura magistratibus, nullam neque picturam neque statuam esse talium rerum imitatricem, nisi apud Deos quosdam, quibus etiam lasciuiam mos tribuit, apud hos permittet lex iam homines factos pro se, & filiis, & vxoribus sacra facere. Iuniores autem neque iamborum, neque † tragœdiarum spectatores esse finat, nisi cùm ad eam peruenerunt ætatem, vt in comessationibus vnà cum aliis sedere, & potus etiam participes esse possint, & ab ebrietate & huiusmodi labe insontes disciplina omnes præseruabit. Nos quidem nunc curtùm ista attigimus: postea vero insistentes oportebit determinare magis, siue oportet, siue non oportet primo quærentes, & quomodo, sed in præsenti mentionem de his facere necessarium fuit. Forsitan enim non male circa hoc censebat Theodorus tragœdiarum actor, nulli enim vnquam concedere voluit, vt ante se ageret, neque ex * vilibus etiam histrionibus, quasi magis faciant auditores illis, quos primo audierint. Contingit hoc idem in conuersationibus hominum & rerum: omnium enim prima nos magis delectant. Quapropter oportet à pueris omnia turpia procul remouere, & maxime quæcunque habent in se vel obscœnitatem, vel improbitatem. Transactis vero annis quinque, in duobus vsque ad septem oportet iam disciplinæ spectare, quas addiscere eos oportet. Duæ autem sunt ætates in quas necessarium est disciplinas diuidere, vna post septimum annum vsque ad pubertatem: altera à pubertate vsque

† tremedia-rum.

* ὑποκλῶν

ad annum vigesimum primum. nam qui hebdomadibus diuidunt ætates, vt plurimum non dicunt bene. itaque sequenda est naturalis distinctio: omnis enim ars & disciplina implere vult id, quod deest naturæ. Primum igitur videndum est, si facienda sit institutio quædam circa pueros: deinde, si vtile sit publice curam eorum suscipere, vel magis priuatim, quomodo nunc fit in plurimis ciuitatibus: Tertio qualem hanc esse curam oportet.

*

ARISTOTELIS POLITICORUM LIBER OCTAVUS.

SVMMA LIBRI.

De puerorum institutione, & de iis quæ ipsi addiscere consueuerunt. De Musica, eius speciebus, ac musicalibus instrumentis: quæ quibus conueniant.

Quòd facienda sit circa puerum institutio: & ea quidem publice.

CAP. I.

QVòd igitur à legis positore maxime intendendum sit circa disciplinam iuuentutis, nemo vtique dubitabit, nam id quidem neglectum in ciuitatibus affert reipublicæ detrimentum. Oportet enim ad singula gubernandi genera disciplinam accommodatam. nam mos vniuscuiusque proprius consueuit & seruare rempublicam, & ab initio constituere. ceu popularis mos populatem, & paucorum potentiæ accommodatus mos, eam quæ constitit in paucorum gubernatione, semper autem melior mos causa est melioris reipublicæ. Præterea in cunctis facultatibus & artibus sunt quædam, ad quæ eruditi prius oportet, & assuefieri ad

earum opera, itaque manifestum est, quòd & ad virtutis actiones. Cùm vero vnus sit finis ciuitati toti, clarum est oportere disciplinam quoq; esse vnam & eandem omnium, & huius curam esse publicam & non priuatam: quemadmodum nunc vnusquisque curam habet suorum filiorū, priuatimque docet & priuatam disciplinā, prout ei videtur. Sed oportet publicorum publice exercitationem fieri & simul nō debet quisque ciuis te suum existimare, sed omnes ciuitatis particula enim ciuitatis vnusquisque est: cura vero singularum particularum respicere nata est ad curam totius. Laudari possunt in hoc Lacedæmonij: nam plurimam circa pueros diligentiam faciunt, & quidem publice. Quòd igitur lege prouidendum sit circa disciplinam iuuentutis, & hoc publice faciendum, patet.

Qualu, quarúmque rerum, & cuius gratia debeat esse puerorum institutio.

CAP. II.

QVænam vero ista sit disciplina, & quomodo tradenda, latere nō debet. Nam nunc quidem in ambiguo est, neque eadem omnes censent iuuentutem addiscere debere, neque ad virtutem, neque ad vitam optimam: neq; conspicuum est, vtrum per intelligētiam magis deceat, vel per animi morem. Impedimentorum quoque respectus consideratione disciplinæ conturbat: cùm manifestum non sit, vtrum exercitatio nostra accommodanda sit ad ea quæ sunt vtilia ad vitam, vel ad ea quæ tendunt ad virtutem, vel ad ea quæ ad maiorem quendam superfluúmque pertinent apparatum. hæc enim omnia patronos quosdam suscepere. De his quoque

quoque quæ ad virtutem tendunt, nihil confessum existit, etenim virtutem non eandem omnes statim honorant: ex quo fit vt discordent circa illius exercitationem. Quod igitur ex vtilibus necessaria sint addiscenda, manifestū est: quòd autem non omnia, distinguentibus liberalia opera ab illiberalibus patebit, illa talia esse recipienda, quæ cùm vtilia sint, faciunt exercentem habentémque non vilis exercitij operatorem. Vile autem exercitium putandum & ars & disciplina, quæcunq; corpus, aut animum, aut mentem liberi hominis, ad vsum & opera virtutis inutilem reddunt. Itaq; & artes illæ quæ deterius disponunt corpus, & cuncta mercenaria exercitia, sordida nuncupamus, mentem enim occupatam & vilem reddunt. Sunt etiam quędā ex liberalibus scientiis, quas vsq; ad aliquid discere honestum sit, penitus vero sese illis tradere, ac ad extremū vsq; prosequi velle nocumenta illis, quæ supra diximus, obnoxios facit. Sed refert plurimū cuius gratia quis agat, vel discat, nam si gratia sui vel amicorum, vel propter virtutem, non est illiberale: qui vero idipsum agit propter alios, sæpe vtiq; videbitur illiberaliter ac sordide agere. Disciplinæ igitur illæ, de quibus diximus, ad vtranq; partem se habent.

Quatuor esse, quæ queri discere consueuerunt: quarum alia vtij, alia negotij causa vtimur.

CAP. III.

SVnt autem ferè quatuor, quas discere iuuenes consueuerunt, literas, gymnasticam, musicam, addunt vero & quartum quidam, figurādi peritiam. Literas quidem & figurationem,

tanquam vtiles & valde expedientes ad vitam gymnasticam vero tanquam pertinentem ad fortitudinem. De Musica vero iam ambigitur, nam nunc quidem plurimi voluptatis gratia illam addiscunt: veteres autem inter disciplinas eam collocauerunt, ex eo quòd natura quærit (vt sæpe dictum est) non solum in negotio recte, verumetiam in otio laudabiliter posse versari. Hoc enim principium est omnium, vt rursus de illo dicamus, si enim vtroq; opus est, magis autem expetendum est otium quàm negotiũ, nec id quidem in loco: nam sic necesse foret locum esse finem vitæ, quòd si fit impossibile, & magis in negotiis vtendum est loco, nam qui laborat, indigent relaxatione: & huius gratia est locus, negotia vero sunt cũ labore & conatu: & propterea oportet locum adhibere, qui tanquam medicinam eo tempore afferat, nam relaxatio est huiusmodi motus animi, & requies per voluptatem. Otium autem ipsum videtur in se voluptatem habere, & felicitatem & vitam beatam, & hoc non negotiosis, sed otiosis existit, nã qui negotiatur, alicuius gratia negotiatur, quod sibi defit, felicitas autem finis est, quam non cum dolore, sed cum voluptate esse omnes putant. Hanc tamen voluptatẽ non eandẽ omnes posuerunt, sed secundũ se vnusquisq;, & secundũ suum habitum: optimus tamen opinimur, & eam quæ sit ab honestissimis. Itaq; manifestũ est, quòd oporteat ad otium quo q; degendũ addiscere quædam, & eruditi: & has eruditiones ac disciplinas sui ipsarum esse gratia: illas vero quæ ad negotium, tanquàm necessarias & gratia illorum. Quapropter Musicam antiqui inter disciplinas collocauere non tanquã rem necessariam.

sariam, nihil enim habet talemeq; tanquam vilem, vt literæ ad lucrum, & ad rem familiarem, & ad studia, & ad ciuiles actiones cõplurimas. Videtur quoq; figurãdi peritia vtilis esse ad iudicandum melius artificum opera, neq; vt gymnastica ad sanitatem & robur: nihil enim horũ videmus ex musica fieri: restat ergo quòd ad degendum in otio, ad quod & apparet eam adhiberi, quã enim putant degentiã esse ingenuorem hominum, in ea constituunt. Quapropter Homerus in poëmate suo ita inquit

Sed quale est vocari ad mensam opiparè paratam,
Deinde nominans quosdam alios, subdit:
Et necessum est citharædum qui omnes demulceat.

& alio loco ait Vlysses:

Optimam esse degendi rationem, quando lætis omnibus conuiua audiunt citharædum, sedentes per ordinem.

Quòd igitur sit disciplina quædam, quã non vt vtilem, neq; vt necessariam docẽdi sunt filij, sed vt liberalem & honestam, manifestum est. Verum autem vna sit numero, an plures, & quæ nam ista sint, & quomodo, posterius dicetur. Nunc tantam illi præmissum sit, quòd apud antiquos habemus testimonium ex his disciplinis quas diximus, musica enim hoc manifestat. Ac etiam de vtilibus, quòd aliqua addiscere pueros oporteat, non modo propter vtilitatem, vt patet in literis, verum etiam propter multas disciplinas alias, quæ per literas addiscuntur. Similiter vero figurandi peritiam, non vt in venundando emendóq; vasa non decipiãtur, sed potius quia contemplari facit pulchritudinem corporum, quærere vero vtilitatem vbique, minime conuenit magnanimis, & ingenuis hominibus.

Cùm vero manifestum sit, vtrum moribus an tatione sit disciplina tradenda, & an circa corpus primo vel circa mentem, patet ex his quòd adolescentes gymnasticæ & prædoctribicæ sint tradendi: quarum altera qualem aliquam facit habitudinem corporis, altera operationes.

De gymnastica, & puerorum exercendorum disciplina.

CAP. XIII.

NVnc autem quæ ciuitates curam habent puerorum maxime videtur, partim athletarum habitudinem inducere student, in quo deformant corpora ac augmentationem eorum impediunt. Lacones vero in hoc quidem non errant, sed efferatos laboribus reddunt adolescentes, quasi hoc vtile sit maxime ad fortitudinem. Atqui, vt iam sæpius diximus, neq. ad vnã virtutem, neq. ad hanc maxime respiciendum est ab eo qui curam facit institutionis, & si ad hanc, non tamen id consequuntur, neq; enim aliis in animalibus, neq. in gentibus videmus fortitudinem adesse maxime efferatis, sed potius mansuetioribus & leoninis moribus, multæque sunt gentes, quæ ad cædes hominum, & ad eorum comestionem insultant: vt circa Pontum Achæi & Heniochi, & ex Mediterraneis aliæ gentes similiter his, vel magis: quæ quidem gentes clanculum per insidias latrocinantur, ad bellica tamen opera nihil valent. Præterea scimus Lacones, dum ipsi soli exercebantur, præstitisse cæteris: nunc autem esse aliis inferiores, non enim ob id præstabant, quòd iuuentutem exercerent, sed quòd ipsi exercitati contra non exercitatos pugnabant. Itaq; honestas, ac

ac non feritas est in certaminibus præferenda, neque enim lupus, neque alia bestia, honestum periculum pugnando subiret, sed magis vir bonus. Qui vero adolescentes in hæc nimium tradunt, & in necessariis absq. disciplina dimittũt, vere illos sordidos reddũt, ad vnum enim opus reipublicæ vtiles faciunt, & illud ipsum detestius, vt ratio ostendit, oportet autem non ex posterioribus operibus, sed ex his quæ nunc fiunt, iudicare, nam nunc quidem illi qui repugnant, disciplinam habent, tunc vero non habebant. Quòd igitur vtendum sit gymnastica, & quomodo vtendum concessum existat, vsq. enim ad pubertatem leuiores exercitationes sunt adhibendæ, absq; victu illo violento & laboribus coactis, ne corpora crescere impediantur. Signum erit non paruum, quòd ita contingat: quia inter eos qui Olympia vicerunt, duo vel tres tantum reperiuntur, qui iidem adolescentes & viri fint victoriam consecuti: propterea quòd per exercitationes pueris adhibitas sublata sit vis ac robur à violentis laboribus. Post pubertatem vero cùm annis tribus ad alia perdiscenda intẽderint, tunc congruit & laboribus & victu necessario illos occupare, nam simul mente & corpore laborare non oportet: cùm seinuicem impedire nata sint: labor quidem corporis, mentem: mentis autem, corpus.

De musica pulchra disceptatio: de eius effectibus: & eam ad puerorum disciplinam esse adhibendam.

CAP. V.

DE musica vero dubia quædam posuimus antea, & nunc rectum erit illa resumere, vt tanquam

tanquam consentanea fiant rationibus quas quis de ea dicens ostendat. Neq; enim facile est demonstrare, quam potentiam habeat, neq; cuius gratia illam adipisci oportet, vtrum solatij causa & quietis, quemadmodum somnus, & potus. nam hæc per se ipsa non sunt honesta, sed iocunda, & simul cessare curas facidt, vt inquit Euripides. Quapropter instituunt in illa, & vtuntur cunctis istis similiter, somno, & potu, & musica, in his quoq. saltationem posuerunt. An magis putandum est ad virtutem tendere musicam, vt potentem, quemadmodum gymnastica tale aliquod corpus reddit, sic & musicam talem aliquem morem efficere, assuefacientem posse recte lætari. An ad degendi rationem aliquid confert, & ad prudentiam, nam hoc tertium ponendum est, ex his quæ dicuntur. Quòd igitur oporteat pueros non solatij gratia discere, manifestum est, non enim solantur discentes: nam cum labore est disciplina. Atqui nec ad degendi rationem pueris, neq; illi ætati congruit attribuere, nulli enim imperfecto competit perfectio. Sed forsan videbitur puerorum studium solatij esse gratia viris factis & perfectis. Quòd si hoc tale est, cuius gratia oportet ipsos addiscere? ac non potius, instar Persarum Medorumq; regum, per alios idem facientes voluptatis ac disciplinæ participes fieri? Et enim necesse est melius perfici ab his, qui hoc opus sunum fecerunt & artem, quàm ab his, qui tanto solum tempore in eo laboraverunt, quanto addiscunt. Quòd si oportet in his eos laborare, similiter & circa epularum apparatum oportebit vtiq; eos addiscere: quod est absurdum. Eadem quoque dubitatio cadit, si possit mores facere meliores, quid

quid enim opus est eos hæc addiscere, ac non ex aliis audientes recte lætari, & iudicare posse, quemadmodum Lacones illi? enim quanquam non didicerint, possunt tamen recte iudicare, vt aiunt, quæ sit bona, vel non bona melodia. Fadémq; ratio foret ad solatium, & ad rationem degendi otij libero homine dignam, quid enim oportet eos discere, ac non aliis vtentibus frui? Considerare hoc licet ex opinione quam habemus de Dijs. non enim Iupiter cantat, aut citharam pulsat secundum poëtas: imò illos qui talia faciunt, appellamus viles: & opus illud non viri neq; sobrij, sed iocantis. At enim de his postea erit considerandum. Prima vero quæstio est, vtrum musica sit in ioco reponenda, vel non: & quid potest efficere de his tribus in dubitatione propositis, vtrum disciplinam, an solatium, an rationem otij degendi. Rationabiliter quidem ad omnia instituitur & videtur omnium particeps, nam & iocus gratia requietis est, ac requietem necesse est esse iocundam, est enim medicina molestiæ illius, quæ per labores suscipitur. & ratio degendi otij non solum honestatem habere debet, verumetiam voluptatem: felicitas enim ex ambabus istis est. Musicam vero omnes fatemur esse ex iocundissimis, siue nuda sit, siue cum modulatione. Inquit profecto & Musæus, Carmen dulcissimam rem esse mortalibus. Quapropter & ad certus familiarum, & ad vitam in otio degendam, rationabiliter illam recipiunt, vt potentem lætitiam afferre. Vnde & ex hoc quis intelligat illam pueris esse perdiscendam, quæcunq; enim iocunda sunt, atq; eadem innocua, non solum congruunt ad finem, verumetiã ad

quietem,

quietem: cùm vero contingat hominibus perraro esse in fine, persæpe autem cessent & vertantur iocis, non ob aliud modo, sed etiam ob delectationem, vtile foret requiescere in his, quæ ab illa prouenium, voluptatibus. Contingit autem hominibus fecisse iocos finem, cùm & habeat fortasse finis voluptatem quandam, sed non quamcunq;. Quærentes vero istam accipiunt hanc pro illa, ex eo quòd cum fine agendi similitudinem habet, nam finis gratia nullius futuri expetitur: & tales voluptates nullius futuri gratia. sed gratia eorum quæ antecesserunt, laborum scilicet, & molestiarum per quam igitur causam quærunt felicitatem fieri, per huiusmodi voluptates, hanc vtiq; aliquis rationabiliter existimet causam. De communione autem musicæ non per hæc solum, sed etiam quia vtilis sit ad cessationes, vt videtur nec per eas modo, sed insuper quærendum, num aliquando aliud ex ea proueniat, pretiosior quidem natura eius est, quàm secundum eum vsum, de quo supra dicitur: & oportet non solum ab ipsa voluptatem capere, quam participant omnes secundū sensum, habet enim musica naturalem voluptatem, per quam illius vsus cunctis ætatibus, cunctisq; moribus est acceptus. Sed videndum est, si quo modo ad mores extenditur & ad animum, id autem patebit, si aliquādo tales aliquis secundū mores per illā efficiamur. Atqui quod efficiamur, per Olympi moderationem manifestum est. ea nanq; abstrahit animam, & quodāmodo rapit: raptus vero & abstractio animæ circa morē affectio est. Præterea audientes representationes, omnes afficiuntur etiam sine melodiis & versibus. Cùm verò contigerit musicam

esse delectabilium, virtutem autē esse circa lætandum recte, & amare & odisse, oportet profectò addiscere & assuefieri ad nullam rem adeo, vt ad iudicandum recte & ad gaudendum manifestis moribus, & laudabilibus operibus. Sunt autē in rhythmis & melodiis similitudines maxime omnes verae naturas iræ, & mansuetudinis ac fortitudis & temperantiæ, & contrariorū horū, & aliorum omnium quę ad mores pertinēt. Patet id ex effectu, mutamus enim animum talia audientes, mos autem dolendi ac lætandi in similibus prope est, vt erga veritatem eodem modo se habeat, ceu si quis gaudet imaginē alicuius videns, non propter aliam causam, sed propter formam ipsam, necessarium est huic & aspectum ipsum illius, cuius imaginem cōtemplatur, esse iocundum. Contingit autem in aliis quidem sensibilibus, nullam existere similitudinem morum: vt in his quæ tactu vel gustu percipiantur, in his etiam quæ visu, admodum pauca, figuræ enim sunt talia, sed ad modicum: & omnes huiusmodi sensus participant, insuper non sunt hæ similitudines morum, sed signa magis, quæ sunt figuræ & colores morum, & sunt circa corpore impassionibus. Attamen quantum refert circa horum visionem, oportet pueros non figuras inspicere Pationis, sed Polygnoti: & si quis alter pictor vel statuarius sit moralis. At in melodiis ipsis sunt imitationes morum, & hoc est manifestum, statim enim harmoniarum distincta est natura, ita vt qui audiunt, aliter disponantur, nec eodem modo se habeant ad vnamquamq; ipsarum, sed ad quasdam flebiliter & contractē magis, puta ad eam quæ appellatur Lydia mista: ad quasdam vero

mollio-

mollius secundum mentem, ceu ad illas quæ sunt remissæ: ad aliam vero mediocriter & composite plurimum, vt videtur Dorica facere solæ omnium harmoniarum. Phrygia vero distrahit ac rapit animum, & quasi extra se ponit. hæc enim recte dicunt, qui circa huiusmodi disciplinam philosophantur: capiunt enim verborum testimonia ex rebus ipsis. Eodem modo se habet circa rhythmos: alij enim morem continent grauius, alij concitant, alij violentiores afferunt motus, alij liberaliores. Ex his igitur patet, quòd musica potest animi morem aliquem facere. Quòd si hoc potest musica, clarū est quòd ad puerorū disciplinam est adhibenda, & in ea pueri sunt instituendi. Congruit autem naturæ huiusmodi disciplina, nam pueri propter ætatem nihil ferunt sponte, quod non habeat in se iocunditatem. Musica vero ex his est, quæ sunt iocunda secundum naturam. Et videtur cognatio quædam esse nobis cum harmoniis & rhythmis, quapropter multi sapientum dixere, alij quidem animam esse harmoniam, alij vero habere harmoniam.

De Musica quid dicendum, ac ea vtendum, quidve minime: vbi de musicis instrumentis quæ plura.

CAP. VI.

VTrum autem addiscere eos oportet canendo, & manibus agendo, vel non, quemadmodum prius dubitatum est, nunc erit dicendum. Non est obscurum interesse multum ad hoc, vt efficiamur aliquales, si quis operum ipse sit particeps, nepe impossibile est vel certe admodum difficile, vt qui opera ipsa non tractant, perite

perite valeat iudicare. Et simul opus est vt pueri habeant exercitationem aliquam, & Architæ tabella recte reperta est, quam pueris dant, vt in ea occupati, illa quæ sunt domi non frangant: nescit enim puerilia quiescere. hic est ergo infantibus conueniens ludus: disciplina vero maioribus, tanquàm tabella quædam. Quòd igitur docendi sint musicam, ita vt in opere ipso versentur, ex ipsis patet. Quid autem deceat vel non deceat secundum ætates, non difficile est determinare, ac respondere vituperatoribus, vile huiusmodi exercitium esse dicentibus. Primum igitur cum iudicandi causa sint hæc opera perdiscenda, oportet in pueritia illis operam dare. in maiori vero ætate exercitationem dimittere: tantummodo autem iudicare posse per disciplinam adeptam, ac lætari recte. Vituperatoribus autem, qui aiunt sordidos ac viles musicam facere, non difficile est respondere, si consideremus, quousque illi opera danda sit ab his, qui ad virtutem ciuilem eruditur, & quæ melodiæ, quive rhythmi sint addiscendi, & præterea quibus instrumentis percipiatur. nam in eo quidem plurimum refert, consistitque in his obiectionibus solutio. nihil enim verat, modos quosdam musicæ illud, quod aiunt, efficere. Clarum est igitur oportere disciplinam eius neque impedimentum afferre cæteris operationibus, neque corpus efficere inutile ad bellicas ciuilesque exercitationes: ad vsus quidem iam, ac disciplinas vero postea. Erit autem hoc, si neque in illis laborabunt quæ ad certa artificia pertinent, neque circa admirabilia quædam & superflua, quæ in certaminæ prius, & de certaminibus in doctrinam venere: sed eousque, vt gau-

dere valeãt probabilibus melodiis & rhythmis, & non communi sensu musicæ solum, vt animalia quædam, & turba seniorum ac puerorũ. Patet etiam ex his, quibus instrumentis sit vtendum. neque enim tibiæ sunt in disciplina recipiendæ, nec aliud artificiosum instrumentum, vt cithara, & siquid aliud tale: sed quæcunque faciunt auditores bonos, vel musicæ disciplinæ, vel alterius. Insuper tibia non est morale, sed potius suscitatiuum & concitatiuum. itaque ad huiusmodi tempora est vtendum illa, in quibus spectacula magis purificationem patiuntur, quàm disciplinam. Adiungamus autem & illud, quòd contrarium disciplinæ efficit, impediens rationem, vti tibiarum sonus. Quapropter bene reprobauerunt illarũ vsum antiqui, licet prius vsi fuissent. Studiosiores enim facti propter diuitias, & animosiores ad virtutem, post victoriam contra Medos habitam, ac ex rebus gestis magnum de se opinantes, disciplinam omnium arripuerunt, non iudicantes, sed experientes. Quapropter tibiarum quoque vsus tunc receptus est. nam & apud Lacedæmonios quidam qui ludos exhibebat, ipsemet tibilis modos fecit. & Athenis eousq. in consuetudinem venit, vt ferè ingenui omnes addiscerent. quod patet ex tabula à Thrasippo posita, cùm ludos pro tribu sua dedit. Postea vero in desuetudinem abiit, & improbati cœpta est, cùm iam melius per experientiam iudicare possent, quid ad virtutem pertineret, & quid non. Eodémque modo permulta instrumentorum antiquorum improbata sunt, veluti Pectides & Barbiti, & quæ ad voluptatem audientium intendebant, heptagona, & trigona, & sambucæ, & cuncta quæ indigent perita manuum gesticulatione. Rationabiliterque illud se habet, quod antiqui de tibiis fabulantur. aiunt enim Mineruam repertricem, tibias abiecisse ob deformitatem oris. atqui nõ male se habet dicere, fecisse hoc Deam, deformitate oris insensam: sed tamen multo magis ob id, quia nihil confert tibiarum vsus ad intelligentiam & mentem, cùm scientia & ars Minerux sit attributa. Cum vero instrumentorum & operis probauerimus artificiosam disciplinam: artificiosam vero illam posuimus quæ versatur in certaminibus: in illis enim qui agit, non propriæ virtutis gratia agit, sed vt audientes delecter, & onerosa quidem delectatione: quapropter non ingenui hominis censemus esse huiusce modi opus, sed per viles ac sordidos contingit illud fieri. nam finis, cuius gratia fit, improbus est, cùm spectator onerosus existens, modo hoc, modo illud exigere consueuit: ea vt artifices quoq. placere studẽtes, illiusmodi efficiãtur, & corpora similiter propter motus.

Harmoniis & rhythmis omnibus vtendum esse: diuersis tamen ad diuersa, ac secundum ætates diuersarum de harmoniarum differentia multa.

CAP. VII.

COnsiderandum est autem, vtrum omnibus vtendum sit harmoniis & omnibus rhythmis, an distinguendum. Deinde vtrum illis qui eruditionis causa laborant, eandem dictionem tribuamus, an tertium quiddam aliud. Quoniã videmus musicam esse per melodiam & rhythmos, horum vtrumque latere non debet, quam vim habeat ad doctrinam: & vtrum præferẽda

sit ea pars, quæ in melodiis consistit, an ea quæ in rhythmis. Putans igitur multa de his esse dicta recte à musicis quibusdam, qui nunc sunt, & à philosophis qui peritiam habent huius disciplinæ, discussionem & examen singularum partium illis dimittemus; qui perquirere volent: nos autem legitime solummodo in genere de ipsis dicamus. Cùm illa probetur à nobis melodiarum diuisio, quam faciunt quidam philosophi, quòd aliæ sunt morales, aliæ effectiuæ, aliæ abstractiuæ, ponentes naturam earum ad singula istorum propriam: dicimus autem, non vnius vtilitatis gratia oportere musica vti, sed multarum: nam & doctrinæ gratia & purificationis, (quid autem purificationem intelligamus, nunc simpliciter, aliàs vero diligentius in his quæ de Poetica scribimus, dicemus) tertio gratia degendi otij quietisq; causa & remissionis curarum: patet omnibus harmonijs esse vtendum. sed non eodem modo: verum ad doctrinam quidem moralibus est vtendum maxime: ad eruditionem vero aliorum pulsante, effectiuis & abstractiuis. nam affectio illa, quę contingit circa animos quorundam vehementer, in cunctis existit. Differt autem secundum magis & minus, ceu miseratio & metus, & præterea abstractio animi. nam per hunc motum deuoti & supplices quidam fiunt. Videmus autem & sacris melodiis ita affici, quando vtuntur expiantibus animam carminibus, quasi medicina frctis, & purificatione. Hoc idem euenire necessum est iis qui commiseratione, & qui metu, & qui aliis affectibus detinentur, & aliis, quatenus cuiq; talia contingãt fieri; q; in omnibus purificationem quandam & leuationem cum voluptate.

Similiter

Similiter autem carmina purificatiua lætitiam afferunt innocuam hominibus, quapropter talibus harmoniis, & talibus carminibus spectandi sunt hi, qui theatralem musicam tractant certatores. Sed cùm spectator sit duplex, alter ingenuus & doctus, alter vilis & indoctus, ex opificibus turbáque vrbana, his quoque accommodanda sunt certamina, & spectacula ad cessationem & requietem. vt enim illorum animæ distortæ sunt à naturali habitudine, sic harmoniarum & melodiarum distortiones sunt quædam, illæ quæ sunt vehementes & infractæ. Delectat vero singulos id quod suæ naturæ sit aptum. quamobrem licentia permittenda est his, quibus arte musica certant in theatro, vt ad huiusmodi spectatorem tali genere vtantur musicæ. Ad doctrinam vero, quemadmodum dictum est, moralibus melodiis est vtendum, & talibus harmoniis, qualis est Dorica, vt supra diximus. Recipienda est & alia quamcunq; nobis suadent, qui in philosophia musicáque versantur. Socrates vero in libris de Republica non recte Phrygiam tantummodo adiungit ad Doricam, licet improbans tibiam ex instrumentis, habet enim eandem vim Phrygia in harmoniis, quam habet tibia in instrumentis. ambæ enim concitant animos, & in affectus impellunt. Ostendit hoc Poësis: tota enim bacchatio, & tota huiusmodi concitatio maxime omnium instrumentorum per tibias fit. harmonia vero Phrygia maxime hunc modum habere: ceu Dithyrambus manifeste videtur esse Phrygius. Cuius quidem rei plura afferunt argumenta, qui circa huiusmodi rerum intelligentiam vacant. & inter cætera illud, quòd Philoxenus aggressus Dorice facere

Dithyrambos in fabulis,non potuit,sed vi illius naturæ tractus fuit ad Phrygiam harmoniam, quæ maxime illis congruebat. Doricam autem fatentur omnes constantem esse ac firmam, morémq. summopere continere virilem. Præterea cùm medium extremorum sumendum esse diximus: Dorica autem hanc habet naturam ad alias harmonias:manifestũ est quòd Doricam præ cæteris decens est iuniores addiscere. Sed duo consideranda sunt.vnum, quid possit; alterum, quid deceat.nam possibilia quisque aggredi, & conuenientia sibi debet. Sunt autem hæc distincta ætatibus, ceu defessis iam tempore non facile est alti spiritus cantilenas canere, sed talibus subiicit natura remissas. Ex quo Socratem in hoc quoq. merito reprehendunt quidam ex his, qui circa musicam versantur, quòd remissiores harmonias improbauit ad doctrinam,quasi vinolentas accipient eas, non secundum vinolentiæ naturam (nam vinolentia magis debacchari facit) sed defessas.quare & ad talem ætatem senioru,opus est huiuscemodi harmonias attingere,& huiuscemodi melodias. Præterea,si qua est talium harmoniarum, quæ conueniat puerorum ætati ex eo quia possit ornatum simul doctrinámque afferre:quod Lydia maxime omnium harmoniarum habere videtur: manifestum quòd hæ tres determinationes sunt in doctrina faciendæ, medium, possibile,ac decens.

Librorum Octo Politicorum finis.

ARISTOTELIS STAGIRITAE, PERIPATETICORVM Principis,Oeconomicorum

LIBER PRIMVS:

Leonardo Aretino interprete.

SVMMA LIBRI.

De iis,quæ ad rem attinet simul iarem,eique sunt propria. De variis ergà diuersos Oeconomi legibus.

Quomodo differant & conueniant inter se Politica & Oeconomica.& quæ earum sit ordo.

CAP. I.

REs familiaris & respublica inter se differunt,non solum quantum domus & ciuitas: (hæc enim sunt eorum subiecta:) verum etiã illo,quòd in republica quidem plures imperant,in re familiari vno vnus duntaxat est imperator & rector. Quædam enim artes distinguuntur, nec est eiusdem facisse ac facto vti:quemadmodum lyra & fistulis.sed reipublicæ disciplinæ, est ciuitatem ab initio constituisse,& constituta bene vti.itaque patet etiam esse rei familiaris, parare domum,

& illa vti. Ciuitas quidem est multitudo domorum, agro & pecuniis sufficienter abundans ad bene viuendum. Id autem ex eo patet, quòd si compotes horum esse nequeunt, societas soluitur. Insuper huius gratia in vnum coeunt, cuius autem gratia vnumquodque est, & fit, & substantia ipsius hæc existit. Itaque patet priorem esse rem familiarem quàm rempublicam: nam & opus illius est pars enim ciuitatis est domus. Considerandum est igitur de re familiari, quod sit illius opus.

De partibus domus, & vnde sit sumenda possessio.

CAP. II.

DOmus quidem partes sunt, homo & possessio. Quoniam vero primum in minimis natura cuiusque inspicitur, in domo quoque se habet ita. Quare secundum Hesiodum hoc ad esse conuenit:

Domicilium in primis, mulierem q., & bouē aratorem.

Alterum enim primum in victu est, alterum in liberis. itaque oportet ea quæ ad vxorem spectant. recte dispositisse, hoc est prouidisse, vt talis sit qualis esse debeat. Possessionis autem prima cura est ea, quæ secundum naturam. secundum naturam vero potissima est agricultura. Secundo loco, omnia quæ sunt à terra ceu metallorum, & si qua alia huiusmodi. sed agricultura præcipue, quoniam iusta, non enim ab hominibus, nec volentibus vt cauponaria & mercenariæ nec inuitis quærit, quemadmodum bellicæ artes: & est earum rerum quæ sunt secundum naturam. natura enim omnis educatio est à matre: quare & hominibus à terra. Prodest etiam hæc plurimum ad fortitudinē. non enim, quemad

Agricultura laus.

quemadmodum viles artium, corpora eneruat, sed talia facit, vt & sub dio consistere, & tolerare laborem valeant, & aduersus hostes periculà capessere. soli enim hi res suas extra munitiones habent.

Quòd viri & mulieris societas secundum naturam sit & necessaria, & quòd multa commoda contineat.

CAP. III.

SEd eius diligentiæ quæ est circa homines, primæ sunt partes circa vxorem. societas enim est maxime secundum naturam mari & fœminæ. Præmissum est enim à nobis & aliis locis, desiderare naturam multa efficere talia, veluti vnumquodque animalium. est enim impossibile fœminam sine mare, aut marem sine fœmina hoc adimplere. quare eorum societas necessitate constituta est. Enimuero in cæteris animalibus absque ratione id fit, & inquantum naturæ capacia sunt, & procreandi gratia solum. In hominibus autem & prudentioribus distinguuntur magis. apparent enim in his magis mutua auxilia, & dilectiones & cooperationes maximèque in homine id conspicitur. quòd non essendi causa solum, verumetiam bene essendi mas & fœmina ope mutua coniunguntur. filiique procreant, non solum vt id naturæ tribuerunt ferant, verumetiam vt commoda exinde suscipiant. valentes enim ipsi, imbecilles suos labore tuentur, & alunt. mox imbecilles ob senium fasti, à valentibus eadem reportant. Et sic inest natura per hunc circuitum adimplet sempiternitatem ex quo secundum numerum non potest, at secundum speciem. sic enim diuina

prouidentia vtriusque natura ordinata est, virl scilicet, & mulieris ad societatem. Tendūt enim eorum omnia in idem vtilitatis, licet contraria quædam videantur. Alterum enim robustum facit, alterum imbecillius. vt hoc quidem ob timorem cautius, illud vero propter fortitudinē pugnacius esset. & alterum parat foris, alterum parta domi conseruat. Ad operis vero effectionem, alterum sedulitatem intra limen agit, ad externam vero peruagationem imbecillum. alterum ad sedulitatem deterius est, ad motus autem valentius. Circa prolem autem, generatio quidem propria est, vtilitas vero communis. alterius enim nutrire est, alterius erudire.

Leges viri ad vxorem.

CAP. IIII.

PRimum igitur leges sint viro ad vxorem, & iniuria cessat. sic enim nec ipse iniuriam patietur. hoc enim & communis lex inducit, vt Pythagorici dicunt, quemadmodum seruam à late abductam, quam minime decet videri iniuria afficere. est autem viri iniuria externarū mulierum coitus. In vsu vero, vt neque desit præsentibus nec absentibus impotens sit acquiescere: sed ita assuefieri, vt sufficienter se habeat in præsentia & absentia. Recte vero se habet & illud Hesiodi: *Puellam accipere oportere, vt gratis moribus eam imbuere possis.* diuersitates enim morum nequaquam sunt ad dilectionem aptæ. Circa ornatum vero, quemadmodum in moribus fictionem esse non decet, si simul appropinquare debent. sic etiam nec in corpore. nam illa, quæ per ornatum fiunt, nihil differunt ab histrionum vsu, Tragœdias in scena agentium.

Leges

Leges domini ad seruos.

CAP. V.

POssessionum autem prima quidem, ac maxime necessaria est illa, quę optima & principalissima. id autē est homo. quapropter oportet primo seruos parare studiosos. Seruorum autem species duæ. curator, & opifex. cùm vero eruamus, quòd disciplinę tales aliquos faciunt iuuenes, necessarium est postquam paraueris, imbuere illos, quibus liberalia officia fuerint committenda. Cum seruis autem versetur ita, vt neque superbos esse sinat, neque abiectos. & liberalioribus quidem honorem, opificibus vero cibum abunde tribuat. Et quoniam vini potus etiam liberos ad insolentiā impellit, & apud multas nationes ingenui quoque ab illo se abstinent, vt Carthaginienses dum militant: patet quòd vini, aut nihil * aut valde raro seruis tradendum est. Tria vero cum sint: opus, cibus, & castigatio, cibus quidem sine castigatione & opere petulantem reddit: opus vero, & castigatio sine cibo violenta res est, & infirmum facit seruum: restat igitur, vt opus faciendum illi tribuat, & cibum sufficientem. sine mercede enim dominandum non putant. merces autem seruis cibus est. Verum vt alij deteriores fiunt, quando nec melioribus tribuitur melius, neq; præmia sunt virtutis & vitij proposita: sic etiā seruis. quapropter oportet considerationem habere, ac indulgere illis, & permittere singula secundum merita, & cibum, & vestem, & quietem, & castigationem verbo, & opere, medicorum artē imitantes, in medicinę loco prospicientes, quòd quidem cibus medicina non est propter continuationem.

* ἢ ἀλίγον

tionem. Genera vero seruorum ad opus faciendum optima essent, neq; timida, neq; fortia nimis, in vtrisq; enim peccatum est: nam & nimis timidi non ferunt laborem: & ferocibus non commode imperatur. Oportet quoque finem omnibus esse terminatum. est enim iustum simul & vtile, libertatem esse propositã. libenter enim labores subibunt, si & propositum præmiũ consperxerint, & tempus definitum. Sunt etiam procreatis filiis, tanquam obsidibus obligandi. Nec plures habendi sunt eiusdem generis, quemadmodum in ciuitatibus. Sacra quoque & largiores epulas seruorum gratia magis faciendum, quàm liberorum. plura enim ipsi habent, cuius vtique gratia talia instituta sunt.

Leges Oeconomi.

CAP. VI.

QVatuor habere oportet patrẽfamilias circa pecunias. nam & quærere posse conuenit, & quæsita tueri. alioquin nulla quærendi foret vtilitas. nã cribro haurire nihil aliud est, quàm (quod dici solet) terebratum vas. Esse præterea talẽ, vt & ornari præsentibus & frui sciat. horum enim gratia habere illas expedit, distinguenda quidem sunt singula, & plura habenda fructuosa quàm infructuosa, & negotia sic sequestranda, vt omnium simul periculum non subeatur. Circa tuendum autem quæsita, vtiles sunt Persicæ & Laconicæ, vtilis etiam Attica dispensatio. vendentes enim emunt, & penoris institutio non est in exilioribus administrationibus. Est autem Persica, ipsum omnia iubere, omniaque inspicere. Et quod de Dionysio inquit Dion. nullus enim parem curam habet alie-

nis & suorum. itaque quæcunque per ipsum geri possunt, circa illa cum diligentia intendat, in quo Persæ simul & Libyci dictum recte se habet. Persa enim rogatus, quid equum maxime pinguem faceret: oculus domini respondit. Libycus vero rogatus, quod sterquilinium agro foret optimum: domini, inquit, vestigia. Sunt igitur inspicienda negotia diligenter viro, inspicienda etiam ab vxore, prout inter eos distinctæ sunt curæ. Et hoc faciendum est, in exilioribus quidem administrationibus, raro: in grandioribus autem, quorum cura aliis committitur, sæpe. nisi enim quis bonum exemplum de se præbuerit, imitatorem diligentiæ habiturum non existimant, neque in re familiari neq; in aliis: quoniam impossibile sit, non diligentis domini diligentes esse vicarios. Cùm vero hæc ad virtutem honesta sint, & ad rem familiarem vtilia, expergisci decet prius dominum quàm seruum, & cubitum ire posterius, nec vnquam incustoditam esse domum, quemadmodum nec vrbem, quãdo opus est, neque die, neque nocte. Et ante lucem surgere, quod & ad sanitatem, & ad curam rei familiaris, & ad studium Philosophiæ prodest quamplurimum. In paruis igitur administrationibus Attica regula circa fructus vtendum est, in magnis vero distincto facienda est eorum quæ in annum, & eorum quæ in singulos menses menses consumere oportet. Postremo modo in instrumentis seperanda sunt ea, quorum vsus quotidianus est, ab his quæ raro sunt vsui. hæc tradenda sunt iis, quibus negotia commiseris, ac certo tempore inspectio eorũ facienda erit, vt non lateat, quid saluũ sit, quidve perierit. Aedes quoque ita parandæ sunt, vt & ferum

rerum possessarum,& salubritatis,commmoditatisque rationem habeamus. Rerum possessarum dico,ceu fructuum & vestium, quales his conducant.& fructuum,quales aridis, & quales liquidis& aliarum rerum, & quales animatis, & quales inanimatis,seruisque & liberis, maribúsque & fœminis, ciuibus & peregrinis. Commoditatis vero & salubritatis,vt ætate quidem vctorum afflatum,hyeme vero Solem recipiat. essent autem tales,si auerso Borea fuerint, nec æqualiter latæ. Videtur quoque in magnis domibus vtilis esse ianitor,qui sit ad cætera inhabilis,pro obseruatione importandorum & exportandorum. Ad rectũ vero vsum instrumentorum illud Laconicum valet,singula suo loco iacere, sic enim parata non requirentur.

ARIST

ARISTOTELIS OECONOMICORVM LIBER SECUNDVS.

SVMMA LIBRI.

De officiis & legibus,tum propriis,tum mutuis viri & mulieris.

Leges probæ mulieris.

CAP. I.

PRobam mulierem omnibus quæ sunt intus,dominari oportet,curámque habere omnium secundum præscriptas leges,nõ permittentem quenquam ingredi sine præcepto viri,veritam maxime verba,quæ de mulieris cortupela circunferuntur,& siquid intus accidat, vt sibi notum sit solis& si quod malum ab ingredientibus committatur,vt penes virum sit culpa. Dominam vero impensarum ad festos dies, quos permiserit vir.Sumptu,& vestitu,& apparatu minori etiam vtatur,quàm leges permiserint ciuitatis:considerans, quòd nec vestimentorum nitor, nec excellentia formæ, nec auri magnitudo tantum valet ad mulieris laudem, quantum modestia in rebus, ac studium honeste decoréque viuendi.etenim omnis huiusmodi ornatus animi optabilis est.multóq. firmior

ad se

ad senectutem vsque, veras laudes sibi natisque afferre. Se igitur ipsam in his virtutibus inanimet mulier, pergátque laudabiliter rebus præesse. nam viro quidem indecens videtur ea scire, quæ intra ædes fiunt. In cæteris vero omnibus parere mulier viro contendat. Nec audiens quicquam de republica, nec tractans quicquam eorum quæ ad connubia spectare videntur, sed cùm tempus poscet, aut filias tradere nuptui, aut nurus accipere, obediat penitus in his viro: atque sic vnà deliberet, vt sententiam viri sequatur intelligens nõ ita turpe viro esse quicquam eorum quæ domi sunt facere, sicut mulieri quæ foris perquirere. Existimare autem debet mulier bene composita, mores viri esse legem suæ vitæ impositam sibi à Deo, per coniunctionem matrimonij atque consortij, quos si quidé æquo ferat animo, perfacile reget domum: sin contrà, difficilius. Quapropter decet non solum in prosperis rebus, secundáque fortuna vnanimem se viro præstare, & inseruire velle, verumetiam in aduersis. Si sit in rebus defectus, vel corporis ægrotatio, vel alienatio mentis, æquo ferat animo, & obsequatur: nisi forte turpe aliquid sit, vel indignum. Ne si quid perturbatione animi vir deliquerit, memoriter seruet, sed ægritudini ignorantiæque adscribat. nam quãto in his diligentius obsequetur, tanto sibi maiorem gratiam habebit, cùm ab ægritudine fuerit liberatus. & si iubenti aliquid turpe non paruerit, melius recognoscet ad sanitatem reuersus. quapropter ab his cauere debet mulier. In aliis autem multo magis obtemperare, quàm si empta venisset in domum. magno enim pretio empta fuit, societate vitæ, & procreatione liberorum: quibus

quibus nec maius, nec sanctius quicquam esse potest. Præterea, si cum fortunato vixisset viro, non vsquequaque virtus eius illustrata esset. Non est sanè parum secundis rebus bene vti: attamen aduersas moderate perferre, multo maius est existimandum. nam in magnis calamitatibus & iniuriis, nihil abiecte facere, celsi est animi. Precandum est igitur, ne quid tale accidat viro, quòd si quid accidat aduersi, putare debet hinc optimam sibi laudé, si recte se gesserit, proventurarum secum ipsa repetés, quia nec Alceste tantam sibi gloriam comparasset, nec Penelope tot tantáque meruisset laudes, si cum fortunatis viris vixissent: verum Admeti, & Vlyssis aduersitates parauerunt illis memoriam sempiternam. In aduersitatibus enim virorum suorum fidem ac iustitiam erga illos seruantes, gloriam non immerito sunt consecutæ. nam prosperitate quidem facile est reperire participes: aduersitatis vero, ni optimæ sint mulieres, participes esse renuunt. Ob quæ omnia, multo magis decet virum in honore habere, nec illum contemnere, si sacra pudicitia, & opes animositatis filiæ secundum Herculem non sequantur. Mulier igitur huiusmodi sese moribus ac legibus custodire debet.

Leges viri ad vxorem.

CAP. II.

Vt autem viceuersa, leges sibi reperiat ad vxoris vsum, quæ tanquam filiorum vitæque socia in viri domum peruenit, natos felicitura, genitorum viri suique nomina habituros, quibus quid sanctius esse potest, aut circa quæ magis studeret vir sanæ mentis, quàm ex

optima laudabilissimáque muliere filios procreare, senectutis pastores quasi optimos, ac reuerentes, patris matrisq; custodes, ac totius domus seruatores? Educati siquidem recte à parentibus per sanctos & iustos mores, boni merito euadent. contra vero si fiat, sentient detrimentum. Nisi enim parentes exemplum vitæ filiis præstent, euidentem excusationis causam erga se illis relinquunt. ac timendum est, ne contempti à filiis, quasi non bene vixerint, in senectute deserantur. Quapropter nihil prætermittêdum est, quod ad vxoris pertineat disciplinam, vt ex quamaxime fieri potest, optima filios generet. Nam agricola quidem nihil omittit, quò semen in optima terra, ac maxime exculta ferat, sperans ita demum fructus optimos inde se recepturum. at siqua vis imminet, mori prę liando magis vult aduersus hostes, quàm illius vastationem pati. & huiusmodi mors laudatur maxime. Cùm ergo tanta adhibeatur cura, pro cotporis esca, quid pro liberis, & matre educatrice? nónne protinus omne studium fuerit adhibendum? Hoc enim solo, hominum conditio mortalis per successionem sempiternitatem consequitur: omniúque parentum vota huc tendunt, quamobrem qui ista negligit, & Deos ipsos videtur negligere: propter Deos igitur, quibus præsentibus sacra fecit, & vxorem duxit, ac multo magis se post parentes, vxori tradidit ad honorem. Maximus autem honor est sobriæ mulieri, si cernat virum suum obseruantem sibi castitatem, nec de villa muliere magis cogitantem, sed præ cæteris omnibus hanc, & suam, & fidam sibi existimantem. tanto enim magis studebit mulier, se talem præstare, quanto se cognouerit fide

fideliter, atque iuste à viro diligi. Ergo prudentem ignorare non decet, qui parentibus, quíve vxori & filiis honores conueniant, vt tribuens vnicui que quæ sua sunt, iustus & sanctus habeatur. pergrauiter enim vnusquisque ferr honore suo priuari, nec si aliena quis permulta tribuat, contentus erit, si sua sibi auferantur. Nihil vero magis suum est vxori, nec magis illi à viro præstandum, quàm sancta & intemerata societas. Quapropter nó decet hominem sanæ mentis, vbicunq. contigerit semen exponere: ne de vilibus & iniquis similes liberis legitimis procreétur. ex quo & vxor honore suo priuatur, & filiis iniuria fit, ac sibi pro his omnibus dedecus incumbit. Appropinquádum vero est vxori cum magna temperantia atque modestia: sitque pudor in vestibus, in operibus vero fas atque honestas, in conuersatione fides & moderatio. parua quidem peccata etsi voluntaria fuerint, ignoscendo. si quid vero per ignorantiam deliquerit, commonefaciendo. Nec metum incutiat sine verecundia & pudore: hæc enim meretrices ad mœchos pati decet. at vero cũ verecúdia & pudore iusta diligere & timere, id ingenuæ est mulieris erga proprium virum. Duplex est enim timoris species. vna cũ reuerentia & pudore, qua vtitur ad patres filij modesti, & ciues bene morati ad benuolos gubernatores. altera cum inimicitia & odio: ficut serui ad dominos, & ciues ad tyrannos iniustos & iniquos. Ex his quoq; omnibus meliora eligens, vxorẽ sibi concilliet, ac fidelem probámq. efficiat, vt siue præsens sit vir, siue absens, nó minus vtilis sit, quàm si semper adesset, tanquam rerũ communium curator. & quando vir abest, vt sentiat vxor nullum sibi,

neque meliorem neque commodiorem, neque magis suum esse quàm virum.ostendátque hoc ab ipso initio,ad commune bonum semper intendens,quamuis puella sit ac noua in talibus.

Testimonia superiorum præceptorum ex Homero.

CAP. III.

ETsi ipse sibi maxime dominetur, optimus totius vitæ rector existet, & vxorem talibus vti docebit. Nam neque amorem, neque timorem absque verecundia laudauit Homerus, sed vbique amare præcepit cum modestia, & pudore. Eo quidé modo Helenamtimere Priamum, inquit, ita dicentem:

O metuende mihi semper sempérque tremende.

Chare socer. nihil aliud dicens, quàm eam cum pudore diligere. Rursus vero Vlysses ad Nausicaam inquit:

Te mulier valde equidem admirar & metuo.

Censet autem Homerus, virum & vxorem sic inuicem se habere debere.nam nemo deteriorē se admiratur ac veretur,sed huiusmodi affectus accidunt inuicem melioribus, & natura benignis:minoribus etiam sapientia,ad se meliores. Hunc animum Vlyssis erga Penelopem gerens absens licet,nihil deliquit. Agamemnon autem propter Chryseidé erga propria peccauit vxorem,ausus dicere in concione Græcorum, Captiuam mulierem,nec natura præstantem, imò vt plane dixerim Barbaram, in nullo Clytæmnestra deteriorem esse:ex qua cùm liberos haberet,non recte sese gerere visus est. Quomodo enim recte,qui antequam sciret qualis erga se foret,vi duxam sibi illam coniunxerat. At Vlysses,rogante Atlantis filia, vt secum maneret, ac sempi

sempiternitatem pollicente: ne ob id quidem prodere voluit vxoris affectum, & amorē & fidem maximū sibi supplicium arbitratus, si malus dum esset,immortalitatē haberet. Cum Circe etiam manere noluit,quanquam insuper socionum salutem pollicente.imò respondit, nihil sibi dulciùs videri posse, quàm patriam inculsam & asperam,magisque optauit mortalē vxorem filiúmq; videre,quàm fieri ipsum immortalem.sic ille firmam stabilémque vxori fidem seruabat,pro quibus merito ab vxore eadé reportabat.In oratione quoque illa,quam habuit ad Nausicaam, apparet Poëtam maxime probare viri & vxoris pudicam societatem. precatus est enim Deos,vt darent illi virum, & familiam,& vnanimitatem cum viro,non quamlibet, sed honestam,inquit enim,nihil melius esse posse hominibus, quàm si concordi voluntate vir & vxor domum gubernarent. & hic igitur, vt patet, laudat Poëta vnanimitatem mutuam viri & vxoris,non eam quidem quæ circa improba obsequia,sed eam quæ animo & prudentia iuste coniuncta est. nam voluntate domum gubernare, hoc designat. Idem etiam inquit, quòd cùm huiusmodi inter virum & vxorem viget concordia,inimici quidem eorum anguntur plurimum.amici vero permagna suscipiunt gaudia:quem tanquam vera dicentem probant. Nam viro quidem atque vxore circa res optimas concordi studio vacantibus necesse est virisque animos idem sentire,deinde propter concordiam potētes facti, & inimicis spem auferunt,& amicis prosunt,quòd si ipsi dissideant, amici quoque dissidebunt,& infirmitatem ipsi sentient maxime.

Communes leges Viri & Vxoris.

CAP IIII.

ITaq; manifeste præcepit Poëta, Virũ & vxorem in his quæ improba & impudica sunt, sibi inuicẽ consentire nequaquam debere. In his vero, quæ quã maxime fieri potest, pudica sunt & iusta, concorditer sibi inuicem inseruire. Studentes primo quidẽ curam omnem parentibus exhibere: vir quidem vxoris parentibus non minus, quàm propriis: vxor autẽ viri. Deinde filiorum & amicorũ & rerum, domúsq; totius tanquã communis curam habeãt, seipsos studio & diligentia superare certantes, & quisq; plurimorum bonorum sit autor & causa, melióresq; existat & iustior. Depositæ quidem superbiæ, industriæ vero susceptæ, cum benignitate & mansuetudine gubernantes: vt cùm ad senectam peruenerint, deposito administrationis onere, & concupiscentiis liberati, possint & sibipsis inter se ac filiis suis rationem reddere, vter eorum magis profecerit in familiæ gubernatione, ac statim scire, aut per fortunam malum, aut per virtutem bonum. In quibus qui superauerit maximum præmium à Diis consequitur, vt Pindarus inquit. Dulce enim sibi cor, & spes mortalium multiplicem alit voluntatem, secundum vero à filiis in senectutem feliciter educati. Quapropter & priuatim & publice decet eum, qui vitam gerit, ad omnes Deos hominésque respicere, multũmque, & ad vxorem, & ad filios, & parentes.

Præcedens liber, siue is Secundus, siue Primi pars sit, in Græcis exemplaribus (quod rarum sit) minime reperitur.

ARISTOTELIS STAGIRITAE PERIPATETICORVM Principis de Re Familiari

LIBER PRIMVS,

Bernardino Donato Veronensi interprete.

De differentia & conuenientia Rei familiaris & publicæ, & ordine earum.

CAP. I.

REs familiaris & publica nõ modo ita differunt vt domus & ciuitas: (has enim sibi res illæ habent subiectas:) sed etiam, quod publica ex multis cõstat principibus: familiaris autem vnum duntaxat principem habet. Quum igitur nonnullæ artes inter se differre sint, nec omnino eiusdem sit & conficere, & eo quod confectum sit vti: quemadmodum vsu venire in lyra & tibiis videmus: reipublicæ tamen est, & constituere ab initio ciuitatem, & constituta vti præclare, proinde haud dubium, quin rei quoq; familiaris sit & domum, hoc est, rem ac familiam parare, & eadem bene vti. Quòd autem ciuitas sit & domorum & regio-

nis & possessionum multitudo tanta, quanta ad bene viuendum sit satis, apparet perspicue, nam si quando contingit vt ipsum hoc obtinere non possint, societas etiam ipsa dissoluitur. Præterea huius ipsius rei gratia conueniunt, & qua gratia est vnumquodque, hac item ipsa extitit ab initio, ab eademq; habet vt sit idipsum quod est, ex quo haud dubium relinquitur, quin ortu ipso res familiaris publicæ antecedat, quando huius item opus antiquius, est enim particula ciuitatis, domus. Quum ergo rem familiarem considerandam susceperimus, tum eiusdem opus quodnam sit, videndum putamus.

De partibus domus, & vnde sumenda possessio.

CAP. II.

DOmus autem partes illæ sunt, homo atq; possessio, quare cùm in iis primo quæ minima sunt vniuscuiusque rei natura spectetur, etiam ea quæ ad domum pertinent, similli ratione constabunt. Itaque, vt Hesiodus ait,
„ oportebit quidem vt in primis domus, & mu-
„ lier, bósque adsit arator. nam alterum in iis quæ vitam alunt, alterum in iis qui liberi sunt, obtinet principatum, quocirca quæ ad consuetudinem cum muliere pertinent, ea optime constituere necesse fuerit, hoc ipsum porro est incumbere, vt cuiusmodi hanc esse oporteat, promptum habeatur. At ex possessionibus, quæ secundum naturam sit, ea principem eu-
Agricultura de re. tam merebitur, quare secundum naturam res rustica antecedet, sequentur quæcunque ad terram ipsam pertinent: cuiusmodi est quæ metalla exquirit, & si qua est alia eiusdem generis,

neris, res autem rustica maxime, propterea quòd iusta est, nam neque à volentibus aufert, vt cauponæ, & quæ mercenarias operas exercent: neque ab inuitis, vt quæ bello atque armis vtuntur: sed ab ipsa protinus sumit natura, omnibus quippe à matre alimentum certo naturæ instituto suggeri consueuit, quocirca hominibus item ab ipsa terra, strenuitati præterea hominum ac fortitudini maxime conducit: non enim quemadmodam ex artes, quæ sordidæ vocantur, corpora exercentium inutilia reddit, sed idonea quæ & assidue foris exeubent, & labores tolerent: præterea quæ aduersus hostes periclitentur, nam eorum tantummodo possessiones extra septa & munitiones habentur.

Quales viri & mulieris œconomica societas.

CAP. III.

IN iis autem quæ ad homines spectant, prima fuerit vxoris cura, si quidem inter matrem ac fœminam societas in primis est, nanq; alibi apud nos pro concesso habetur, naturæ hunc esse appetitum vt eiusdem generis multa efficiat, veluti item ex animalibus vnumquodque, fieri autem non potest, vt vel fœmina sine mare, vel mas sine fœmina hoc ipsum per se compleat munus, quare amborum societas necessario constituta est. Cæterum hoc in aliis quidem est animalibus temere, & eatenus quoad eis natura seipsam impertit, & sobolis duntaxat gratia propagandæ, in iis autem quæ & mitiora sunt & prudentiora, distinctum est magis, apparent enim magis adiumenta quæ præstantur & charitates, & operum societates in-

ter ipsa: idque in homine maxime, propterea quòd in hoc genere mas & fœmina sociata inter se sunt non modo vt ipsa sint, sed etiam vt ipsis bene sit: & liberorum possessio non eo modo de causa huic generi data est à natura, vt habeantur qui ministrent, sed vt etiam qui adiuuent, quæ enim ipsi valentes conferent in infirmos, ea vicissim post à valentibus accipient, cùm ob senectutem imbecilles facti erunt. Hoc ipso præterea circuitu natura id consequitur atque explet, vt, quando numero non potest, at saltem specie sit semper, sic ab ipso Deo vtriusque & maris & fœminæ natura ad societatem prouisa atque instituta est, hæc enim ipsa in eo distincta sunt, quòd non omnia ad eadem res vtilem habent vim, sed nonnulla ad contrarias quidem, attamen quæ eundem finem spectent, eoſémque contendunt, nam eorum alterum robustius, alterum imbecillius effecit, vt illud esset magis ad cauendum idoneum ob timiditatem, hoc ad propulsandum atque vlciscendum ob fortitudinem: & hoc quidem ea foris suppediteret, quæ necessaria sunt, illud autem intus eadem conseruaret, itémque ad opus faciendum, quum illud sedendo posset durare, esset tamen ad labores foris tolerandos imbecillius. hoc vero cõtra, quum ad quietem atque otium esset minus aptum, tum autem ad omnem motum existeret valentius, necnon in sobole, vt procreatio amborum esset cõmunis, adiumentum singuli suum proprium præstarent, nam horum quidem alere est, illorum autem instituere.

Officia eorum.

Leges

Leges viri ad vxorem.

CAP. IIII.

PRimum igitur leges erga vxorem habeantur in quibus etiam illa, ne vir eam afficiat iniuria: sic enim ne ipse quidem afficietur, hoc ipsum porrò etiam communis lex præcipit, vt Pythagorici dicunt, quasi supplicem & ab ara & foco abductam, ita videri, minime oportere illam afficere iniuria, à viro autem iniuriæ, si foris cum aliis fœminis consuescat. Porro assuefactus & consuetudo sit talis, vt neuter alterius congressum reformidet, vel absentis desiderium ferre nequeat: sed ita assuescat, vt vel præsente vel contra, secum bene agi arbitretur. vtilem Hesiodus præclare illud:

Vxorem habeto, tuos vt discat sedula mores.

Nam dissimilitudines morum minime ad conciliandas voluntates, idoneæ. De ornatu verò, quemadmodum in moribus non oportet ficta quædam profitentes ad se mutuo inter ipsos accedere, ita ne corporibus quidem, qui simulem cum ornatu & fuco inter se consuescunt, in nulla re differunt ab Histrionibus, qui cum scenicis indumentis vitam vnà degere assidue solent.

Leges domini ad seruos.

CAP. V.

AT eorum quæ possidentur, primum quidem illud, maximéque necessarium, quod & primum, & ad imperandum aptissimum, hoc est ipsum hominem esse meminimus, proinde seruos

seruos comparare sedulos oportet, sunt autem seruorum duo genera, villicus, & operarius. verum quum disciplinis videamus adolescentes, nouos quosdam habitus accipere, operæ precium fuerit & parare & alere etiam eos, quibus liberalia officia recte credantur. Cum seruis autem ita est conuersandum, vt neque in petulantiam euadere, neque in segnitiem declinare permittantur, & iis quidem qui magis ingenui sint, honores impertiendi: operariis autem cibi copia subministranda videtur. & quoniam vini vsus etiam eos qui ingenui sunt, contumeliosos atque insolentes efficere solet, multæque liberæ gentes eo abstinent, vt Carthaginienses cùm militiæ degunt, haud dubium quin ex eo, aut nihil prorsus, aut perexiguum quiddam sit concedendum. Verum tria quum sint, opus, castigatio, cibus, si quis cibum quidem præbeat, nunquam autem neque opus facere cogat, neque castiget, reddet petulantes: sin contra, & ad opus cogat & castiget, cibum vero non præbeat, tem violentam inducet, ipsósque imbecillos efficiet. Superest igitur vt & opere faciundo exerceat, & abunde pascat: etenim fieri nequaquam potest, vt hominibus nullam accipientibus mercedem quis imperet, serui autem merces cibus. Porro quod in aliis contingit, vt si alii qui meliores sint, melius nihil fiat, neque sint virtuti vitióve vlla proposita præmia, deteriores euadant, idem in seruis quoque vsu venit. quare & inspicere ac cognoscere diligenter quid ab iis agatur oportebit, & iisdem pro meritis singulâ, cibum, vestimenta, otium, supplitia, tum verbo, tum re & tribuere & remittere, medicorum artem imitantes, & considerantes, vt medicamenti locum obtinet cibus: non est autem medicamentum propter assiduum vsum. Seruorum autem ad opus faciendum optimum fuerit genus eorum, qui neque timidi, neque fortes sint supra modum, in vtrisque enim offensio est, nam timidiores, laboris onus non sustinent: animosioribus non facile imperatur. Oportet autem finem aliquem statuere omnibus: & iustum quippe est, & expedit, libertatem illis præmij loco esse propositam, tunc enim sunt ad laborem promptiores, quum aliquod laboris, quasi certaminis præmium expectant, tempus quoque definitum habeatur, operæ etiam precium fuerit, illos pro creatione filiorum quasi pignore quodam obligare, nec eiusdem nationis multos possidere, sicut ne in ciuitatibus quidem, sæpe autem facere, & conuiuiorum voluptatibus operam dare, seruorum potius gratia quàm liberorum, plus enim hi decerpunt ex eo, cuius gratia illa instituta sunt.

Abstinētia a potu vini.

Leges Oeconomicorum.

CAP. VI.

QVatuor porro sunt, quæ patrem familiæ habere oporteat in re pecuniaria, nam non minus ad seruandum quàm ad comparandum idoneum esse oportet: alioqui vanus fuerit omnis comparandi labor. etibro enim haurire hoc ipsum fuerit, & perforatum, quod dicitur, dolium. Præterea & ordinis adhibendi rebus

rebus quæ possidentur ac supellectilibus', & iisdem vtendi peritum, horum quippe gratia, reliquis quoque istis indigemus. Etiam quæ possidentur, ita singula dividere oportet, vt quæ fructum ferant, plura sint, quàm contra: quidquid vero operis faciundi fuerit, ita distribuendum, vt non omnibus simul perficiendum impendeat. Ad conseruandum autem ratione & Pertica & Laconica vti commodum est, etiam Attica vtilis, vendunt enim vicissim atque emunt, ac ne pecuariæ quidem rationis constitutio in iis quæ ad rem familiarem pertinent, minimum obtinet locum. est autem Pertica ratio, vt ipse per se vnusquisque & disponat omnia & inspiciat, nam (quod de Dionysio referebat Dion) nemo æque diligenter suam atque alienam rem solet curare, quare quo ad eius fieri poterit, vnumquemque per seipsum adhibere diligentiam oportet, &, quod Pertica custodiam atq; Asri dictum fertur, ad hanc rem commode applicabitur, ille quippe interrogatus, quidnam esset, quod maxime equum pinguem efficeret, domini oculum esse respondit. Afer autem roganti cuipiam, quodnam stercus optimum, ipsius, inquit, domini vestigia. Ergo alia erunt à viro, alia autem ab vxore inspicienda, prout inter vtrunque domestica fuerint munia distributa, hôcque ipsum in paruis quidem curationibus, rarius est faciendum: in iis autem quæ aliis commissæ sunt, seipsum neque enim fieri potest, vt, nisi quis pulchre exemplum præbeat, pulchre alius quispiam imitetur, neque in aliis rebus, neque in procuratione domestica, quare non est putandum fieri

Cura & præsentia domini vtilitas.

fieri posse, vt sine diligentia dominorum, procuratores, seu villici sint diligentes. Et quoniam hæc ipsa & ad virtutem egregia, & ad rationem domesticam vtilia sunt, ipsis prius dominis quàm seruis, è lecto surgendum, posterius domiendum, nunquam domus sine custode relinquenda, quasi ciuitas: & quæcunque facienda sunt siue noctu, siue interdiu, eorum nihil prætermittendum. De nocte etiam surgendum, quando hoc & ad bonam valetudinem, & ad rem familiarem, & ad philosophicam vitam vtile. In paruis igitur facultatibus, Attica disponendarum frugum ratio vtilis: in magnis autem, seorsum ea quæ in totum annum ab iis quæ in singulos menses impendi solent, habenda erunt, similis est in vasis & supellectilibus ratio. nam quibus, singulis vrimur diebus, separanda sunt ab iis, quibus rarius: hôcque muneris genus iis est assignandum, qui rebus domesticis præsint. adhæc eorum inspectio repetenda est certo tempore, ne nos lateat quidquàm, siue quod conseruatum sit, siue quod perierit. In construenda autem ædificandáque domo habenda est ratio rerum quæ in ea collocandæ sunt, non modo incolumitatis earum gratia, verumetiam commoditatis. Dico autem res collocandas, vt si dicam, quæ fructibus sint ac vestimentis conducibilia, in ipsis autem fructibus, quæ aridis sint, quæve humidis vtilia magis, in cæteris autem quæ possidentur, quæ sint animalibus, quæ inanimis, quæ seruis & liberis, quæ fœminis & viris, quæ hospitibus & ciuibus aptiora. Præterea ad commoditatem salubritatémque.

Quid agere debeat dominus quo ad vigilias,

æstate

æstate quidem salubrioribus ventis patere oportebit, hyeme vero apricam esse. hoc autem continget, si parte altera pressior angustiórque fuerit, nec longitudini æqualem habuerit latitudinem. Videtur autem, vbi magna quædam est res familiaris, ibi seruus hostiarius is esse apprime vtilis, qui reliquis inutilis sit muneribus, vt quæ intro, quæ ve foras ferantur, salua habeantur. Ad vsum autem vasorum, Laconicus mos erit vtilis, singula enim oportet suis sedibus collocata esse, ita in promptu sita nullum afferent quærentibus laborem.

*

Qui sequitur liber in Græcis codicibus pro Secundo habetur.

ARISTOTELIS DE RE FAMILIARI

LIBER SECUNDVS.

Qui continet ea, quæ ad rationem rei comparandæ atque administrandæ pertinent.

Quibus instructũ esse oporteat negotiantem.

QVi res aliquas certa ratione est curaturus, hunc neq; locorum, in quibus negotia sint gerenda imperitũ esse, & suapte natura solertem, atq; industrium, & ipso vitæ proposito strenuum, ac iustum oportet. harũ enim partium vbi quæuis vna defuerit, tum in eo negotij genere quod tractandum assumpserit, multa peccata committet. Curationum autem domesticarum genera (vt summatim ea distribuamus,) sunt quatuor. nam si qua forte alia professétur, ea in hæc ipsa recidere facile reperiemus: Regium, Satrapicum, Ciuile, Priuatum. ex quibus Regium & amplissimum & simpliciſſimum esse consueuit. Ciuile autem tum maxime varium, tum facillimum. at vero & perexiguum, & apprime varium quod Priuatum appellauimus. porro his omnibus communia inter se multa sint necesse est. nobis autem ea nunc considerandæ assumpsimus, quæ per se maxime vnicuique contingunt.

Primùm igitur videamus id quod Regium

diximus. Est autem regia quidem administratio, ea quę summam rerum obtinet potestatem: sed in partes distributa est quatuor. aut enim nummi rationem habere consueuit, aut rerum quæ exportantur, aut earum quæ importantur, aut impensarum. horum singula suum proprium habent munus. Nummi quippe rationem haberi tunc dico, quum ex quo genere, & quo tempore illi precium, vel addendum, vel minuendum sit consideratur. Eorum autē quæ exportantur aut importantur, quum, & quādo, & quænam ex his à præfectis accepta, qui Satrapæ appellantur, Regi ipsi disponere expediat. Impensarum autem quum quænam ex his subducendæ sint: & quo tempore in sumptus ipsos, siue in ea quæ nummo parari solent, erogandus sit nummus: & an omnino erogandus.

Secundo autem loco id quod Satrapicum appellauimus, cuius sanè generis partes sunt sex: quæ omnes penes ipsos prouentus considerantur. aut enim hi capiuntur à terra, aut ab iis quæ regionis ipsius propria sunt, aut à mercatoribus, aut à tributis, aut ex re pecuniaria, aut ex reliquis rebus. Horum autem ipsorum & primus & optimus, qui à terra percipitur, hic porro est, quod alij fructuarium, alij decimam vocant. Proximus is qui de rebus propriis comparatur: alibi enim gignitur aurum, alibi argentum, alibi æs, alibi alia quæcunque gigni possunt. Tertius qui ex mercatibus. Quartus qui ex iis conficitur tributis, quæ & ad terram & ad fora pertinent. Quintus ex pastione, quæ & fructuosiras & decima appellatur. Sextus ex aliis rebus, qui quidem singula capita ipsosque operarios attingit: vnde etiam nomen apud

Græcos

Græcos accepit, ἐπικεφάλαιόν τι, καὶ χειροκάξιον.

Tertio loco Ciuile quod nominauimus genus exequamur. Huius optimus est prouentus ille, qui de iis, quæ propria sunt regionis, percipitur. Proximus, qui de mercatibus, & iis quæ ad certamina ludósque pertinent. Postremus is qui ex annuis & in orbem redeuntibus.

Quarto autem atque extremo loco Priuatum quod vocauimus, quod genus inæquale quidem est, propterea quòd non vnum quiddam spectari ab administrante oportet: minimum autem ideirco, quòd & prouentus & sumptus modici existunt. Cæterum huius ipsius generis prouentus is maxime probabilis qui de terra colligitur. proximus is qui ab aliis in orbem redeuntibus rebus. Tertius qui ex argento. Præter hæc autem, quòd omni domesticæ curæ tanquam fastigium imponi debet, eius ratio in cæteris quidem generibus est habenda non negligenter, in hoc autem ipso præcipua, vt prouentibus ipsis maiores sumptus non fiant. Quum ergo ipsas partitiones exposuerimus, tum rursus nobis id fuerit considerandum, siue regia sit præfectura, siue ciuitas, quam curandam susceperimus & si omnes illas partes, quas proxime numerauimus, vel earum præcipuas & maximas ferre possit, vtrum tamen iis omnibus sit vtendum. deinde quænam genera prouentuum, aut non adsint omnino, possint tamen parari: aut exigua quum sint, in maius augeri: vel impensarum quæ nunc fiant, quænam & quot si totæ subtrahantur, nihil offendant. Ita nos quidem hactenus quum ea

quæ ad curationes domesticas, tum ea quæ ad harum ipsarum partes attinent, iam diximus. Sequitur deinceps vt huic parti in vnum collecta subiungamus, quæ nonnulli priorum ætatum ad prouentum pecuniarum parandum, fecerunt, aut etiam artificiose moderati sunt: ea duntaxat quæ memoratu digna iudicauimus: quippe qui ne hanc quidem historiam inutilem fore censeamus. erunt enim nonnulla ex his, quæ quispiam iis facile accommodabit, quæ ipse administranda susceperit.

Varia exempla, quæ vsui esse possunt.

1 CYPSELLVS Corinthius, quum Ioui voüisset, si dominus fieret ciuitatis, se illi omnia quæcunque essent Corinthiis, dicaturum, eos quæcunque haberent, iussit describere. deinde à singulis, vbi ad hunc modum descripta habuit, decimam partem accepit. reliquis autem partibus eos ad lucrum exerceri iussit. tum anno vertente, rationem eandem seruauit. ita decem annorum spatio contigit, vt & ille haberet omnia, quæcunque sacrasset, & alia Corinthij, quæ adepti erant possiderent.

2 LYGDAMIS Naxius quum exules eieciſſet, nec qui illorum res vellet emere, nisi paruo pretio, inueniretur, ipsis exulibus vendidit. Statuas quoque & alia eiusdem generis dona Diis immortalibus dicanda, quæcunque illi in quibusdam officinis imperfecta reliquerant, partim ipsis exulibus, partim cæterorum cuique volenti ita vendidit, vt ementis nomen vnicuique rei sic emptæ inscriberetur.

3 AT Byzantij quum pecuniarũ indigerent, loca sacra quæ apud ipsos publicauerant, vendiderunt, fructuosa quidem ad certum tempus, nullum autem ferentia fructum, in perpetuum.

Eadem

Eadem ratione vsi sunt in iis quæ sodalitia, & quæ tribuum singularum propria erant, item quæcunque in priuatis locis sita. magno enim pretio emebant ij quorum erat reliqua possessio. ipsis autem sodalibus alia publica pretio addixerunt, quæcunque vel gymnasium, vel forum, vel portum attingerent. loca autem in foro vbicunque quid quis venderet, necnon ex mari piscationem, omnémque ex salis venditione prouentum, loca præterea vbi & præstigiarum ostentatores, & qui diuini appellantur, & pharmacopolæ, aliique eiusdem generis homines suas artes exercerent, tertiæ partis eius, quod in ipsis conficeretur, tributo onerarunt: ius vero commutandæ pecuniæ vni mensæ addixerunt. alias autẽ aut alteri vendere, aut emere ab altero nemo prorsus poterat. alioqui illis ipsis mulctabatur bonis. Rursus quum apud eosdem lex esset, vt ne quis ciuis haberetur, qui non vtroque ex ipsis parente progenitus foret, ipsi vero pecuniarum indigerent, decreto sanxerunt, vt qui ex vno duntaxat ipsorum natus esset, si tricenas minas conferret, ciuis existeret. Rursus quum vno eodémque tempore & annonæ caritate, & pecuniarum indigentia premerentur, nauigia quæ ex Ponto venerant, deduxerunt in portum. quum autem post aliquod tempus, mercatores molestius eam rem ferrẽt, vsuras illis decimas pro tributo imposuere. mentibus autem quippiam, id oneris imposuerunt, vt decimam partem seorsum à pretio penderent. apud eosdem vero quum inquilini nonnulli possessiones fœnore obligatas haberent, soluendóque non essent, statuerunt, vt quicunque tertiam fœnoris partem attulisset, omni

obligatione solutus, proprium ius possidendi retineret.

4 HIPPIAS Athenienſis cœnaculorum eas partes, quæ in vias publicas eminebant, ipſoſq; aſcensus, ſepimentáque ante domos veſtibulis ſimilia, item ianuas quæ foras aperirentur, venire iuſſit. emebant ergo ij quorum poſſeſſiones ipſæ erant. itaque magnam pecuniarum vim coëgit: nummum vero qui tunc Athenienſibus in vſu erat, ab vſu amouit: certóque illo pretio conſtituto, iuſſit iterum ad ſe referri. quum autem conueniſſent, vt nouum monetæ genus excuderent, idem argentum expoſuit. ii qui vero aut nauibus præficiendi, aut tribuum ſuarum duces futuri, aut choris ſumptum præbituri erant, aut aliqua eius generis munia obituri, in quæ eſſet aliquid impendendum, iis primum tolerabilem ac modicam irrogauit mulctam: deinde iuſſit, volentem vnumquenque, vbi eam mulctam perſoluiſſet, numero eorum adſcribi, qui ſuo munere perfuncti eſſent. Mineruæ autem ſacerdoti, cuius templum erat in arce, aſferri pro quolibet mortuo ordei menſuram vnam, & tritici alteram, & obolum vnum. ſi cui vero puer, aut puella naſceretur, hoc ipſum nihilominus.

5 ATHENIENSES vero, qui Potidæam incolebant, quum pecuniarum ad gerendum bellum indigerent, iuſſerunt res quæ poſſiderentur ab omnibus conſcribi, non continuum apud ſuum cuiuſque populum, ſed ſingillatim, in quo quiſque loco eſſet, vt qui pauperes eſſent, ipſi quoque cenſeri poſſent. cuicunque autem nullum omnino erat poſſeſſionis genus, huius corpori mulctam iudicebat, minas duas ab his

ab his igitur rebus quod conſcripſerant fuerat, integrum quiſque ciuitati repræſentabant.

6 ANTISSÆVS autem, quum ciuitas indigeret pecuniis, ſolitíque eſſent Dionyſia quæ dicuntur ſacra ſplendidè celebrare, in quæ quid alia multa inſumebant, quæ per annum comparabant, tum etiam victimas ingenti pretio, itaque inſtaret hic ſolennis dierum illis perſuaſit, vt, & vouerent in proximum annum Dionyſo ſe eadem duplicata reddituros, & ea ipſa quæ collegiſſent, nunc venderent. hic igitur ab illis non mediocris pecuniarum ſumma, qua eo tempore vti poſſent, coacta eſt.

7 LAMPSACENI autem quum magnus apud ipſos triremium numerus expectaretur, & farinæ medimnus quaternis drachmis veniret, iis qui in foro vendebant, imperarunt, vt ſenis drachmis venderent. olei quoque menſuræ quæ triobolo amplius quaternis venibat, vinique atque aliarum eiuſmodi rerum, eadem ratione pretium auxere. ita ſuum is recipiebat, qui priuatim rei ipſius dominus erat, quod autem eo amplius ſupererat, ipſa ciuitas. itaque pecuniis abundauit.

8 HERACLIENSES quo tempore iis, qui apud Boſphorum erant, tyrannis, naues miſerunt quadraginta, pecuniis indigebant. ergo à mercatoribus & frumentum omne, & oleum, & vinum, & ſi quid aliud in foro venale habere ſolent, coëmerunt. quum autem inſtaret tempus, quo iam pretium ſolui oportebat: & mercatoribus optimum factu viſum eſt, ab ipſis non ſingillatim dimenſa, ſed confeſtim omnia venundari onera: & illi alia ratione tribuentes, non mercedem, ſed ipſum forum onerariis ta-

uibus imposuerunt:& quæstorem singulis nauibus præfecere.quum autem in hostilem regionem peruenissent,emebant, scilicet ab illis milites.omnéq; prius coactum est, quàm imperatores pro mercede argentum iterum redderent. quare contigit vt idem argentum impenderetur, donec domum redirent.

9 LACEDÆMONII vero pecunias sibi ad reditum in patriam postulantibus Samiis, decreto sanxerunt vnum diem & se, & seruos, & iumenta nihil omnino gustare. quantúmque in cibum solitus esset vnusquisque impendere, tantum Samiis dare.

10 AT Carthaginienses,quum multos in ciuitate haberent mercenarios milites, nec mercedem,quam illis debebant,dissoluere possent,ediderunt,vt cuicunque ciui,aut inquilino ius esset rapinę aduersus ciuitatem aut priuatum quempiam,si vellet recipere, is describeretur.ita qui frequentes descripti essent,nauigia quæ in Pontum nauigabant,probabili quadam obiecta causa diripuerunt:certúmq; constituerunt tempus, in quo se ius reddituros de iis ipsis rebus dicerent. quum ergo multa esset coacta pecunia, ipsos quidem milites dimiserunt, de diteptionibus autem iudicio disceptarunt. iis autem qui iniuste direpti fuerant, ciuitas ipsa de suis prouentibus satisfecit.

11 CYZICENI autem seditione orta inter ipsos,& in ea seditione victoriam obtinente plebe diuitibus comprehensis, quum pecunias deberent militibus, decreuerunt, non morte afficere eos quos comprehenderant,sed multatos pecunia in exilium mittere.

12 CHII vero pecuniis indigentes,quum apud ipsos

ipsos lex esset, vt æs alienum publicæ scripturæ mandaretur,decreuerunt, vt qui quidem deberent,id ipsum quod deberent,ciuitati repræsentarent:ciuitas vero ipsa ex suis prouentibus vsuras iis qui fœnerauerant, redderet, donec sortem adæquarent.

MAVSOLVS Cariæ tyrannus rege à se tributum per nuncios exigente, regionis opulentissimos coëgit, ac regem tributum flagitare indicauit, sibi vero non esse vnde illud dissoluere.tum quidam ad hoc ipsum comparati viri è vestigio illi polliciti sunt quantum quisq; esset collaturus.qui quum hoc fecissent, opulentiores qui erant, partim pudore adducti, partim metu,longe illis plura polliciti sunt. idq. ipsum præstitere. Iterum pecuniis indigens Mylassenses congregauit,eisque dixit:ciuitatem quidem illam,quæ ipsius esset mater,sine muro esse: à rege autem exercitum duci aduersus eam.velle ergo se à Mylassensibus conferri pecunias ab vnoquoq; quàplurimas. Hisce,inquit,pecuniis quas nũc in medium conferetis,etiam eas quæ vobis supererunt conseruabitis. quum autem multi contulissent, ipse quidem pecunias habuit, murum autem condi in præsentia Deo, inquit,non placet. 13

CONDALVS Mausoli legatus, vbi ipsi iter per prouinciam facienti pecudem quispiã, aut vitulum attulerat, describebat & nomen eius qui dedisset, & tempus quo dedisset.tum eum ipsum alere iubebat, donec ipse reuerteretur.at vero vbi satis diu se commoratum putauerat, ratiocinabatur quantum interim fructus ex eo percipi potuisset:& vtrunque, tum animal ipsum,tum fructum ab eo qui nutriue- 14

rat,exigebat. Arborū etiam quæ in vias regias, aūt impendebant,aut cadebant, structum pretio addicebat, quòd si quis miles decessisset, vectigalem drachmam pro corpore efferendo imperabat.inde ergo simul ipse argentum capiebat, simul duces eundem fallere non poterant, quo tempore miles occidisset. Idem quum Lycios animaduerteret capillo impensius gaudere, literas à rege dixit venisse,quæ iuberent capillos ad capitum ornamenta ex iis conficienda submittere,itaque sibi à Mausolo esse imperatum, vt eos tonderet,se tamen si certam pro singulis capitibus pecuniam velint pendere, adducturum ex Græcia capillum,illi vero libenter quod petebat tribuerunt,multæque ex ingenti turba coactæ sunt pecuniæ.

ARISTOTELES Rhodius Phoceam imperio obtinens quum pecuniis indigeret,duásq; Phocæorum cerneret factiones,ad alteram eorum secreto verba fecit, affirmans sibi alteros pecuniam pollicerí, si rempublicam inclinare ad ipsos mallet,se autem malle ab iis accipere, & ciuitatis curam ad eos administrationémq; transferre. vbi ergo hæc audiuerunt qui tum aderant,illico quantum postulauerat pecuniarum præbuere,tum ille rursus alteris indicauit, quæ ab illis prioribus tulisset:itaque hi quoque dederunt non pauciora.quum ergo ab vtrisque accepisset,rum vtrosque alteris concilians, ad concordiam reuocauit,ipsos autem ciues compluribus controuersiis cernens implicitos, magnásque inter se ex multo tempore habere illatas acceptásque iniurias, forum iis constituit, quo posthac tanquam bello decertarent: prænunciásque si qui iudicio foróque illo vti non

essent,(legem autem tulit quatenus vterentur) nulla iis amplius fore de prioribus criminibus iudicia,tum multarum causarum temerariam vel aggressionem vel omissionem,item eas quarum crimina mulctarentur pecunia ad seipsum reuocans,& ab vtrisque per alteros capiens, pecuniarum non exiguam summam coëgit. 16

CLAZOMENII autem, quum eodem tempore & annonæ & pecuniarum indigentia premerentur,decreuerunt, vt quibuscunq; apud ipsos oleum esset priuatim,hi fœneraterentur illud ciuitati.nam huiusce generis fructus magna est in regione eorum copia.vbi ergo illi fœnerati sunt,tum hi conducta mercede nauigia ad mercatus emiserunt,vnde ipsis veniret frumentum,olei pretium pignoris loco obligantibus. rursus talenta viginti mercedem militibus debentes,nec habentes vnde tantam summam dissoluerent,ductoribus annuam vsuram quaterna talenta constituerunt, sic vero quum nihil amplius de sorte ipsa detraherent, semper autem in cassum impenderent, nummum pro argenteo ferreum excuderunt,ad viginti talentorum summam:quem deinde iis qui opulentissimi in ciuitate erant, singulis tamen pro rata portioni tribuentes,ab illis ipsis tantundem recepere.hac ratione & vnusquisque ex priuatis ciuibus habuit,quid in quotidianum vsum impenderet,& ciuitas ipsa ære alieno liberata est. post autem quum ex prouentibus vsurā illis detulissent,atq; vnicuiq; semper diuidérent pro rata parte distribuissent, ferreos nūmos retulerunt.

SELYBRIANI vero egestate pecuniæ laborantes, quum apud ipsos lex esset, ne frumentum ab ipsis ad eos qui fame premerentur, 17

Universidad de Deusto
Biblioteca

exportari liceret, frumentóque vetere abundarent, decreto sanxerunt, vt à priuatis frumétum ciuitati præberetur certo constituto pretio, ita quidem vt apud singulos annuus relinqueretur victus, deinde vbi quod ipsis pretium rectum visum est, constituerunt, exportandi potestatem vnicuique volenti fecere.

18 ABYDENI autem quum propter seditionem, agrum incultum atque inertem haberent, nec inquilini quidquam ipsis concederent, propterea quòd etiam tum ipsis deberent, sciuerunt, vt cuique volenti liceret, rusticis fœneratis, quo suum opus facerent, primique ipsi ex eo fructu emolumentum perciperent: cæteri vero ex iis quæ reliqua essent.

19 AT Ephesij in pecuniarum inopia legem tulerunt, ne fœminæ apud ipsos aurum gestarent, & quodcunque in præsentia haberent, ciuitati mutuum darent. Columnis autem quæ in templo erant, certo argenti definito numero, quem conferre oporteret, nomen eius qui argentum dedisset, inscribi permiserunt, tanquam is dedicasset.

20 AT Dionysius apud Syracusanos, dum pecuniam cogere vult, concione aduocata, dixit, visam sibi esse Cererem, quæ omnem muliebrem ornatum ferri in templum iuberet. ac se quidem primum omnium, suarum fœminarum ornatum iam attulisse, postulare ergo vt cæteri quoque idem faciant, ne qua Deæ indignatio aduersus ciuitatem oboriatur: quòd si quis hoc sibi faciendum non putauerit, hunc se pro sacrilego reo habiturum. itaque quum omnes quæ apud se erant, & propter Deam & propter illum, attulissent, Deæ quidem rem sacram fecit, at or

at ornatum omnem ipse abstulit, tanquam ab ipsa Dea mutuatus, quum autem progressu temporis, fœminæ rursus gestarent, idem iussit si qua vti vellet aureo gestamento, ab ea res quasdam, certas ac definitas in templo dicari. Idem ædificaturus triremes, quum sciret futurum vt indigeret pecuniis, concione aduocata, dixit, quandam sibi, tunc prodi ciuitatem, ad quam accipiendam pecunia esset opus: ergo & ille postulauit vt singuli ciues ad se binos afferrét stateres, & hi quod iussi sunt attulerunt, post autem bidui siue tridui interuallo interiecto, quum diceret se ab incœpto aberrasse, neque rem ad exitum potuisse perducere, homines laudauit, singulisque quod attulerant reddidit, quo facto & animos sibi ciuium reconciliauit. & illi haud ita multo pòst, quum iterum se recepturos sperarent, iterum attulerunt: quod ille ad naues construendas retinuit. Item Dionysius dum argenti copiam non habet, plumbeum nummum percussit, deinde quum aduocasset concionem, multa de percusso nummo verba fecit, illi autem quamuis inuiti, tamen quod ab illo propositum est, sciuerunt. ita vnusquisque vt quod plumbeum erat pro argenteo haberet, animum induxit. Rursus idem pecuniarum inopia laborans, postulabat vt ciues sibi afferrét. qui quum se habere negarent, tum ille quæ domi habebat supellectilia, producere cœpit ac vendere, tanquam is qui inopia coactus hoc faceret, quæ dum Syracusani emunt, ille interim quid quisque emeret, conscribebat, vbi autem pretium à singulis depositum est, tum ille quam quisque supellectilem emisset, eam ad se ab iisdem iussit referri. Quum autem ciues propter huiuscemodi

cemodi tributa pecora siue iumenta non alerent, dixit, sibi ea satis esse, quæ hactenus contulisset: quod si qui nunc acquirerent, ea fore iis qui acquisiuissent immunia. Ita quum multi breui tempore tanquam habituri immunem rem multam pecuniariam comparassent, vbi tempus esse iudicauit, ea censeri iussit, tributúmque imposuit. ciues ergo indignati, quòd se decepros animaduerterent, ea mactabant & vendebant, sed vbi aduersus hoc, ille ea mactari iussit duntaxat quibus in diem opus esset, tum illi ea sacris offerebant occidenda. at contra ille edicto prohibuit, ne fœminini generis vllæ hostiæ cæderentur. Idem rursus quum pecuniarum indigeret, iussit omnium apud se describi pecunias quicunque domi suæ pupilli essent, vbi vero horum pecuniæ ab aliis quibusdam descriptæ sunt, his ipse tam diu est abusus, quoad illorum quisque ad legitimam peruenit ætatem. Rhegio vero à se capto, concionem coëgit, dixítque, à se quidem illos iure optimo venire posse: tamen si ab illis nunc ea recipiar, quæ in bellum illud impenderit, tertiásque pro singulis corporibus minas, dimisisse tum illos. Rhegini ergo hæc audientes, quæcunque apud se vnquam occulta habuerant, ea in apertum protulerunt. & qui pauperiores erant, partim à ditioribus, partim ab hospitibus suis mutuantes, præbuerunt quantum ille ei pecuniariæ postulauerat. quæ quum ab illis accepisset, eorum nihilominus corpora venire iussit. necnon quæcunque ab illis tunc è latebris prolata fuerant supellectilia, omnia omnino prehendit. Mutuatus etiam à ciuibus pecunias, quòd diceret eas se illis redditurum, vbi

vbi illi quod dederant, repetere cœperunt, iussit singulos quantum quisque haberet argenti, ad ipsum ferre. quòd si quis non tulisset, mulctam huic irrogauerat mortem. quum ergo allatum esset argentum, monetam percussit, atque edidit drachmam, videlicet quæ duabus drachmis valeret. ita factum est, vt illud quoq; ipsum, quòd antea debebatur, ad eundem referrent. Idem nauibus centum in Hetruriam aduectus, ex matris Matutæ fano, & auri & argenti magnum numerum, itémque reliquum ornatum non exiguum diripuit. Deinde aut ignorans à nautis item haberi non pauca per præconem edixit, vt singuli eius quod quisque haberet, dimidium apud se repræsentarent, reliquum vero dimidium illius foret, qui illud prehensum haberet, quòd si quis dicto audiens non fuisset, mortem ei dixerat pro mulcta futuram. nautæ igitur rati si dimidium attulissent, reliquum se habituros impune, id ipsum attulerunt. at ille vbi priora accepit, reliqua nihilominus asserri ad se iussit.

MENDÆI vero, quæ è portubus reliquisq; vectigalibus capiebant, prouentum, hunc in ciuitate administranda vsurpabant, quæ autem ipsis vel à terra, vel ex domiciliis pendebantur tributa, ea non exigebant, sed eos qui haberent describebant, quòd si quando pecuniarum aliqua indigentia euenisset, tum vero debentes qui erant, eam ipsam soluebant, ita fiebat, vt præteritum illud tempus, quo omni eadem pecunia abusi fuerant sine vsura, lucrarentur. Idem cum Olynthiis bellum gerentes indigentésque pecuniis, quum abundarent mancipiis, seiuerunt, vt relictis vnicuique

mare

mare' vno & fœmina vna, cuncta alia venderẽtur, vt priuati qui essent, possent ciuitati commodare pecunias.

22 CALLISTRATVS autem in Macedonia, quum portorium siquando maximi veniebat, vicenis non amplius talentis veniret, effecit, vt eius summæ duplũ inueniretur. animaduertens enim nullos vnquam emere nisi opulentiores, propterea quòd vicenum talentorum sponsores dare oportebat maximi census viros, per præconem edixit, vt qui vellet emeret, sponsoresq; tertiæ partis exhiberet, aut quanti quisque persuadere alteri posset.

23 TIMOTHEVS Athenienſis quum bellum aduersus Olynthios gereret, argentóque indigeret, æs percussit distribuitque militibus. indignantibus autem illis affirmauit & mercatores, & quicunque in foro venderent, eadem ratione vendituros. ipsis autem mercatoribus prædixit, quæcunque æreum nummum quis accepisset, eodem vt rursus ea quæ regio ferret venalia, quæque producerentur ex præda, mercaretur, quibuscunque autem ipsis æreus relinqueretur nummus, ij vt hunc ad se referrent, & pro ære argenti tantundem acciperent. Idem apud Corcyram bellum gerens laborànsque inopia, militibus stipendium flagitantibus, nec iam ipsi fidem habentibus, sed minitantibus se ad hostes transituros, concionem aduocauit, dixitque argentum propter aduersas tempestates ad se ferri nequiuisse, sed quod antea illis trium mensium stipendium dedisset, hoc se nunc illis impune gratisque remittere, tantam sibi eius copiam adesse. itaque suspicati milites nunquam illum tantam pecuniæ summam ipsis tam prodige elargiturum, nisi re vera in expectatione haberet quas dicebat pecunias, quieuere post hac, nec efflagitanda mercede molestiores ei fuerunt, donec ille gessit quæ voluit, post autem dum Samum obsidet, fructus omnes, omnémque ex agris prouentum Samiis ipsis vendidit, ita ad mercedem militibus soluendam pecuniis abundauit. Idem quum rerum quæ ad viuendum necessariæ sunt, in castris penuriam cerneret propter eos qui aduenìebant, quicquid tritici venale habendum erat, molere vetuit: nec idem dimensum vendere medimno minus: neque item de liquoribus partem vllam ea mensura minorem, quæ proprie metreta vocatur: ergo ipsorum ordinum duces, quique manipulis præerant, quæ aceruatim congesta emerant, ea minutatim, postea militibus distribuebant, & qui ventitabant, secum ferebant, quæ necessaria sibi putarent ad victum, qui deinde abeuntes vendebant, si quid residui ipsis foret, ex quo id euenit, vt milites victu abundarent.

24 DIDALES Persa quum haberet milites, ea quidem quæ ad quotidianum victum necessaria erant, illis ex hostili terra suppeditabat, sed quum ab iisdem militibus nummos flagitaretur, nec haberet vnde dissolueret, iámque dissoluendi tempus adesset, tale quiddam machinatus est, cogit ad concionem milites, astque sibi quidem pecuniarum nunc copiam non ppetere, verùm eas adesse in quodam loco: locum ipsum vbi essent, nominabat, quinetiam motis castris illuc ire cœpit, deinde vbi d locum propius accessit, progressus in illum, ccepit ex iis quæ in loco erant fanis, quidquid

vasorum argenteorum deprehendit, deinde stra-
tis iumentis tanquam argentum gestantibus,
taliáque præ se ferentibus, procedebat, quod
milites conspicati, ratique omne illud argen-
tum esse, quod veheretur, animis quidem ipsi
confirmati sunt, tanquam mercedem receptu-
ri: at ille dixit oportere ad Amisum peruenire, ibi-
que ipsos autorati, iter porro ad Amisum &
multorum erat dierum, & hyberno tempore
faciendum, itaque toto hoc ipso tempore eo-
dem exercitu facile est abusus: quippe qui illi
ad victum necessaria tantùmodo præberet, ipse
autem tum opifices, tum caupones, atq; institu-
tores, apud quos quidpiam commutari posset,
in suis castris habebat: alij vero nulli quidquā
prosus talium rerum facere licebat.

81 CHABRIAS Athenien sis Taoni regi
Ægyptiorum exercitum quidem habenti, sed
pecuniis indigenti, hoc consilium dedit, vt sa-
cerdotibus diceret oportere tum ex sacris non-
nulla, tum etiam sacerdotum multitudinem
propter sumptum amoueri, quod quum audi-
issent sacerdotes, & vellent omnes suum pe-
nes se quisque sacrum manere, pecunias, tam
communes quàm priuatas illi afferebant, ve-
rum vbi ab omnibus accepit, tum iussit illis im-
perari decimam duntaxat partem eius, quod
ante hac soliti essent, tam in seipsum, quàm
in sacrum impendere: reliquas vero nomen
partes sibi ipsi fœnerarentur, donec quod ad-
uersus regem Persarum gerebatur bellum fi-
nem acciperet. Quicunque autem ædes aut do-
micilia haberent, ab iis omnibus conferri ius-
sit, quantum ipse oportere constituisset, singu-
lis item corporibus eadem ratione tributum

impo

posuit, qui vero frumentum, aut vendebant,
aut emebant, hos vltra pretium ipsum ob-
lum vnum pendere in singulas mensuras iussit,
ad hæc in singula nauigia singulásq; officinas,
alláq; item quoduis aliud opificij genus præte-
rentia, decimam operis effecti partē tributi lo-
co soluendam imperauit. Idem extra fines du-
turo exercitum iussit quidquid ab vnoquoque
non signati argenti aut auri posset, id à
singulis ad illum allatum repræsentari, quum
autem quamplurimi attulissent, argento qui-
dem ipse vti illum iussit, eos vero qui illud de-
dissent, commendari nauium præfectis, vt his
illi ex tributis satisfacerent.

IPHICRATES Athenien sis quum Co- 26
tys militiam coegisset, ei pecunias suppeditauit,
ad hunc modum, iussit imperare hominibus qui
sub imperio suo essent, vti tantum sibi terræ un-
guli sererent quantum terna medimna caperet, a
quo facto magna frumēti copia coacta est, hoc
ille ad loca vbi mercatus agerentur, missum,
subuendidit, itaq; pecuniis abundauit.

COTYS Thrax cogendi exercitus causa, 27
mutuabatur à Perinthiis pecunias. Perinthij
autem eas illi non dabant, postulauit ergo vt ci-
uibus suis saltem aliquos darent in quorundā
locorum custodiam, vt ipse interim iis quos
tunc in præsidiis habebat militibus liberius vti
posset, tum vero Perinthij se dominos locorum
futuros rati, è vestigio quod iubebantur fecere,
at Cotys eos qui missi fuerant sub custodia ai-
seruatos retinuit, iussitq; quas mutuabatur ab
illis pecunias missis damnum qui acciperent, ad
se referre.

MENTOR Rhius quum Hermeam com- 28

prehendisset, iámq. eius loca obtineret, curatores quoscunq. Hermeas ipse præfecerat, suis se tenere locis iussit. vbi vero animo confirmati sunt omnes, & quod prius apud se habuerant, non amplius aut occultum, aut exportatum haberi oportere rati sunt, tum vero correptis illis, omnia pariter quæ illis erant, comprehendit.

69 MEMNON Rhodius Lampsacum imperio obtinens atque indigens pecuniarum, ditissimo cuique certam argenti summam conferendam adscripsit. his porro ab aliis ciuibus satisfactum iri affirmabat: vbi vero alij ciues contulere, tum idem hanc quoq; pecuniam sibi ad tempus iussit commodari: & lingua nuncupauit ad quod vsq; tempus illis esset redditurus. Idem cursus quum pecuniarum indigeret, postulauit vt illi afferrent: recepturos autem ex prouentibus tantundem addebat, itaque illi attulerunt sperantes è vestigio satisfactionem futuram. quum vero iam percipiendorum prouentuum tempus adesset, sibi his item pecuniis esse opus affirmauit, illis autem post redditurum cum fœnore. Idem militantibus mercedem ac stipendia sex anni dierũ denegabat, illos dictitans per hosce dies, neq; in custodia, neq; in itinere vllo esse, neq; sumptum facere consueuisse, dicebat autem priuatim libertati dicatos, atq; ex intercalatione vocantes dies. Idem militibus antehac proximo à calendis die stipendia dare solitus, tres primi mensis dies præteriit, sequentis quinq;, atq; ad hunc modum progressus peruenit tandem ad tricesimum.

70 CHARIDEMVS Oreitanus Æolidis quædam obtinens loca, Artabazo exercitum contra ipsum ducenti, pecuniarum quibus militi

liti satisfaceret, indigebat, initio igitur proferebant, postea se amplius non habere dixerunt, at vero Charidemus quem maximi prouentus locum esse censebat, huius incolas siue nummorum quidpiam, siue aliud supellectilis genus pretiolius haberent, iubebat in alium locum transmittere, se illis transmittentibus præbiturum comitatum, ipséq; princeps hoc ipsum palam faciebat. itaque quum hominibus persuasisset, eósq; ad hunc modum ab vrbe paululum abduxisset, scrutatus quæcunque ferebant, abstulit quantum sibi opus esse putauit, illósq; rursus in suum locum reduxit. Idem quum per præconem edixisset, vt quibus ciuitatibus ipse imperaret, in iis nemo vlla arma domi possideret, quòd si quis dicto audiens non fuisset, huic dependendum fore argentum pro multa, quod edixerat negligebat, nec vlli prorsus curæ sibi esse significabat: at homines quum existimarent illum temere edixisse, quæ singuli forte possidebant suis locis immota tenuere, sed ille repente vniuscuiusque supellectilem scrutatus, apud quoscunque armorum vllum genus deprehendit, ab his mulctam quam indixerat exegit.

71 PHILOXENVS quidam Rhodius quũ Cariæ prouinciæ præesset, pecuniisque indigeret, dixit se Dionysia celebraturum: & qui choris sumptum suggererent homines conscripsit maxime omnium fructibus abundantes: quibus etiam quæ apparare opus esset, imperauit sed eos videns hanc rem ægrius ferẽtes, per certos homines quibus internunciis vtebatur, rogitabat, quid tandem sponderent se daturos, quo illius administrationis molestia liberaFFFF 3

reatur: tum vero illi eo sumptu, quem se factu-
ros sperabant, multo amplius dare pollicita
sunt, vt sic & ea molestia carerent, neq; à suis
procul abessent: at ille & ab his quidquid da-
tum est accepit, & alios loco illorum conscri-
psit, quoad & ab his ipsis accepit quod vo-
luit, & ab omnibus singillatim repræsentatum
est aliquid.

32 EVÆSES Syrus Ægypti prouinciæ præ-
positus, quum Præfectos singulari tertæ Ægy-
pti partium à se defecturos sensisset, conuocatos
in aulam omnes suspendit, familiaribus autem
ac domesticis eorum iussit renunciari, à se illos
haberi in custodia, ergo ex necessitatis quisq; pe-
cunias comparabat, vt pecuniis redimeret com-
prehensos, ille autem vbi spopondit se singulos
redditurum, ac pro singulis quod quisque pro-
fitebatur accepit, tum vero vnicuique suum
mortuum reddidit.

33 CLEOMENES Alexandrinus Ægy-
ptum prouinciam imperio obtinens, fame in
aliis quidem locis vehementi exorta, in Ægy-
pto autem sanè tolerabili, frumentum expor-
tari vetuit, sed quum ij qui singuli Ægypti par-
tibus præfecti erant, iactarent, nequaquam fu-
turum vt tributa pendere possent, nisi frumen-
tum exportari liceret, exportationem quidem
illis concessit, sed ingens tributum frumento
imposuit, ex quo euenit vt ex frumenti exigua
summa quæ exportaretur, ingens tributum ac-
ciperet, & præfecti excusatione destituerentur.
Idem dum naui per eam vehitur præfecturam,
in qua pro Deo colitur Crocodilus, raptus est
vnus ex pueris eius: conuocatis igitur sacerdo
tibus, dixit, quum ipse prior lætus esset, velle

se Crocodillos vlcisci, itaque venationem eo-
rum imperauit, at sacerdotes, ne ipsorum Deus
ludibrio haberetur, argenti summam quan-
tamcunque cogere potuere, illi attulerunt, ita-
que ille quieuit. Idem ab Alexandro rege ius-
sus apud Pharum, vrbem condere, & mercato-
rum conuentum, qui prius apud Canobum age
batur, ibi constituere, ad Canobum naue perue-
nit: conuocatisque sacerdotibus, & iis qui pos-
sessiones habebant, dixit, se ea de causa venis-
se, vt eos migrare iubebat, sacerdotes autem
exterique locum incolentes, vt mercatum ille
apud se eodem loco relinqueret, pecuniam illi
à se coactam attulerunt, qua accepta tunc qui-
dem ille abiit, at idem non ita multo post,
vbi quæ condendæ vrbi necessaria erant pa-
rata habuit, naue ad illos reuectus, immen-
sam quandam ab iisdem & immodicam postu-
lauit pecuniam, tanti dicens sua interesse apud
se mercatum illum agi potius quàm apud illos,
qui quum dicerent se non posse tantam sum-
mam præstare, tum vero ab eo nihilominus tra
ducti sunt. Idem quum quendam misisset, vt
sibi venalia quædam emeret, sentiens illum,
quanquam ea nactum quæ paruo pretio veni-
rent, ad se tamen vt magno empta relatu-
rum, allocutus est illius emptoris notos ac
familiares, audiuisse se illum immoderato pre-
tio emisse, haud tamen futurum vt ipse ani-
mum aduertat, simulque stoliditatem illius
cum quadam simulatione iræ insectabatur at-
que obiurgabat, illi autem quum hæc audiuis-
sent, respondebant, non oportere illum iis, qui
aduersus hunc aliquid dicant, credere, priu-
quam ipse reueniat, rationémque illi reddat,

ita quum emptor reuenisset, renunciauerunt ei familiares sui, quæ à Cleomene audiuerant: ille autem dum & illis & Cleomeni operam suam probare vult, quanti vere emerat, indicauit. Idem quum frumentum in illa regione denis drachmis veniret, conuocatos ad se cultores interrogauit, quanti vellent sibi operam frumentariam locare, qui tum responderunt, minoris quàm solliti essent mercatoribus vendere: at ille iussit illos quidem sibi tantidem præbere, quanti aliis venderent, ipse autem frumento binas & tricenas drachmas pretium constituens, tanti aliis vendebat. Idem sacerdotibus conuocatis dixit: & immoderatos & multos in sacra suę ipsorum regionis fieri sumptus, oportere igitur & ex sacris nonnulla, & ex sacerdotibus quàm plurimos dissolui, tum vero ipsi sacerdotes existimantes hoc illum vere sacturum, & priuatim quisq; & communiter vniuersi sacras præbuere pecunias. quum & quisq; vellet suum apud se sacrum immobile [illegible] nec ipse sacerdos esse definere.

34 ANTIMENES Rhodius quum Alexandri itineribus ex dimidia parte præesset, pecuniarum copiam hoc modo apud Babylonem inuenit. vetus in terra Babylonia lex erat, vt earum rerum quæ importarentur decima solueretur pars, nec ea lege quisquam vtebatur: obseruauit ergo & satrapas omnes qui in expectatione erant, & milites, & legatos non paucos, item artifices aliunde arcessitos, qui alios secum adducerent, & qui priuatim peregrinarentur, & dona complura quæ afferebantur: à quibus omnibus secundum priscam legem, decimam exegit. Idem rursus dum mancipia prop-

mit, quæ in castris erant, iussit cuicunque libitum esset, profiteri quanti vellet, eundémque octonas drachmas annuas soluere, quòd si mancipium fugisset, pretium quod professus esset, reciperet. compluribus ergo descriptis mancipiis, non exigua summa argenti confecta est: si quod vero mancipiũ fugæ se dedisset, satrapam iubebat eum, in cuius prouincia castra posita essent, illud præstare, aut repræsentare ipsi domino pretium.

OPHELAS Olynthius quum curatorem 35
constituisset in eam præfecturam quæ nomus Arthridites vocatur, & ad ipsum eius præfecturæ principes accessissent, qui se longe plura collaturos pollicerentur, si modo eum quem nunc curatorem constitueret, amoueret, interrogauit illos, num ea præstare possent, quæ profitebantur? qui quum se posse dixissent, ille nihilominus, & curatorem eodem loco reliquit, & ab illis tantum tributi exigi iussit quantum ipsi professi erant, neque igitur quem constituerat, ignominia afficere voluit, neque tributi illis plus imponi, quàm quanti ipsi seipsos censuissent, ipse vero ex ea re multiplicem pecuniam comparauit.

PYTHOCLES Athenienſis Athenienſi- 36
bus suasit, vt plumbum quod à Tyriis subuehebatur, ciuitas à priuatis quo pretio illi vendebant, binis videlicet drachmis caperet, deinde constituto illi senarum drachmarum pretio ea ratione diuenderet.

CHABRIAS supplementis in centum & 37
viginti naues coactis, quum ipsi sexaginta duntaxat opus esset, imperasse dicitur iis qui in alteris sexaginta erant, quæ videlicet remane-

hant, aut frumentum in duorum mensium stipédium præbere, aut ipsos nauigare, at illi dum in suis rebus versari potius volunt, dederunt quæ illi imperauerat.

38 ANTIMENES thesaurot, hoc est, rerum magis necessariarum aceruos, qui prope regias vias habebantur, à Satrapis secundum regionis legem compleri iussit, quum autem indigere se diceret exercitus, aut aliud multitudinis genus sine rege, eò mittebat aliquem, & sic ex thesauris deprompta vendebat.

39 CLEOMENES quum iam calendæ adessent, ac militibus stipendium dimetiri oporteret, nauigauit de industria nescio quò, vbi vero mensis abiit, tum naui reuectus dissoluit stipendium, ac deinde altero mense ineunte ac progrediente intermisit solutionum vsq; ad proximas calendas, milites ergo propterea quod recens stipendium acceperant, quiescebant, ille autem uno totius anni mense intermisso, mensruam semper mercedem auferebat.

40 STABELBIVS Mysiæ præfectus, quum mercedem militibus deberet, conuocatis ducibus, dixit, priuatis sibi nusquam esse opus militibus: quòd si quando illis indigeret, tum se ductoribus singulis erogare solitum argentum, eósque ad cogendam militiam mittere, mercedem vero quam illis deberet, libentius ipsis ductoribus soluere. iussit ergo vnumquenq; quidquid descriptorum militum haberent, extra regionem emittere: at duces rati sibi ipsis ex ea re quæstuosam pecuniam fore, milites ipsos, quemadmodum ille iusserat, emiserunt, deinde breui interiecto tempore, vbi eosdē coegin, dixit videri sibi, NEQVE SINE CHORO

tibici

tibicinem, neque sine priuatis militibus duces vtilitatis quidquam habere, itaq. illos migrare è prouincia imperauit.

41 DIONYSIVS quum fana Deorum circumiret, sicubi boni dæmonis aureum aut argenteam mensam appositam vidisset, libari illi Deo imperabat: ac deinde mensam auferri, si quod vero simulacrum porrecta manu phialam sustineret, dicebat se accipere: & sic auferri iubebat. Idem aurea amicula, & coronas simulacrorum tollebat, dicens se & leuiora & odoratiora daturum, ita illis amiculum quidem albùm coronas autem populeas circundà bat.

Series chartarum,

aA, bB, cC, dD, eE, fF, gG, hH, iI, kK, lL, mM, nN, oO, pP, qQ, rR, sS, tT, vV, xX, yY, zZ. aAa, bBb, cCc, dDd, eEe, fFf, gGg, hHh, iIi, kKk, lLl, mMm, nNn, oOo, pPp, qQq, rRr, sSs, tTt, vVv, xXx, yYy, zZz, aaAa, bbBb, ccCc, ddDd, eeEe, ffFf.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LVGDVNI,
EX TYPOGRA-
PHIA THEOBAL-
DI PAGANI.

Universidad de Deusto
Biblioteca


Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca


Universidad de Deusto
Biblioteca

